UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

MAGNI OPERIS || DE OMNI=||BVS GERMANIAE || EPISCOPATIBVS || EPITOMES:||

CONTINENS ANNALES || Archiepiscopatus MOGVNTINI ac duodecim || alioru[m] Episcopatuum, qui Moguntino Suffra=||ganeatus titulo subsunt: Item BABEN=||BERGENSIS Episcopatus, ab || omni iugo Archiepiscopali || exempti.||

Brusch, Kaspar

Noribergae, 1549

VD16 B 8782

urn:nbn:de:hbz:466:1-64715

Visual Library


APPA
BENTIA
APPARVI
BENTIAE
DEFRCTV
VESTRIS
ECCE AGN
VS DEI QVI
APPA
BENTIA
ECCE AGN
VS DEI QVI
DATA EST
MIHI OMN
DEFRCTV
VENTRIS
DEFRCTV
VENTRIS
DATA EST
MIHI OMN

H 1
31

Th. 4960,

BV 4a

MAGNI OPERIS DE OMNIBVS GERMANIÆ EPISCOPATIBVS EPITOMES:

Bibliothecæ Hardehausensis

TOMVS PRIMVS.

CONTINENS ANNALES Archiepiscopatus MOGVNTINI ac duodecim aliorũ Episcopatuum, qui Moguntino Suffraganeatus titulo subsunt: Item BABENBERGENSIS Episcopatus, ab omni iugo Archiepiscopali exempti.

F.
Collegii Societatis Jesu Paderborna
Anno 1742. Ex Bibliotheca Schram.

Authore Gaspare Bruschio Poeta Laureato.

1549.

REVERENDISSIMO PRAESVLI ILLVSTRISsimoq; Principi ac Domino, Domino SEBASTIANO ab Heusenstein, Archiepiscopo Moguntino, Sacri Rom. imperij per Germanias Archicancellario & Electori: Domino ac Mœcenati suo clementißimo, S. D. Gaspar Bruschius Poêta à Diuo Carolo V. Imp. Aug. coronatus.

FEcerat æquales quadrupes Nepheleius umbras
Solibus, æquales noctibus atq; dies.
Cessarant hyemis Borealia frigora, primi
Inq; nouo cursu tempora Veris erant.
Piniferi cum forte uagos ego solus ad amnes
Errarem, patriæ ductus amore meæ.
Mœnus ubi pater, & cum Sala nobilis Egra
Et Nabus ex uno monte lacuq; cadunt.
Quattuor in partes abeuntia flumina mundi
Quorum Albis bibit & Rhenus & Ister aquas.
Hos inquam ad patrios fontes & flumina nota
Dum meditabundum me mea Musa trahit:
Musa per irriguas quæ gaudet currere ualles
Per syluas, montes, flumina, stagna, lacus.
Dum circum uarias ibi uoluo pectore curas,
Vt fit, quando aliquis solus in arua uenit.

Hic mihi per ſyluas perq; inuia ſaxa uaganti
Ad Mœnum Domina eſt obuia facta decens.
Non laſciua equidem quales ſe condere ſyluis
Ad notosq; amnes ſæpe uenire ſolent.
Aut qualis noſtra eſt etiam laſciua Thalia
Aut Erato blandi nomen amoris habens.
Sed grauis & mira ſpecie reuerenda Virago
Qualis apud Delon priſca Diana fuit.
Laomedontæam qualem pinxere Mineruam
Aut qualis Graijs Icariotis erat.
Calliopen prima credebam fronte, ſed iſti
Conueniens ueſtis non erat ipſa Deæ.
Corporis ipſa etiam ſeries non magna, probabat
Non unam è Phæbi aut Palladis eſſe choro.
Veſtes præterea Tyrio nec Murice tinctæ,
Sed caſtis quales matribus eſſe ſolent.
Ad pectus pendebat honeſtum, inſigne monile:
Mollibus in digitis annulus unus erat.
Huic pietas incoſa fidesq; & gratia Chriſti,
Solus enim is ſponſus dicitur eſſe Deæ.
At non ſola eſt illa mihi ſic obuia facta
Mille animas ſecum Diua trahebat ouans.
Omnes illuſtres, atq; alba ueſte recinctas
Et circum ornatas tempora fronde noua.
Angelici quales ſunt formæ & corpora cœtus
Pura procul dubio & grata caterua Deo.
Aſpiciens, primo intuitu conterritus hæſi,
Incœptum trepidus continuiq; gradum.

Mente

Mente recollecta, sed mox animoq́; recepto,
Pilea de summis detraho texta comis:
Atq; inclinatis genubus, salue (inquio) salue
Diua nurus, magni progeniesq; Dei.
Quid uult iste sibi aduentus, præsentia quidúe
Tam magni secum numinis ista trahit?
Vidimus hac ipsa errantes in ualle puellas
Sæpe, sed è nostra rusticitate satas.
Non sic Augusto uultu facieq́; nitentes
Aetherea, qualem cernimus esse tuam.
Tu certe aut magni sponsa es prælustris IOVAE
Aut incarnati mater honesta DEI.
Sis quæcunq; tamen, nostri miserere, iuuentq́;
Casta apud æternum nos tua uota patrem.
Vix ea finieram, stans tanquam in sydera raptus,
Cum Dea sic placida est uoce loquuta mihi.
Tu quoq; pars nostri iuuenis charissime cætus
Clementem fœlix semper habeto Deum:
Namq; hæc una & sola salus, & uita putanda est,
Clementem in cœlis semper habere patrem.
Salue inquam, iuuenis Dijs non inuise secundis,
Salue atq; à nobis quod petis illud habe.
Non ego rustica sum (bene dicis) nympha: per istud
Quales forte nemus sæpius ire uides.
Nec sum purpurei cuiusdam principis uxor
Aut inuicti etiam Cæsaris ampla nurus.
Sed quæ Mæonia, dea, uoce ECCLESIA dicor
Hæc uenio ante oculos Bruschi Poeta tuos:

Aeterni nurus alma & filia ſancta parentis
Atq; incarnati ſponſa pudica DEI.
Non mirare ſtaturam exilem: eſt corporis huius
Parua quidem ſeries, ſed ſatis apta tamen.
Semper parua breuisq; oculis appareo ueſtris
Sed magnã eſſe etiam hæc non male turba probat.
Afflictam uero eſſe hac ueſtra in paupere uita
Pagina te certe ſacra docere poteſt.
Id meus iſte habitus lugubris denotat ipſum
Et ſplendoris habens hæc toga noſtra nihil.
Sed finem dabit his curis aliquando malisq;
Clementem placidus qui regit iſta Deus.
Et qualis poſt hanc uitam fortuna ſequatur,
In grege qui ſequitur cernere rite potes.
In mundo patior, uitaq; exerceor iſta
Sed mea poſt uitam hanc fama ſuperſtes erit.
Omni tempore in ætherea florebimus aula
Qui Chriſti afflicta hîc preſſaq; turba ſumus.
Audiſti, quæ ſim, nunc, cur ſic obuia facta
Sim tibi, perge etiam diſcere, quidue uelim.
Vos, quibus à ſuperis conceſſum eſt ore rotundo
Et Phœbo ueſtro principe digna loqui.
Quid plerumq; niſi aut nugas tractatis aniles
Aut Paphiæ canitis furta dolosq; lupæ?
Ac molles turpi uerſu celebratis amicas
Quæ ſæpe ingentis ſunt quoq; cauſa mali.
Aut ſi ſeria tractatis, Mauortia bella
Et furioſorum dicitis arma uirûm.

Sed

Sed Christi cui sit ueneranda Ecclesia curæ
Millibus è multis uix super unus erit.
Tu quoq; per syluas dum sic spaciaris opacas,
Voluere sollicita mente uideris idem.
Magnorum ut regum cantando ingentia facta
Nomen in hac uita sic tibi grande pares.
Vt peperere sibi laudes & nomen Homerus
Ascra tuus uates, Sulmoq; clare tuus.
At si uis Reges magnos celebrare ducesq;
Et sedet hæc animo cura ita fixa tuo:
Cur non hoc canis? ut me quondã Ecclesiam amarint
Vt dederint & opes diuitiasq; mihi:
Vt mihi nutrices Reginæ templa scholasq;
Sumptibus immensis constituere suis.
Quas ad se rapiunt hodie per fasq; nefasq;
Qui rapere has ad se uiq; doloq; queunt.
At qui non rapiunt, bona sed sua cuiq; relinquunt:
Nil conferre tamen nunc, uelut ante, solent:
Sunt multi inter uos doctrina & nomine clari,
Virtutes ueterum qui cecinere ducum.
Cur nemo hactenus est, qui laude ornaret eadem
Doctores ueteres, Pontificesq; meos?
Qui sanctis mihi collegere laboribus istum
Quem coram illustrem cernis adesse gregem.
Sunt pauci, qui nostra agnoscunt munera, dicis:
Aut quibus est gratus forsitan iste labor.
Verum ut sint perpauci, aliquos tamen esse necesse est
Quos poterit pietas ista mouere uiros.

Vtq; alij non ſint, tamen Heuſenſteinius heros
Inſtar multorum ſolus & unus erit.
Sed nec ſolus erit, ſunt noſtro hoc tempore plures,
Iſta quibus pietas grata futura tua eſt.
Qui te laudabunt, qui te reuerenter amabunt,
Teq; uolent charos inter habere ſuos.
Iam ſi uis etiam pulchre, & mihi gratificari:
Atq; animum plene demeruiſſe meum.
Vt ſua præſulibus non fama intercidat omnis,
Germanis priſcis & ſuus extet honos,
Aude aliquid: res eſt grauis hæc, & plena laboris
At tua ſic etiam gloria maior erit.
Alcmena genito graue erat tot uoluere caſus,
Tot portenta ſua ſæua domare manu.
Verum immortales non eſſet adeptus honores,
Virtute ærumnas ni ſuperaſſet eas.
Aurea non inter ſummi Iouis aſtra micaret,
Ni cœli in terris grande ſubiſſet onus.
Non celebres ludos, non annua feſta iuuentus
Vrbis Agenoreæ conſtituiſſet ei.
Ni prius innumeros toleraſſet in orbe labores,
Pro ſacris aris pro patrijſq; focis.
Ergo age, ſi toti uis inclareſcere mundo
Quod graue quod durum eſt ſuſcipe, perfer, adi.
Plurima erunt ueterum ſaxa & monumenta legenda,
Plura ex antiquis excipienda libris.
Nec tibi erunt paucæ inquirendæ Bybliothecæ
Illic cum tineis bellum erit acre tibi.

Sic

Sic adeunda tibi sunt sæpe Monastica templa
Multa legenda ubi erunt non satis apta legi.
Ex quibus omnibus est quærendum id scilicet, apte
Susceptum quod opus prouehat, ornet, alat.
Nec tibi erit secus hîc faciendum, quàm facit ipsa
Quæ uarios flores sedula gustat apis.
Omnibus elicies, mel quod sibi conficienti
Prosit, & instructos impleat alueolos.
Hæc ubi dixisset uenerabilis illa Virago
Pluraq́; difficile est quæ meminisse mihi:
In uentos sublata leues euanuit, estq́;
Post oculis non tam reddita pulchra meis.
Ipsa sequens etiam Dominam pulcherrima turba
Migrare ad superos est mihi uisa polos.
Stans ego & accensus cœtus abeuntis amore
Frustra oculis illum sydera in usq; sequor.
Ac nisi mortales uetuissent turpiter artus
Et caro cœlestes quæ nequit ire uias:
In terris certe tam nil sublime fuisset
Ascensum ad superos quod uetuisset auos.
Cumq́; nihil præter nubes cœlumq́; uiderem
Amplius: è syluis tecta paterna peto.
Quæ posita exigui Reslaui ad flumen amænum
Vulcanus nuper perdidit ille uorax:
Deformis, ferrugineus, claudusq́; nigerq́;
Qui tantum ferrum non sinit esse rude.
Dumq́; inde Histrinas & Rheni migro per urbes,
Perq́; Sueuorum templa laresq́; sacros.

Per iuga Rhætorum, per Misnica regna, Thoringos
Et Boios, fortes atq; per Heluetios.
Per Chattos & Francigenas, per Pannonas acres,
Per latos populos Saxonis ora tuos:
Omnia templa pio affectu studioq; pererrans,
Omnigenas statuas, omnia saxa legens:
Congessi de præsulibus priscisq; nouisq;,
Quos nostra unquam habuit patria tota librum.
Non saltem unum aliquem sed multa uolumina magna
Qualia Cumææ forte fuere Deæ
Id patriæ ornandæ studio (pia numina cœli
Testor) & affectu feeimus omne bono.
Atq; ut Germanæ extaret totius, ubiq;
Inclaresceret & nobilitatis honos.
Ne, uelut in uarijs perierunt plurima templis,
Quæ melius certe non perijsse foret:
Clade etiam simili nostra hæc aliquando perirent,
Vidimus in uarijs quæ monumenta locis.
Huius partem operis præsul dignißime primam,
Pontifices quæ omnes dictat habetq; tuos:
Quos tibi subiecit Romana potentia quondam,
Sacraq; Maiestas Cæsaris Hesperij.
Hanc inquam partem nostræ haud exilis opellæ,
Offerimus princeps relligiose tibi.
Qui studijs nullis non delectaris honestis,
Pægasæiq; pater diceris esse chori:
Multiplici doctrina hinc usq; ad sydera notus
Ingenio, meritis, relligione, fide.

Inue-

Inuenies omnes, quorum pia numina ſummi
Te ſucceſſorem conſtituere poli.
Scilicet à primo Creſcente ad tempora noſtra,
Tu quibus eximia laude præeſſe ſoles.
Inuenies quos Chura uetus, Conſtantia quosq;
Priſca habuit claros relligione duces.
Et quos templorum colit Argentina ſuorum
Rectores, doctos magnanimosq; uiros.
Quin & Vangionum Nemetumq; habiturus eodẽ es
Doctores omnes Pontificesq; libro.
Et quos Herbipolis fouit, quosq; Aureatenſes
Tempora adhuc ueteri nomine noſtra uocant.
His eſt turba etiam ſuperaddita Vindelicorum,
Et qui Thermarum & nomina fontis habent.
Quinetiam quibus eſt ornata Hildeſia quondam:
Quos Halberſtadum Verda habuitq; patres.
His ſubiunximus & quos Babenberga celebris
Pontifices habet ad tempora noſtra uiros.
Horum Pontificum, procerum, patrumq;, ducumq;
Non hic perfectam condimus Hiſtoriam.
Sed tantum Annales, & ſanctæ poſteritati
Hoc commendamus nomina ſola libro.
At ſi uixero, ſi longos mihi Maximus annos
Ire ſinet Deus hæc omnia noſtra regens:
Poſt breuiter dictos, quos pulchra Colonia ſub ſe,
Quos Treueris, Bremis & Parthenopæa fouent.
Quosq; Salisburgum Bauarorum Vrbs inclyta iactat
Et ſub Mœnalio ſydere Riga iacens.

Hiſtoriam

Historiam iustam per magna uolumina condam,
In uarijs chartis nam latet ista meis.
Te Præsul Reuerende & clementissime princeps,
Interea his numeris testor & oro meis.
Vt breue suscipias opus hoc clementer, & ipsos
Pontifices secum quos liber iste trahit.
Et tales tibi conuiuas hoc tempore charos
Esse sine, & charos omnibus esse iube.
Sic ad te uenient alij quoq; Maxime Præsul
Quos mea tota fouet Bybliotheca: Vale.

In ipso Aequinoctio
Verno, Anni à nato
Christo Dei filio
opt. Max.
1549.

INDEX CAPITVM totius huius libelli.

PRIMVM Caput, continet breuem saltem Catalogum omnium totius Germaniæ Archiepiscopatuum & Episcopatuum.

SECVNDVM, habet omnes Episcopos & Archiepiscopos Moguntinos à prima fundatione Episcopatus, ad hæc usq; nostra tempora.

TERTIVM, habet omnes Antistites Rhætorum, hoc est, Churenses.

QVARTVM, continet omnes Constantienses.

QVINTVM, omnes Argentinenses.

SEXTVM, omnes Spirenses.

SEPTIMVM, omnes Vuormatienses.

OCTAVVM, omnes Augustanos.

NONVM, omnes Herbipolenses.

DECIMVM, omnes Aureatenses, hodie Aystetenses.

VNDECIMVM, omnes Hildesianos.

DVODECIMVM, omnes Baderbornenses.

DECIMVM TERTIVM, omnes Halberstatenses.

DECIMVM QVARTVM, omnes Verdenses.

DECIMVM QVINTVM, omnes Babenbergenses.

IOACHIMI HELLERI LEVcopetræi, Mathematum professoris Norimbergæ Elegidion.

Quod dedit Eusebius tibi Graia Ecclesia Græcus,
Socraticiq; labor maximus ingenij.
Et Theodoriti solers industria docti,
Sozomeniq; olim Musa uenusta tui:
Et quod Saxombus uir facundissime Crantzi,
In patriæ laudes ingeniosc, canis.
Illud præstat idem Germanis Bruschius oris,
Resq; fidemq; ornans Teutonis ora tuas.
Sed non est oris parui, non carminis huius
Artificis dignum uocc referre decus.
Maxima sunt, ueterũ quæ quondam abstrusa tenebris
Eruit, & docuit luce nitere noua.
Quæ latuit priscis intra præcordia uirtus,
Quanta fides, pietas, relligioq; uiris:
Protulit hic tandem studio uincente laborem,
Innumerabilibus penè sepulta locis.
Interea eloquio certat Patauine diserto,
Fœcundo certat carmine Naso tibi:
Quicquid id est alij uideant, ac mente reponant
Quantus sit ueterum condere gesta labor.

XISTI BETVLEII AVGVSTANI Phaleucion.

Musæ Pierides fauore uestro
Musæ Castalides fauete cœptis

Tam

Tam pulchris. Monumenta sunt uetusta,
Quæ multis studijs laboribusq;
Vester Bruschius ille uates, atq;
Cultor Castalijs iugis oberrans
Collegit, uagus hinc & inde, Blattis
Infestus: uario minister ille
Vester Bruschius insidens labori,
Vestris præsidijs reliquit istud
Tam cultum, nitidum, politum & amplum
Tam splendens opus è uetustiori
Depromptum, Monumenta nempe, sæclo.
Non fiunt sine numine ista uestro:
Est uestrum hoc opus. Illius labores
Digno sunt meritò pares honore.
Te Cleiὼ pius & disertus ille
Mystes rite colit pie & diserte,
Præ musis reliquis fidelis: atq;
Magnos promeruit Poêta honores.
Est dignus uario Poêta honore,
Huic κλειὼ κλέος addito fideli
Dignum, quod meritis siet, Poëtæ.
Quod si Bruschius hic tuus minister
Gratam principibus uiris opellam
Condet: quæ numeris cani merentur,
Condet: quas meruere forte laudes
Gestis egregiè uiri potentes.
Quare Pierides fauete uati
Cleiὼ magnifico faue Poëtæ.

Ad Ger-

AD GERMANIAM.

Sex lustra impleram, triginta scilicet annos:
Et iuuenis uegeto corpore fortis eram.
Quando illustrandæ patriæ inuitatus amore,
Hunc de præsulibus Bruschius ædo librum.
Quos Germania si grata pietate labores
Accipies, ueluti spero profecto, meos:
Mox quoq;, si uitæ Christus mihi prorogat annos:
Si clemens mihi, qui cuncta gubernat, erit:
Quicquid habes monumentorum Germania tota,
Ingenij simili dexteritate dabo.

DE OMNI

DE OMNIBVS GERMANIAE ARCHIEPISCOpatibus, ac Episcopatibus.

Caput I.

IN VNIVERSA GERmania constitutæ sunt ab Imperatoribus priscis, Septem Archiepiscopales sedes, in quibus præcipui habitarent omnium aliarum totius Germaniæ Ecclesiarum inspectores: uidelicet.

MOGVNTIA ad Rhenum Principem Germaniæ fluuiorum, in umbilico Germaniæ aut ueteri termino inferioris à superiori sita: primaeſt Archiepiscopalis Germaniæ Ecclesia, ex Vuormacia translata. Hæc habet comprouinciales Episcopatus sub se hodie:

1. Curiensem.
2. Constantiensem.
3. Argentinensem.
4. Spirensem.
5. Vuormaciensem.
6. Herbipolensem.
7. Augustanum.
8. Aystetensem.
9. Hildesheymensem.
10. Baderbornensem.
11. Halberstatensem.
12. Verdensem.

Olim autem isti Archiepiscopatui Babenbergensis Episcopatus etiam suberat, sed exemptus est iterum, ab omni iugo Archiepiscopali, & ingenuus ac liber salutatus, mox post fundatoris Imp. Henrici secundi mortem, à Pontifice maximo, Clemente secundo, qui antea Bambergensis Ecclesiæ secundus fuerat Episcopus, Suidegerus dictus. Ita Bambergensis Episcopus, suæ Dioceseos Archiepiscopus dici & appellari potest.

SECVNDA sedes Archiepiscopalis est Colonia in inferiori Germania ad Rhenum sita. Huius sedis comprouinciales Episcopatus sunt:

Monasteriensis, olim Mimigardeuordensis.
Traiectensis.
Lcodiensis, olim Tungrensis.
Mindensis.
Osnabruggensis.

TERTIA sedes Archiepiscopalis in Germania est Treueris, ad Mosellam in Lotharingiæ finibus sita: Hæc habet sub se comprouinciales & Suffraganeatus titulo sibi coniunctos Episcopos:

Metensem.
Tullensem.
Virdunensem.

Quar-

QVARTA Archiepiscopalis sedes est Magdenburgum in Saxoniæ initio ad Albim sita: primatus titulo præ cæteris honorata, de qua Conradus Celtis Albim describens, in quarti libri amorum, Elegia secunda sic canit:

Eius & ad ripas Madeburgum nobile splendet,
De septem sacris sedibus una nitens.
Condidit hanc primus Cæsar qui dicitur Oddo,
Oddo Saxonicæ gloria summa plagæ.

Huic Archiepiscopatui subsunt comprouinciales Episcopatus:

Morsenburgensis in Thuringia.
Neumburgensis uel Ciczensis aut Mammillensis, in Misnia.
Brandenburgensis in ueteri Marchia.
Hauelburgensis in Saxonia.

Suberat olim & Misnensis Episcopatus sed ille exemptus, & ex Pontificum ac Imperatorum munificentia, ingenuus & liber est.

QVINTA Archiepiscopalis sedes est, Salisburgum in Bauaria ad Salsam, siue Saltisium amnem sita, olim Iuuauia, unde aliqui fluuium etiam Iuuarum appellarunt. De hac sede sic canit Celtis in secundi Amorum Elegia septima:

Est locus aërias ubi Noricus excipit Alpes,
Hic magnum numen Bauara terra colit:

Hîc ubi consurgit de septem sedibus una:
De Salsa clarum nomen in orbe gerens.
Quæ quondam fuerat Romana Iuuauia dicta,
Iuuit ut Italicos sæua per arma uiros.

Hæc Archiepiscopalis Ecclesia habet sub se comprouinciales Episcopatus:

1. Tridentinum. 2. Brixiensem.
3. Patauiensem. 4. Frisingensem.
5. Viennensem. 6. Scccouiensem.
7. Gurcensem. 8. Lauentinensem.
9. Chyemensem, et olim etiam Ratisponensem: at is nũc ab omni Archiepiscopali iugo liber & exemptus est, & solius Papæ esse dicitur.

SEXTA sedes Archiepiscopalis est Bremis siue Brema, ad Visurgin fluuium in Saxonibus sita, de qua sic Celtis in quarti libri amorum Elegia secunda:

Visure Saxonicis amnis clarissimus oris,
Sedibus è septem qua Bremis una micat.

Huius sedis comprouinciales Episcopatus siue Suffraganeatus sunt:

1. Lubecensis, olim Aldenburgensis.
2. Suerinensis in Mechelburgia.
3. Lebussinensis.
4. Schlesuicensis.

Razem

5. Razemburgensis.
6. Hamburgensis, olim Archiepiscopatus & Metropolitanus omniũ Aquilonarium prouinciarum, nunc Bremensi unitus.

SEPTIMA sedes Archiepiscopalis nominatur Riga in Liuonia ad mare Balthicum, de qua Celtis in quarti amorum, Elegia nona sic:

Vel pete Sauromatas, ubi Reuola Rigaq; surgũt,
Vltima de septem sedibus, alta micans.

Huic subsunt Episcopatus comprouinciales:

1. Reualiensis.
2. Curiensis.
3. Oeseliensis.
4. Derptensis.

Sunt autem & alij adhuc Episcopatus in Germania, uidelicet Basiliensis, Sedunensis, & Lausannensis: Hi Bisantino Archiepiscopatui subsunt: is Galliæ, non Germaniæ Archiepiscopatibus annumeratur.

AD VNIVERSAM HONESTISsimam Rempublicam Moguntinam. SCHEDIASMA.

TEmplorũ authores Moguntia Diua tuorũ,
Episcopos amplißimos:
Ad Christi qui te duxerunt cognitionem,
Et te gubernarunt diu:
Hos uelut in speculo claraq; in luce uidere
Potes in libello hoc perbreui.
Quod tibi si officiũ placet, est cur gaudeã et ipse,
Labore qui feci hæc meo.
Sis fœlix sis fausta diu Moguntia, tales
Videasq; Principes diu.
Qualis & Auræus fuit, & Crescentius olim,
Qui te fidem docuit piè.
Et qualis tuus est hodie Heusensteinius heros,
Sebastianus Episcopus.
Doctrina insignis, uirtute potentior, atq;
Meritorum honore maximus.
Incolumem quem fata diu tibi mitia seruent,
Et omnibus bonis beent.
Te Moguntia, tẽ totus fortunet Olympus,
Et Olympicus Cæsar: Vale.

Caspar Bruschius Poëta à
Diuo Carolo V. Imp. Aug.
pio ac fœlice coronatus.

Secun-

SECVNDVM CAput, continens Catalogum omnium Episcoporum & Archiepiscoporum Mogun tinensium.

1. SAnctus Crescens siue Crescentius, unus ex primis Germaniæ Apostolis: Diui Pauli auditor, comes, ac discipulus: Primus Moguntiam ad Christum conuertit, & primus numeratur eius sedis antistes ac Episcopus.

2. BODARDVS siue Budibardus.

3. SVFFRONIVS.

4. S. MAXImus, magnus sacrarum scripturarum interpres, & qui scriptis Arrianam sectam impugnauit, circa annum Christi 345.

5. Sidonius.

6. Marinus, interfuit Synodo Colonienſi in qua Euphrates Colonienſis Episcopus Arrianæ sectæ assecla è gubernationis fastigio deijcitur, anno Christi 399. obijt anno 403.

7. SIGISmundus. acres Arrianorum confutatores.

8. LINdegasius.

9. S. Auræus ab Hunnis trucidatur anno Christi 454. quo Moguntia Arrianæ Hæreseos fœda tum habitatio, ab Attyla funditus euersa, & solo æquata est.

10. RVDELINVS, alijs Vuencelinus.

11. LANDOVOLDVS

12. HABOALDVS alijs Laboaldus.

13. SIGEBERTVS uixit anno Domini 498. temporibus Clodouei Galliarum regis: quibus cœpit Veteris Monasterij Cœnobium uirginum, ex liberalitate dominæ &wil&wildis Francorum ducissæ, quæ neptis erat Sigeberti Episcopi ex Mechtilde sorore, gubernatrice prouinciarum Rhenensium.

14 RVTHARDVS Iustiniani Imperatoris temporibus uixit, anno uidelicet 525. Sub hoc Episcopo Dagobertus Galliarum Rex, Moguntiam reædificare & egregie munire cæpit, translatam tamen à priori loco ad Rhenum, ducentis ferè passibus, quam pulchre absoluit.

15. GEROLDVS primus renouatæ Moguntiæ à Dagoberto Episcopus, uixit temporibus Pipini & Carolomanni Galliæ regum, à quibus Vuormatiensis etiam Archiepiscopus est designatus. Gessit bella pro Pipino contra Saxones Thuringiam uastantes, sed infœliciter, nam à Saxonico quodam regulo trucidatus est, unde natum distychon:

Ense

Enſe Geroldus obit Preſul, qui dimicat enſe,
Perplacet ergo chorum, non adijſſe forum.

16. GERVILIO legitimus filius Geroldi Epiſcopi, ſucceßit patri in utroq; Epiſcopatu, annuentibus Pipino & Carolomanno, apud quos fuerat educatus, Is Saxonibus iterum rebellibus, ad Thuringiam defendendam etiam in militiam profectus, patrem trucidatum ultus eſt, propria manu interficiens regulum Saxonicum, à quo ſciebat patrem ſuum cæſum eſſe. Hæc cædes occaſio fuit translatæ Archiepiſcopalis ſedis ex Vuormacia ad Moguntiam. Gerulio ab utriuſq; Epiſcopatus faſtigio deiectus & Monaſterio intruſus eſt, ut ibi pœnitentiam ageret de commiſſa cæde.

17. S. BONIfacius primus Archiepiſcopus, ex Auguſto regum Angliæ ſtemmate ortus, antea Vunefridus appellatus, fundator Fuldenſis, plenius erudiuit Germaniam in Chriſtianiſmo, & eam ab erroribus Arrianis & alijs repurgauit, unde Germanorum Apoſtolus dici meruit: fundauit & inſtituit auxilijs Caroli Magni, Epiſcopatus tres, Herbipolenſem, Ayſtetenſem & Fryſingenſem, anno Chriſti 745. Præfuit ſedi Moguntinæ laudabiliter 35. annis: Tandem ualetudinarius ſenex proficiſcitur in Fryſiam, ut & illã ad Chriſti cognitionem conuerteret, & à gentilicijs

superstitionibus repurgaret: sed ab infidelibus ibi trucidatus, Martyrij coronam accepit, anno Christi 755. Corpus eius Fuldæ quiescit.

18. S. LVLlus eligitur anno Christi 750. à superstite adhuc Pipino præfuit annis uno & triginta. Interfuit bellis à Carolo magno in Saxonia gestis. obijt Anno 787.

19. RICHOLphus Caroli magni prius consiliarius intimus: eligitur anno 787. Sub eius gubernatione perijt incẽdio pons Moguntinus, anno 811. præfuit laudabiliter annis 26. obijt Anno Christi 813. sepelitur in Cænobio S. Albani à se, subsidijs tamen Caroli magni primitus fundato.

20. HAYSTOLphus alijs Picandus dictus, Monachus instituti Benedictini, eligitur à Carolo magno: præfuit annis 12. Obijt 28. Ianuarij, Anno Christi 825. sepelitur apud S. Albanum in sacello Diui Bonifacij.

21. ODOGArius eligitur à Ludouico pio, præfuit annis uiginti duobus. Abluit lauacro Baptismi Harioldum Danorum regem, conuersum ad Christum cum coniuge liberis, & aliquot Danorum millibus. Anno Christi 826. Idq; Moguntiæ factum in præsentia Ludouici Imp. Obijt undecima Kalendarum Maij, Anno Christi 847. Sepelitur apud sanctum Albanum.

Raba-

22. RABAnus patria Fuldensis, alibi Magnentius Maurus appellatus, Bædæ Anglici discipulus, Poeta mirificus, Theologus insignis, qui tota Biblia commentarijs illustrauit, & multa etiam alia, cum prosa tum ligata oratione scripsit: Vir uitæ innocẽtia, & morũ sanctimonia clarissimus: primũ ex professore Parisiensis Gymnasij Abbas factus, postea uero ex Abbate Fuldensi, ad Archiepiscopalem dignitatem euectus, eligitur à Ludouico secundo: Anno 847. Præfuit Moguntinæ sedi nouem annis, qui prius Fuldæ triginta duobus annis Abbatiam gubernarat: ubi incomparabilis Bibliothecæ primus collector & author extitit. Condidit extra muros Fuldensis ciuitatis Monasterium montis S. Petri, in sublimi colle situm. Damnauit in Synodo Moguntina Godeschalcum Hæreticum. Obijt anno Christi 856, sepelitur in patria.

23. CAROlus dux Aquitaniæ, filius Regis Francorum Pipini: præfuit post Rabanum septem annis, Obijt 4. Iunij, Anno salutis 863. Quiescit apud sanctum Albanum.

24. LVDIbertus siue Lindebertus, eligitur anno Christi 863. præfuit laudabiliter 16. annis: condidit de paternis bonis Collegiatam Ecclesiam Moguntinam S. Mauritio dicatam. Obijt anno Christianorum 889. sepelitur apud S. Albanum.

Sum-

25. SVNDERholdus alijs Sunzo, uir ſanctiſſimæ uitæ, Moguntiæ natus, Fuldæ inſtitutus & æducatus, ab Arnulpho Imperatore Moguntinam ſedem gubernandum accepit, præfuit piè et laudabiliter per unius anni & menſium aliquot breue ſpatium, occubuit ad Rhenum, non procul à Vuormatia in expeditione contra Nordmannos, qui ſcuere tum graſſabantur in prouincias ad Rhenum ſitas: idq; factum 16. Iunij, Anno 891. ſepelitur in Cœnobio S. Albani.

26. HATTO Francorum rex, conſtituitur anno Chriſti 891. ab Arnolpho Imperatore, cuius erat compater, nam filium Imperatoris Ludouicum ſuſcepit ex lauacro Baptiſmi. Præfuit uno & uiginti annis ſedi Moguntinæ: Elwangenſi Abbatiæ 17. Diuiti Augiæ 26. annis: Fuldenſi item Cœnobio aliquandiu. Iniquus Alberto Comiti Bambergenſi, qui & Henrico Aucupi Saxoniæ duci, poſtea Imperatori inſidiatus eſt, ſed fruſtra. Obijt anno Chriſti 913. Scribunt aliqui eum & corpore & animo à Dæmonibus in AEtnã flammiuomum Siciliæ montem abreptum eſſe, cum tali clamore:

Sic peccata lues, atq; ruendo rues.

27. HERIGERVS eligitur poſt mortem Hattonis, præfuit 11. annis: cognominabatur Pius Epiſcopus. Vnxit Henricum Aucupem in Rom.

regem

regem. Resignauit munus Episcopi cuidam Ruperto, anno Christi 924. Obijt postea anno Christi 930.

28. RVPERTVS substituitur ab Herigero Archiepiscopo, anno gratiæ 914. Præfuit 4. annis & 6. mensibus, & cessit iterum anno 918. Hunc aliqui non numerandum censent inter Archiepiscopos, sed tantum coadiutorem uocant.

29. HILDEBERTVS aliquibus Hildebrãdus dux Franciæ Orientalis, & Abbas Fuldensis, eligitur in Archiepiscopum Moguntinum, anno Christi 918. Præfuit 9. annis, Coronauit Aquisgrani Othonem primum, Aucupis filium. Obijt 13. Septembrium, anno Domini 938. sepelitur in S. Albani magnifico ac peructeri Cœnobio.

30. FRIDERICVS dux Lotharingiæ, eligitur anno Domini 938. Præfuit annis pene 18. Fundator præposituræ Moguntinæ sancti Petri: cum in Rheno amisisset Giselbertum fratrem, seditiosum contra Othonem. Obijt 24. Nouembrium, anno à nato Christo 954. In Albano positus.

31. GVLIELmus dux Saxoniæ, Othonis Imperatoris ex Editha Angliæ regina filius: omnibus uirtutibus illustris & conspicuus Princeps, omnibus q; charissimus, eligitur anno Christi 954. Præfuit 14. annis. Deduxit Othonẽ fratrem Romam,

ut ibi

ut ibi Imperator coronaretur à Patre Othone: inde reuersus, ex hac uita emigrauit, anno Domini 968. Conditur honorifico Mausoleo apud D. Albanum.

31. HATto Abbas Fuldensis, eligitur in Archiepiscopum Moguntinum, ab ipso Othone Imperatore, sed præfuit 11. saltem mensibus. Deuoratur à muribus in medio Rheno, iusto Dei Iudicio, propter misere exceptos, & incendio deletos pauperes, factum id anno Domini 969. sepelitur in templo sancti Albani, propè alios Archiepiscopos.

33. RVPERtus succeßit Hattoni, & Ecclesiæ Moguntinæ præfuit annis sex. Obijt anno 976.

34. VVILligisus ex pago quodam Saxonico, Stroningẽ natus, patre Hamaxurgo, uir ut eximie doctus ac prudentißimus, ita omni genere optimarum uirtutum maximè excellens, ac iccirco Othoni secundo longe charißimus, cuius erat Sacellanus & Consiliarius intimus. Is ab Othone eodem in Moguntinæ sedis fastigium est collocatus: Habebat ille ubiq; in habitatione thalamo & cænaculo suo depictam rotam cum hac inscriptione, Vuilligise memineris, quid sis, & quid olim fueris. Hæc rota postea, Insigne Archiepiscopatui Moguntino datum & confirmatum est, ab Henrico secundo Claudo. Is ipse Vuilligisus primus fuit inter Archiepisco-

chiepiscopos Moguntinos imperij Elector. Instituit & educauit Imperatorem Othonem tertium, cuius erat in gubernando uniuerso Imperio locumtenens, post mortem Othonis secundi. Post mortem tandem Othonis tertij elegit cum alijs Imperij Electoribus, Henricum Claudum. Egregie illustrauit & auxit Moguntinam cum urbem, tum Ecclesiam. Obijt anno Christi 1011. cum laudabiliter præfuisset Archiepiscopatui 36. penè annis: sepelitur magnificè in noua Basilica S. Stephani à se inchoata & maximis sumptibus exædificata.

35. ERbo comes ab Hohen&wart, Bauarus: eligitur post mortem VVilligisi, moritur eodē statim anno, antequam Pontificiam impetraret confirmationem, unde Archiepiscoporum Catalogo ab aliquibus non annumerātur.

36. HERimboldus, siue ut alij appellāt, Ergkenbaldus, Abbas Fuldensis Erboni succeßit: natione Saxo. Sancto Bern&wardo Episcopo Hildesiano in Saxonib. & comiti à Summersenburg sanguinis propinquitate & neceßitudine coniunctus. Præfuit nouem annis utiliter, in quibus Collegiatam S. Crucis Ecclesiam fundauit & erexit: Obijt anno gratiæ 1020. sepelitur in templo S. Ioannis.

37 ARIbo Palatinus Rheni eligitur anno Christi 1020. præfuit annis undecim. Erat Archiepiscopus

pus eximie doctus, præsertim in sacris literis: illustrauit commentarijs quindecim Psalmos graduum. Extant & alia quædam ipsius monumenta. Elegit post mortem Henrici Claudi, Conradum Saliquũ. Obijt tandem anno domini 1031.

38. S. BARdo ex nobili Vuederouiæ familia de Oppershofen natus, patre Adelberto, matre Cristina: Abbas Fuldensis & Hirsfeldensis. Inde Moguntiam accersitus, sedi Archiepiscopali pie ac laudabiliter præfuit 20. annis. Erat sapientia & eruditione, & Eloquentia conspicuus tanta, ut qui concionantem audirent, alterum cum Chrisostomum appellarent. Elegit Imperatorem Henricum tertium: cuius coniugem, Dominam Agnetem comitissam Pictauiensem unxit. Huius temporibus Moguntiæ coacta, & celebrata est magna Synodus, cui præsens erat Romanus Pontifex Leo nonus, Alsata & Comes à Dagspurg cum 42. Germaniæ Episcopis: Henricus item Imperator cum maxima Principum ac Comitum congregatione. In ea Synodo consultatũ et actũ est de pacanda Gallia, in qua multi exarserant graues tumultus. Obijt sanctus Bardo anno Christi 1051. sepelitur in Cathedrali Ecclesia S. Martini, ab Episcopo Vuilligiso cœpta, & à Bardone absoluta.

39. LVIDboldus siue Leopoldus, Monachus Fuldensũ

Fuldensis ac præpositus Cathedralis Ecclesiæ Babenbergensis: eligitur in Archiepiscopum anno domini 1051. Præfuit laudabiliter nouem annis, Fundator Monasterij ad S. Iacobum, in monte speciosо. obijt septima Decembrium, Anni à nato Christo 1060. Sepelitur in suo nouo Cœnobio.

40. SIGEFRIDVS Baro ab Eppenstein, Abbas Fuldensis, uocatur ad gubernaculum sedis Moguntinæ, anno Christi 1060. Profectus est ad terrã Sanctam cum alijs quibusdã Germaniæ Episcopis ac Principibus, anno Christi 1063. Inde fæliciter reuersus erexit in honorem beatæ uirginis Mariæ, insignem Ecclesiam Collegiatam, ad nostram Dominam hodie appellatam. Elegit & unxit contra Henricum quartum, Rudolphum Sueuiæ ducem, obijt exul tandem in Hassiæ Cœnobio Hasungen à se locupletato, anno Christi 1084. cum Archiepiscopatui præfuisset annis uiginti quatuor. Sepelitur Hasungi.

41. VVEZILO succeßit Sigefrido, Præfuit autem quatuor tantum annis. Erat insigni doctrina conspicuus, ac celebris concionator, multisq; præclaris uirtutibus præditus. Adhæsit fideliter Henrico quarto contra omnes alios Germaniæ Episcopos, quibus ob hanc solã causam inuisus erat, obijt anno Christi 1089.

42. RVTHARDVS Erfordiæ prius Abbas ad D. Petrum, eligitur statim post mortem Wesilonis: præfuit uno & uiginti annis. Exulauit octennium in

Thuringia & Saxonia, eiectus Moguntia ab Henrico quarto: Restitutus uero est ab Henrico V. Cumq; Moguntiam redijsset, cœpit in Ringouia de suis ædificare Cœnobium S. Ioannis, quod uulgo Episcopi montem nuncupare accolæ solent, obijt anno dominicæ incarnationis 1109. sepultus est in Episcopi monte.

43. ADALBERTVS Lotharingiæ Dux, secundum Othonem Frysingensem: etsi alij comitem Sarbruggensem fuisse uelint, eligitur ab Henrico V. in Archiepiscopum Mogentinũ, cuius antea fuerat & Cancellarius, & intimus etiam Consiliarius. Præfuit Adalbertus iste 18. annis sedi Moguntinæ. Elegit Imperatorem Lotharium Saxonem, Gebhardi comitis à Supplenburg filium. Sub hoc Archiepiscopo Cathedralis Basilica Moguntina cum magna parte urbis incendio perijt. Fundauit Monasteria Ringouiæ potentißima Erbachium & Schwabenheymium: Aschafenburgi, & Oppidum, & Castrum, mœnibus fossis ac turribus muniuit. Decessit tandem ex hac mortali uita, 24. Iulij, anno gratiæ 1137. Sepelitur in cœnobio Erbach.

44. ADALBERTVS secundus, Comes Sarbruggensis, Adalberti primi ex sorore nepos, constituitur ab Imp. Conrado tertio Archiepiscopus Mogũtinus, qui prius præpositus fuerat in Basilica D. uirginis Erfordianæ. Præfuit annis 4. obijt anno domini 1141. Augusti 17. Huius Archiepiscopi soror nupsit Cõradi tertij Imp. fratri, Friderico Sueuorum duci.

45. Marcol

45. MARcolffus fortaßis Marcellius, Aſchafenburgenſis Canonicorũ collegij præpoſitus, honeſtus ac doctus uir, eligitur poſt mortẽ Adelberti: præfuit 2. annis, nõ integris tamẽ. Deceßit ex hac uita Idib. Iulij, anni Chriſtianæ redẽptionis 1142. Inſtaurator multorũ cœnobiorũ non procul à Moguntia ſitorũ.

46. HENRICVS cognomento fœlix. Præpoſitus Moguntinus, uir pius & honeſtus: eligitur anno 1142. Præfuit laudabiliter & pacifice annis decem, & poſtea Romæ accuſatus à ſuis Canonicis, quorum impiam uitam ſæpè reprehendere ſolebat, à Legato quodam pontificio, iuſſu Eugenij tertij Pont. Max. ejcitur è gubernationis faſtigio. In Saxoniam ergo ſecedens, Einbeci quiete uixit, donec poſt paucu-los menſes, ibi ex hac mortali uita emigraret, anno uidelicet domini 1153. Sepelitur Einbeci cũ hac inſcriptione ſimplici. Anno Domini. M.C.LIII. Nonis Septẽb. obijt reuerẽdus pater, Henricus Archiepiſc. Mogunt. Ad Chriſtum Soſpes, eat huius corporis hoſpes.

47. ARNOLdus nobilis hæros à Selenhofen è Ringouia natus, & Decanus Aquisgranenſis, et Barbaroſſæ Cancellarius: eligitur à Capitulo ſiue Senatu Canonicorũ Mogunt. anno Chriſti 1153. conſilijs etiã et ſentẽtia Friderici Barbaroſſæ, qui Arnoldum ſumme amabat, propter acumẽ ingenij, admirabilẽ facundiã, & ſummam prudentiam, cum ſumma etiam manſuetudine ac humanitate coniunctã. Præfuit annis 15. multa

durißima perpeſſus, tandẽ anno domini 1168. in die S. Ioannis Baptiſtæ, miſere à ſuis Moguntinis ciuibus incomparabili Tyrannide trucidatus in Cœnobio S. Iacobi, ueſtibus q; exutus, & in ſterquilinũ præcipitatus eſt: unde à pauperibus quibusdam iterum extractus, mortuus etiam per integrum triduum horribilibus modis tractatus: tandem uero à Canonicorũ Collegio clàm quæſitus, in urbem portatus, & cum ſummo luctu terræ mandatus eſt, in D. uirginis collegiata Eccleſia. Fridericus Barbaroſſa audiens amicum charißimum tam miſere trucidatum eſſe: authores funeſti conſilij gladio è medio tolli, totamq; pene Moguntiam miſere lacerari & uaſtari, mœnia dirui, foſſas impleri, Cœnobium S. Iacobi funditus euerti, ac totam urbem omnibus immunitatibus, iuribus, ac Priuilegijs exui curauit. Sic Moguntia 36. annis uaſta ac lacera, tandem conſenſu Imperatoris Othonis quarti denuo inſtaurata, & reædificari cœpta eſt.

48. CONRADVS Comes de Wittelsbach, Rheni Palatinus: frater Othonis Palatini, eius ſcilicet qui Philippum Imperatorem Bambergæ interfecit: Archiepiſcopus antea Salisburgenſis, eligitur & conſtituitur Archiepiſcopus Moguntinus, à Friderico Barbaroſſa: contra Rudolphum Zeringiæ ducẽ à S. P. Q. Moguntino electum, ſtatimq; in itinere Romam uerſus mortuum: Item contra Chriſtianum Comitem à Buche, quem Landgrauius Haßiæ, & Erfurdenſis Reſpub.

Reſpub. intruſerant, at Imperator Fridericus Barbaroſſa ex Mediolano aduenies ſtatim eijciebat. Præfuit autem Conradus iſte uix biennium, cum & ipſe ab Imperatore Friderico, è Moguntina Cathedra deturbaretur: eo quod Octauianum Cardinalem tituli S. Ceciliæ non uellet habere & agnoſcere pro Romano Pontifice. Romam igitur fugiens Conradus, ad Pontificem Alexandrum, propter quem tale periculum inciderat, Epiſcopus ibi Sabinenſis electus & deſignatus Cardinalitio etiam Galero donatus eſt, ſeq; deinde ſemper adhuc & Archiepiſcopum Moguntinum & Epiſcopum Sabinenſem in omnibus publicis literis profeſſus eſt. Poſt electum hunc Conradum, præfuit Archiepiſcopatui Moguntino Chriſtianus Comes de Buche patria Thuringus uir prudẽtiſſimus, reuocatus ab Imperatore 13. annis: qui cum ex hac uita emigraret, redijt ex Italia Moguntiam Conradus, qui à Moguntinis humaniſſime exceptus, gubernauit eam ſedem adhuc annis 17. laudabiliter ac utiliſſime. Profectus interim cum alijs quibusdam Germaniæ Epiſcopis ac principibus ad terram Sanctam, in eo itinere Leonem Armeniæ regem coronauit ex mandato Henrici ſexti: quemadmodũ Conradus Herbipolenſis antiſtes Amalricum regem Cypri. Miſſus tandem ab Imperatore in Hungariam, ad pacandos & in gratiam reducendos reges Hungariæ fratres, qui capitali odio inter ſe diſſidebant, obijt in reditu Patauij in Bauaria, in Vigilia

Simonis & Iudæ: anno Christi 1205. cum præfuisset intra et extra Moguntiam, annis 37. Sub eo perijt incendio insignis Bybliotheca Mōguntinensis. Sepelitur Moguntiæ.

49. CHRISTIANVS Comes à Buche, Thuringus: eligitur ab Hessiæ Landgrauio, contra Rudolphum Zeringiæ ducem, mox post trucidatum Arnoldum: ejcitur autem statim ab Imperatore Friderico, & in eius locum Conradus Salisburgensis Archiepiscopus substituitur: qui cum uix duobus annis quiete præfuisset, deturbatus est & ipse, ut supra etiam dictum est à Friderico Imperatore: & reuocatus Moguntiam, iste Christianus comes, non iam amplius à Landgrauio Hessiæ, sed ab Imperatore ipso. Erat is Princeps & corporis proceritate, & omnibus ingenij bonis clarissimus: & idcirco Friderici Imperatoris supremus Cancellarius, quem in Italiam proficiscentem, sequutus ille, multa ibi præclara facinora ædidit: prope Tusculum parua manu Germanorum quindecim milia Romanorum cecîdit. Mortuus tandem in Italia, non procul à Roma, anno Christi 1183. cum præfuisset Archiepiscopali sedi Moguntinæ 13. annis, cum summa laude. Eo defuncto redijt Moguntiam è Roma Conradus Episcopus Sabinensis, qui rursus Moguntinum Archiepiscopatum gubernauit annis 17. ut supra.

50. SIGEFRIDVS secundus, Baro ab Eppenstein

ſtein eligitur poſt mortem Conradi Archiepiſcopi ab una parte Capituli. Contra hunc ab Imperatore Philippo & altera Senatus Canonicorum parte eligebatur Lupoldus Epiſcopus Wormacienſis in Archiepiſcopum etiam Moguntinum. Hoc Schiſma durauit quamdiu uiueret Imperator Philippus. Sigefridus in Italiam concedens, Romæ à Pontifice clementer exceptus, Cardinalitiaq; dignitate tituli S. Sabinæ donatus, tam diu ibi uixit, donec Philippus Imperator è medio tolleretur per Othonem comitem Wittelsbachianum. Tum Moguntiam reuerſus, à ſuis honorifice exceptus, aliquamdiu, ibi tranquilla gubernatione uſus eſt: Tãdem iterum ab Othone quarto eiectus, quod contra ipſum à Pontifice Romano excommunicatum, alium iam Imperatorem eligendum, Electoribus Imperij ſignificaſſet: apud Hermannum Landgrauium Haßiæ pontificis ſummum amicum exulauit: Donec tandem una cum Archiepiſcopo Treuerenſi, & rege Bohemiæ Fridericum Henrici ſexti filium, deſignaret Imperatorem, quem & Aquisgrani coronauit. Cumq; ita uiginti quinq; annis uaria fortuna Archiepiſcopatum tenuiſſet, deceßit ex hac uita mortali, ad aliam, Erfordiæ anno Chriſti 1230. Vbi in Diuæ uirginis, magnifica æde, honorifica ſepultura donatus eſt.

51. SIGEFRIDVS tertius, & ipſe ex Baronum de Eppenſtein honeſtißima familia

prognatus, patruelis Sigefridi anteceſſoris ſui: eligitur anno 1230. præfuit annis 18. bene & laudabiliter. Erat magnanimus Princeps, & inſignis bellator, qui aliquando trecentis tantum militibus, hoſtes octingentos ad unum omnes proſtrauit. Bella geßit contra ſeditioſam Moguntiam, eamq; debellatam parêre ſibi coëgit. Elegit Gulielmum Hollandiæ ducem in Imperatorem Romanum, obijt tandem Bingæ anno Domini 1248. ſepelitur Moguntiæ in Cathedrali Eccleſia, ante aram Diuæ uirginis.

52. CHRISTIANVS ſecundus eligitur in die S. Apoſtolorum Petri & Pauli, anno Domini 1249. antea præpoſitus Cathedralis Eccleſiæ Moguntinæ, uir doctus ac prudentißimus. Scripſit Hiſtoriam exauthorationis Henrici quinti: & uitam Arnoldi Epiſcopi Moguntini, & aliorum quorundam anteceſſorum ſuorum. Pacis quã belli ſtudioſior: præfuit duobus annis, & reſignauit gubernationem, anno Chriſti 1251. quo etiam deceßiſſe ex hac uita legitur. Admonitus aliquoties à rege Gulielmo, ut iuuaret cum belligerantem: comiter ſeſe excuſauit, dicens, Epiſcopum debere concionari, non belligerari: hoc innuiſſe Chriſtũ, cum dixiſſet Petro, Reconde gladium in uaginam tuam. Tum uero ſe obtemperaturum ſummo ſtudio, ſi uerbum Dei prædicare iuberetur: quæ propria eſſet boni Epiſcopi functio.

53. GERHARDVS Comes Syluester, de Eppenſtein

stein prouinciæ Rhenensis, Minorita Erfordianus: eligitur à Senatu Canonicorum in Archiepiscopum Moguntinum, anno Domini 1251. præfuit nouem annis. Iuuit Theodoricum Comitem de Eberstein, consanguineũ suum, infœlix bellum gerentem contra Albertum ducem Brunsuicensem, à cuius capitaneo quodam Gotingensi uterq; captus, duci præsentatus, Theodoricus Comes pedibus suspensus, uitam ita misere finiuit, Archiepiscopus uero in uinculis ab Alberto duce, per integrum annum detentus est, liberatus tandem & redemptus ab Alberto duce, per Richardum Cornubiæ comitem, Anglum ambientem fasces Rom. imperij, octo millibus argenti marcis. Migrauit ex hoc seculo Erfordiæ, ubi & terræ mandatus est in Franciscanorum collegio, anno Christi 1260.

54. VVERNERVS Comes à Falckenstein, præpositus Cathedralis Ecclesiæ Moguntinæ creatur, & eligitur Archiepiscopus statim post mortem Gerardi. Præfuit 14. annis, & tribus mensibus summa cum laude. Vicit ingenti prælio Ioannem Comitem Spanheimensem seditiosum ac fratri Henrico in partiendo comitatu admodum iniurium. Emit Arcem Wildenbergensem: & Oppidum Ammerbacense cum Monasterij etiam eiusdem aduocatia. Sub hoc Episcopo, Iudæi Moguntini omnes cœsi, & bona eorum omnia confiscata sunt. Erfordiam rebellem & contumacem mille puri argenti marcis multauit, obijt secunda Aprilis,

anno Christi 1184: sepelitur in Cathedrali Ecclesia honorifice: Post eius ex hac uita discessum, uacabat sedes Moguntina duobus annis integris, & tribus mensibus, propter discrepantes sententias eorum, qui alium Archiepiscopum eligere debebant: quorum aliqui Gerhardum quendam comitem de Eppenstein, alij uero Doctorem Petrum, Rudolphi regis Archiatrum Canonicum Moguntinum, ac Basilienſem postulabant tam diu, donec res per Pontificem Honorium quartum componeretur.

55. HAINRICVS secundus, Knoderer appellatus, & alio cognomento Gurtelknopff, à cingulo Franciscano. Algouus, patria Isnensis, pistoris cuiusdam filius: Monachus primum Franciscanus Lucernæ in Heluetijs: confessor Rudolphi Habspurgij, nondum ad Imperij gubernationem euecti. Ex Lucerna Basileam profectus, Guardianus ibi designatus est Monasterij Franciscanorum: cumq; & doctrina & honestate uitæ, laudem sibi comparasset Basileæ maximam, electus est etiam in eius loci Episcopum, anno Christi 1274. Præfuit ibi annis undecim laudabiliter, Exorsus est Monasterium Sanctæ Claræ, in Basilæa, anno saluatoris nostri 1276. Interfuit centum equitum comitatu pugnæ, in qua cæsus est à Rodolpho Habspurgio, Romanorum Imperatore: Ottocarus Bohemiæ rex: Anno Christi 1278. Fuit Doctor Sacræ paginæ, & Nigromanticus insignis, quæ duo tamen

studio-

ſtudiorum genera (ut Ouidij uerſu utar.)

Nec bene conueniunt, nec in una ſede morantur.

Tandem anno humanæ redemptionis 1186. à Pontifice maximo Honorio quarto Archiepiſcopatui Moguntino præficitur: cui præfuit anno uno, menſibus undecim, diebus quinq; , obijt in uigilia Sancti Mathiæ, Anno Chriſti 1188 : ſepelitur in Cathedrali Eccleſia Moguntina, ante aram Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum. Oderat clerum, cui & ipſe inuiſus erat, unde ab aliquo hoc Diſtychon in eum luſum eſt:

Nudipes Antiſtes, non curat clerus ubi ſtes,
Dum non in cœlis, ſtes ubicunq; uelis.

56. GERHARDVS ſecundus, alijs Gebhardus, Baro de Eppenſtein, Canonicus Moguntinus, & Archidiaconus Treuerẽſis: antea etiã poſt mortẽ Archiepiſcopi Wernheri electus, ſed à Pontifice repudiatus: iam poſt Henricum defunctum iterum à parte aliqua collegij Canonicorum repetitur: alijs quibusdam cuidam Emerico à Schoneck ſuffragantibus. Sed obtinuit Gerhardus gubernaculum, fauore Pontificis Max. Nicolai quarti: præfuit laudabiliter 16. annis, geßit bellum contra comitem Hanouienſem, cuius ditionem incendijs ac rapinis mire uaſtauit. Elegit contra regem Adolphũ, Albertum Auſtrium. Interfuit pugnæ, in qua Imp. Adolphus Anaxouianus cæſus, et miſere interemptus eſt. Deceßit ex hac mortali uita, ſubitanea morte:

morte: in conclaui suo, ubi mortuus & sellæ insidens, à ministris inuentus est. Sepelitur in Summo Moguntinensi, quinta Martij, Anno Christi 1304.

57. PETRVS Aichspaldius Treuerensis, honestis sed tenuis fortunæ parentibus natus: Henrici Comitis Lucelburgensis, nondum Imp. Medicus, Canonicus Moguntinus, & à Pontifice Honorio quarto, Basiliensis Episcopus constitutus, cui nouem annis præfuit. Hunc anno Christi 1304. Henricus Lucelburgius Princeps, Pictauiam ablegauit ad impetrandum à Rom. Pontifice, Comiti Baldouino fratri suo octodecim annorum adolescenti, Archiepiscopatum Moguntinum. Quod cum Episcopus Petrus post multas petitiones apud Pontificem Clementem quintum obtinere non posset, & ipse iam infecto negotio in Germaniam redire decreuisset, Accidit, ut subito in magnum morbum incideret Rom. Pontifex, qui audiens Episcopum istum esse Medicum, accersitum ad se consuluit. Petrus ut erat Medicus insignis, intra triduum Pontificem integræ ualetudini fœliciter restituit: Vt esset igitur Pontifex pro tali beneficio gratus, Episcopum Petrum ad se uocatum in hæc uerba alloquutus est. Quia tam fœlix esset corporum curator, maxime conuenire, ut & insignis constituatur Animarum Pastor, curator, & Medicus, conferre se igitur ei in recompensationem tam facile restitutæ sibi pristinæ ualetudinis clauum ac gubernaculum Moguntini Archiepisco-

episcopatus: quẽ hoc tẽpore puero gubernandũ cõmittere omnino nõ posset. Sic ab ipso Pontifice electus & cõfirmatus Petrus, Archiepiscopatui Mogũtino bene, laudabiliter & utiliter præfuit annis sedecim. Fundauit & extrui curauit insignem Carthusiam Moguntinam, anno Christi, 1308. Coronauit Pragæ in regem Bohemiæ, Ioannem filium Henrici Lucelburgensis tum Imperatoris: Id proprium ius est cuiusq; Archiepiscopi Moguntini, coronare uidelicet Bohemiæ regẽ, eiq; coronato benedicere. Hunc Archiepiscopum è Praga abiturum, donauit rex Bohemiæ aurea sella, nobilissimis gemmis undiquaq; distinctam ac insignitam: Hanc hodie adhuc Moguntiæ præsentem D. Martini sellam uulgus appellat. Post mortem Henrici Imperatoris, elegit Lodouicum Bauarum, obijt tandem plenus dierum in die S. Bonifacij, anno Christianæ salutis 1320. Sepelitur in Cathedrali Ecclesia Moguntina, cum honesto uirtutum suarum Elogio.

58. MATHIAS Comes à Buchegk, Burgundio monachus Benedictini instituti in Maurbachio Alsatiæ potentissimo cœnobio: constituitur Archiepiscopus Moguntinus, à Ioanne XXII. Pont. Max. anno Christi 1320. iterum repudiato Baldouino Lucelburgensi, præfuit octo annis. Erfordiam in clerum seditiosam compescuit: Landgrauium Hassiæ Henricum Vasallum omnino rebellem, & multis modis sibi, suisq; iniurium magna clade affecit, oppugnando, &

in

ad deditionem adigendo Oppido Gieſſen, obijt 10. Septembris, anno Chriſti 1318. non ſine ſuſpitione veneni.

59. BALDOVINVS comes Lucelburgius, & Germanus frater Henrici ſeptimi Romanorum Imperatoris. Archiepiſcopus prius Treuerẽſis, antea etiam aliquoties Moguntiam à parte cleri inter ſe diſcordis poſtulatus, ſed ſemper à Pontifice prohibitus: iam defuncto Mathia à maiori parte cleri Moguntini, iterũ eligitur & conſtituitur adminiſtrator Archiepiſcopatus Moguntini, id officium geßit, & duas ita Archiepiſcopales ſedes ſimul gubernauit annis tribus. Poſtea cum ab alia Canonicorum parte alius interim Archiepiſcopus electus eſſet, qui iã confirmationẽ pontificiã etiã impetrarat, ceßit Baldouinus, Treuerenſi Archiepiſcopatu cõtentus: qui tamẽ utiliſſime præfuerat Moguntinæ ſedi, et eã multis oppidis et pagis ampliarat.

60. HENRICVS comes à Firnenburg, Bußmannus cognominatus, Præpoſitus Bonnæ: eligitur in Eltfeldo oppidulo ab aliquibus Balduuino Treuerenſi nõ admodum propicijs Canonicis, & ſtatim Romam petens à Pontifice Ioanne XXII. confirmationem huius electionis, & conſecrationem impetrauit. Ad quietam tamen Archiepiſcopatus Moguntini poſſeßionem non niſi tribus iam integris annis elapſis peruenit, anno uidelicet Chriſti 1331. à duobus Pontificijs legatis ob hãc ſolam cauſſam in Germaniam miſsis, introductus & in ſedem Archiepiſcopalem, præſente adhuc Baldouino col-

no collocatus. Præfuit quiete quidem, sed non admodum utiliter 15. annis: Baldouinum Treuerensem summe colens, à quo plurimum adiutus est in multis grauibus negotijs. Ille amisit dignitatem coronandi regem Bohemiæ, de qua supra, uenditam auro, adeo auri erat studiosus amansq; : fuit semper & amicitia & beneuolentia summa coniunctus Ludouico Bauaro contra Pontificis excommunicationem, idcirco à Clemente 6. è fastigio Archiepiscopatus Moguntini deiectus est, & exauthoratus anno Christianæ redemptionis 1346. Sed is nihil curans Pontificis contra se latã sententiam, assumens Chunonem Falckensteinensem comitem in eo adiutorem, integrum adhuc octennium, etsi satis inquiete, & periculose, tamen retinuit clauum sedis Moguntinæ: cum magna rerum totius Archiepiscopatus iactura, sacerdotes enim capiebantur, cœnobia uastabantur, templa diripiebantur, pagi incendio concremabantur, et aliarum eiusmodi turbarũ nullus erat finis. Donec tandem anno Christi 1353. euocatus est ex hac uita, in ipsa S. Thomæ Apostoli uigilia. Elegit Eduardum Angliæ regem, Fridericum postea Marchionem Misniæ: qui cum tam periculosum onus suscipere nollẽt, elegit Guntherũ comitem Schwarzenburgensem, qui mox ueneno è medio sublatus Francofordiæ in Basilica S. Bartholomæi sepultus est.

61. GERLACVS comes Anaxouianus, Adolphi Imperatoris nepos, antea Decanus summi collegij

legij Moguntini, eligitur anno Christi 1346. sed quia exauthoratus Henricus cedere nequaquam uolebat, ad quietam Archiepiscopalis sedis possessionem, nisi post mortem Henrici peruenire non potuit: id factum est tandem anno Christi 1354. Elegit cum alijs imperij electoribus Carolum 4. Imp. Ioannis Bohemorum regis filium. Post mortem Henrici, quiete præfuit Gerlacus 16. annis, tam laudabiliter ac utiliter, ut omnibus esset charissimus, obijt Lumbagine & Lithiasi, Aschaffenburgi, in die S. Scholasticæ, anno Christi 1371. Sepelitur magnifice in Monasterio Erbachiano, cum honesto uirtutum suarum Elogio.

62. IOANNES dux Lucelburgensis & Comes S. Pauli, Gallus uulgo cognominatus, filius Venceslai ducis Brabantiæ & Lucelburgi, eius uidelicet, qui frater fuerat Caroli quarti, Episcopus Argentinensis à Romano Pontifice constitutus, anno Christi 1366. præfuit ibi quinq; annis pie et honeste: postea à Gregorio undecimo, ad Archiepiscapatus Moguntini etiam gubernationem euectus est, anno Christi 1371. etiamsi clerus Moguntinus alium quendam elegisset, Chunonem uidelicet Comitem de Falckenstein Archiepiscopum Treuerensem: qui contentus sua Treueri, libenter cessit Archiepiscopo Ioanni. Præfuit Ioannes Archiepiscopus duobus tantum annis, & obijt subitanea morte apud Eltfeldum, non sine ueneni suspitione: Auehitur inde Erbachium, ac ibi honorifice sepelitur, anno æternæ salutis 1373.

63. Adol-

63. ADOLPHVS comes Anaxouianus, Gerlaci Anaxouiani Archiepiscopi supra celebrati, ex fratre nepos: Episcopus antea Spirensis, unanimi totius cleri Moguntini consensu designatur Archiepiscopus etiam sedis Moguntinæ: contra hunc Romanus Pontifex Gregorius undecimus, Ludouico Bambergensi antistiti, Marchioni Misniæ suffragabatur, et eum honorem deferri uolebat: quod & Carolo Imp. placebat. Adolphus igitur quietam Archiepiscopatus possessionem consequi non potuit, nisi post mortem Ludouici Bambergensis Episcopi. Præfuit igitur Spiræ decem annis, & anno domini 1380. resignata Spirensis Ecclesiæ gubernatione, Moguntiã ueniens, sedi isti Archiepiscopali quiete ac pacifice, nec minus laudabiliter deinde præfuit annis octo, obijt tandem Haylgenstadi, in Februario anni à nato Christo 1388. Sepelitur Moguntiæ. Carolus IIII. donauit eum (antequam decederet ex mortali uita) Pago Hochst ad mænum sito, iam non inamæno oppido, infra Francofurtum.

64. CONRADVS Baro à Weinsperg, Canonicus Moguntinus, eligitur concordibus suffragijs totius Capituli in Archiepiscopum Moguntinum, anno Christi 1388. Princeps tranquillus ac pacificus. Præfuit septem annis. Sub eius gubernatione triginta sex ciues Moguntini Waldensium fratrum sectam professi, Bingam abducti, & ibi combusti sunt. Obijt Archiepiscopus iste tandem undecima Septembrium, anno Chri-

stianæ salutis 1395. Sepelitur honorifice in Cathedrali Ecclesia S. Martini, ante aram trium Regum.

65. IOANNES comes Anaxouianus, Adolphi Archiepiscopi Germanus frater, impetrauit Archiepiscopatum Moguntinum Romæ, ubi à Bonifacio nono cõfirmatus est: contra Dominũ Godefridum comitem Lyningensem ordinarie à Clero Moguntino electum, heroem pium ac egregie doctum. Præfuit potenter & prudenter 23. annis. Erat gubernator sapiens ac callidissimus. Elegit in Imperatorẽ, deposito Wenceslao Bohemo ignauo rege: Rupertum Palatinum, anno Christi 1400. post cuius mortem iterum elegit Sigismundum Imperatorem. Aedificauit primus castrum Hochst ad Mænum, obijt 13. Septembrium, anno Domini 1419. in die S. Teclæ. Sepelitur Moguntiæ in Cathedrali Ecclesia.

66. CONRADVS comes Rhenensis, eligitur à toto Senatu Capituli Moguntini in ipsa die S. Gereonis Rudisheymij extra Moguntiam, propter tumultuantes ibi ciues: præfuit pacifice ac laudabiliter 14. annis & octo mensibus. Emit à Baronibus de Eppenstein oppidum Steinheym cum 14. pagis, multisq; aquarum & Syluarum iuribus. Postremo gubernationis suæ anno, ad arma commotus, infœliciter pugnauit contra Ludouicum Hassiæ Landgrauium, obijt decima Iunij, Anno Christi 1434. Sepelitur Moguntiæ in Cathedrali Basilica Diui Martini.

67. Theo-

67. THEODORICVS pincerna & dominus ab Erbach, eligitur Bingæ, concordibus totius Canonicorum senatus Suffragijs: confirmatur à Pontifice Eugenio quarto. Præfuit 24. annis: princeps clementia, pacis studio & multis alijs præclaris uirtutibus præcipue ornatus: uenationum tamen quàm Ecclesiasticarum ceremoniarum studiosior. Alioqui mire pomposus ac splendidus, & qui semper in Curia sua Archiepiscopali trecentos aut quadringentos equos aleret. Post mortem Imperatoris Sigismundi, elegit cum alijs Electoribus Albertum Austrium: Et iterum post mortem Alberti, Fridericum Austrium. Monasterium S. Iacobi denuo instaurauit. Sub huius Archiepiscopi gubernatione, inuenta est Moguntiæ Ars Typographica ab opulento quodam ciue Ioanne Gutenbergero: qui omnia sua collocauit in huius artis inuentionẽ & illustrationẽ. Euocatus est Archiepiscopus iste Theodoricus ex hac mortali uita in Maio, anni 1459. Aschasenburgi in urbe à se pulchre illustrata, in cuius etiã collegiata Ecclesia terræ honorifice est mãdatus.

68. DIETHERVS dominus ab Eysemburg, eligitur 10. Iulij, anno 1459. à maiori parte senatus Canonicorũ: præfuit annis tribus, non integris tamen, & in summa inquiete. Nã contra hũc elegit Pontifex Pius 2. Adolphũ comitem Anaxouiensem: ex quo Schismate multa in Germanijs bella nata sunt, et sedes Moguntina misere lacerata & distracta, irreparabilia damna

perpessa est, adeo uerum est: Discordia res maximas dilabi, Concordia uero crescere ac augeri. Sub eo occupatur ab Adolphi Anaxouiani exercitu Moguntia prodita à duobus ciuibus, Dudone et Ordeuino, idq; nocturno tempore factum est, ciuibus nihil tale metuentibus, sed secure dormientibus. Vrbs direpta est, ciues quingenti cæsi, multi capti, uirgines & fœminæ uitiatæ sunt. Dietherus fune per muros urbis demissus fuga sibi consuluit, & cymba trans Rhenum uectus, loca tuta petiuit. Postea res Francofordiæ composita & transacta est: Dietherus cessit, retenta tamen aliquot oppidorum possessione: Adolphus in Archiepiscopalis sedis gubernatione mansit annis tredecim, post factam istam compositionem. Quo ex hac uita sublato, reuocatur iterum ad gubernandam sedem Moguntinã Dietherus Eisemburgius, & septem adhuc annis quiete & pacifice, ac laudabiliter præfuit, in quibus Archiepiscopale castrũ Moguntinũ denuo ex fundamẽtis instaurauit & extruxit, quod S. Martini castrum in honorem præcipui Moguntinæ sedis patroni nuncupauit. Fundauit item et exorsus est Academiam Moguntinam primus, ad quam illustrandam & confirmandam priuilegia apud Pontificem Romanum impetrauit. Postea dyssenteria decessit septima Maij, anno Christi 1482. cum à prima ipsius electione 23. lugubres ac funesti anni præterijssent. Sepelitur honorifice in Cathedrali Ecclesia S. Martini, cum tali Elogio:

Bis præ-

Bis Præsul factus Comes Eysemberg Dietherus,
Moguntinam Arcem struxerat atq; scholam.
Hoc uoluit tumulo corpus condi miserandum,
Ciuibus æthereis dans animamq; Deo.

69. ADOLPHVS secundus: comes Anaxouianus uiolentia sese intrusit in Archiepiscopatum contra Dietherum legitime electum. Consequutus est confirmationem à Pontifice Pio secundo. Præfuit annis tredecim: Quantas & quàm pernitiosas turbas excitarit, supra dictum est in Diethero. Certũ aũt est Moguntiæ constitisse hoc Schisma, uigesies centenis millibus aureorũ. Decessit ex hac uita Eltenfeldi 16. Septembriũ, anni 1475. Sepelitur in Monasterio Erbachiano.

70. ALBERTVS Saxoniæ dux, Ernesti filius, à Diethero Eysemburgio liberaliter educatus, adolescens octodecim annorum, consilio morituri Dietheri ad Archiepiscopatus Moguntini possessionem ac gubernationem eligitur à toto Clero Moguntino, confirmatur à Pontifice Xisto quarto. Præfuit duobus annis ita laudabiliter, ut summam spem de se excitaret apud omnes bonos. Decessit acuta febri correptus, prima Maij, anno Christi 1484. Sepelitur in Basilica S. Martini. Irrogauit S.P.Q. Erfordensi insignem multam, cum propter uastatum & in urbem translatum, quoddam monialium cœnobium ex monte Ciriaci, & arcem cœnobij loco extructam, sine suo consensu: tum quòd ea Respub. aliquoties seditiones mouisset, in illu-

strem domum Saxonicam, ex qua natus erat Albertus.

71. BERTOLDVS princeps Hennebergensis, Decanus summæ Basilicæ Moguntinæ, concordibus totius Capituli sententijs eligitur in Archiepiscopum Moguntinum, eodem statim anno, quo decesserat Albertus: confirmatur ab Innocentio octauo. Et sequente anno, Maij 10. maxima pompa consecratur à Ioanne Vangionum, Ludouico Nemetum & Bertholdo Panodensium Episcopis, in præsentia plurimorum Abbatum, ac totius cleri Moguntini. Præfuit prudenter & utiliter uno & uiginti annis: erat egregie doctus, sapientißimus multisq; egregijs uirtutibus conspicuus princeps, pacis, ac tranquillitatis publicæ studiosißimus: ad quam fœlicius & facilius conseruandam, author fuit ille Maximiliano Imp. cõstituendi Sueuici fœderis, contra publicæ pacis turbatores usurpandi. Fuit Friderico & Maximiliano Imp. longe charißimus. Interfuit anno 1495. magnis Comicijs Wormacienſibus, in quibus constituendæ Imperialis Cameræ, ac iudicij ad promouendam iusticiã author fuit: ante enim istatẽpora iustitiam & ius in Aulis Cæsarum petere necesse erat, quod ut laborioſum erat, ita maximos etiam requirebat sumptus. Fuit Maximiliani Imp. per multos annos Cancellarius Aulæ, Aulam nusquam non sequens: quod officium in Comicijs Wormacienſibus resignans domum in suam sedem Archiepiscopalem conceßit: Erat seuerus reformator disciplinæ Monasteriorum,

rum, præsertim fœminei sexus. Obijt anno Christi 1505. Verollis, siue morbo Gallico, quod mali genus tum recens Germaniã peruaserat: sepelitur honorifice, & cũ summo omniũ suorũ luctu, in Summo Moguntinẽsi.

72. IACOBVS nobilis à Liebenstein, Sueuus: antea Decanus Cathedralis Basilicæ Moguntinæ, eligitur Archiepiscopus unanimi totius Cleri consensu, anno Christi 1504. confirmatur à Iulio secundo. Præfuit quatuor annis non integris, semper aduersa laborans ualetudine propter Lumbaginem, qua misere uexabatur. Interfuit Comicijs Coloniæ à Diuo Maximiliano celebratis anno Christi 1505. Obijt anno Christi 1508. Mense Septembri, sepelitur in Summo Martiniano.

73. VRIEL à Gẽmingen, nobilis heros: Sueuus, eligitur sexta Kalendarum Octobris, anno Christi 1508. ex Decano in Archiepiscopum. Is erat doctor legum, uir doctus & sapientißimus, qui prudentißime præfuit sedi Moguntinæ quinq; annis, quatuor mensibus, diebus uero duodecim, obijt tertia Februarij, anno Christi 1514. Sepelitur Moguntiæ in Basilica S. Martini. Huius Archiepiscopi temporibus mire tumultuabatur plebs Erfordiana, aduersus senatum suũ: quo tumultu concitati essent ad arma ciuilia Vriel Archiepiscopus iste, & Fridericus Elector Saxoniæ: nisi Maximilianus Imp. sua autoritate interposita, misisset Laurentium Episcopum Herbipolensem, principem prudentißimum, ad totũ hoc dißidium componendũ.

74. ALBERTVS secundus, Marchio Brandenburgensis, Ioannis Marchionis Electoris filius: Ioachimi primi, Electoris frater germanus, Canonicus Moguntinus & Treuerensis: Archiepiscopus Magdenburgensis & Germaniæ Primas, Halberstatensis item Episcopatus administrator factus, anno Christi 1513. & à Leone decimo confirmatus: Eligitur unanimi totius Capituli Moguntini consensu, in Archiepiscopum etiam Moguntinum nona die Martij, anno Christi 1514. Sic unus duabus Archiepiscopalibus sedibus simul gubernandis consensu Leonis decimi præfectus est, quod hactenus inauditum erat, & nulli unquam contigerat principi. Donatus est Galero Cardinalitio ab eodem Pontifice Leone decimo, coronatur Augustæ Vindelicorum à Thoma Cardinale tituli, S. Xisti legato Pontificio, & à Mathia Langio Cardinale Gurcensi, anno Christi 1518. Huius coronationis Pompa celebrata & descripta est à Iacobo Manlio Friburgensi, Imp. Maximiliani Historiographo. Elegit Albertus iste Imp. Diuum Carolum V. Augustißimum ipsius q; fratrem D. Ferdinandum, quibus summis terrarum orbis principibus, longè fuit ille ad finem usq; uitæ suæ charißimus. Præfuit Magdenburgensi Archiepiscopatui, & Halberstatensi Episcopatui annis triginta duobus: Moguntinæ uero sedi uno & triginta annis. Deceßit ex hac lachrymarum ualle, in Arce Moguntina 8. Kalend. Octobris, Anno Christi

1545. Se-

1545. Sepelitur in Basilica Sancti Martini Cathedrali, post summam aram sub rubeo marmore.

75. SEBASTIANVS ab Heusenstein, Hessus: Doctor legum, ac Princeps sapientißimus, eligitur in Archiepiscopum Moguntinum, in die S. Lucæ Euangelistæ, anno Christi 1545. Interfuit magnis comicijs Augustæ, anno Christi 1547. habitis à D. Carolo V. Imp. Augustißimo. Præest adhuc laudabiliter ac utilißime hoc anno Christianæ salutis 1549.

Hunc Deus immensi regnator maximus orbis.
Incolumem nobis seruet ametq; diu.
Donet eiq; sua supera clementer ab arce,
Omnia cœlestis muncra opesq; chori.
Ipsius ingenium mentemq; ille excitet idem,
Vt semper placidæ munera pacis amet.
Vtq; altercantis patriæ certamina tollat,
Et uerum oppressum non sinat esse Deum.
Vindicet æterni regnumq; & dogmata Christi:
In templis cœli sic quoq; præsul erit.
Exornabit ubi æterno diademate fidos
Pastores supera Christus in arce suos.
Christus Olympiaci genitoris filius ille,
Humani generis qui mala cuncta tulit.
Quiq; tulit mortemq; crucemq;, reconciliati
Vt nos essemus cum genitore suo.

AD VRBEM CHVRENSEM SCHE
diasma Poëtæ Bruschij.

Rhætorum uetus urbs ad aquosum condita Rhenum,
Qua coniuncta duo cornua parte fluunt.
Accipe Chura nouum (nisi sis ingrata) libellum,
Atq; tuas laudes, & decus omne uide.
Ac ducibus quibus olim ad Christi cognitionem
Veneris? æterni filia facta Dei.
Cymmerijs quæ prorsus eras immersa tenebris,
Sponsa Erebi mortis Tartareiq; Iouis.
Quæ si non curas nec uultu amplecteris æquo,
Ingrata es patribus præsulibus q; tuis.
Quicquid habes, et quicquid enim es, id scilicet omne
His debes patribus principibus q; uiris.
Qui te sic illustrarunt aris q; focis q;,
Feceruntq; aliquod nomen in orbe tuum.
Ergo hæc grata lege, et studioso pectore scripta,
Inuenies gratum quod tibi forsan erit.
Vtq; nihil uideas quod possit forte placere,
Non potes ipsa tamen displicuisse tibi.
Sæpe etenim nomenq; tuum, tua regna, tuas q;
Diuitias omnes, & tua castra leges.

Tertium

TERTIVM CAPVT continens Catalogũ omnium Curiensis Ecclesiæ Episcoporum.

EPISCOPATVS Churensis uel Curiensis, in Rhetis, unus ex uetustißimis Germaniæ Episcopatibus, cœpit circa annum Christianæ redemptionis 440. Huius primum Episcopum contendunt aliqui fuisse S. Lucium: sed numerus annorum non conuenit. Lucium hunc aliqui regio stemmate apud Britannos ortum & natum esse affirmant, conuersumq; esse ad Christianam fidem, anno Christi 176. imperante Marco Antonino. Venisse autem illum amore propagandæ doctrinæ, de filio Dei Iesu Christo, humani generis unico & solo liberatore, ex Britannia in Germaniam: ut Christũ Germanis etiam adhuc Idololatris conciona retur, & eos ad Christũ conuerteret. Id aiũt illũ primũ fecisse Salisburgi, postea Augustæ Vindelicorum: ubi cũ eijceretur ab infidelibus, dicitur Churam cũ sorore S. Emerita cessisse: ubi cum itidem Idolatricas opinio nes reprehenderet, & aliquandiu cõcionaretur Christum liberatorem: ab infidelibus tum Rhetis cæsi, & martyrio coronati sunt S. Lucius, & S. Emerita. S. Lucius Churæ in Martis castro, S. Emerita apud Trimontiũ. Alij (quorum sententia mihi uerior esse uidetur) istum primum Bauarorum ac Rhetorum doctorem, Lucium Cyrenæum fuisse iudicant.

Sima-

Simonis boni illius senis (qui Christo crucem portabat) filium. Hunc, doctrinam de crucifixo Christo, prædicasse Ratisponæ ad Danubium certum est. Inde fortassis Salisburgum, & Augustam, & Curam etiam tandem peruenit, ut supra dictum est. Est Curæ extra urbis muros cœnobium S. Lucij peruetustum, in uitifero colle sitũ, quod ab eo cæptum & Oratorij loco conditum aiunt. Episcopi uero qui Curensi sedi præfuerunt ad hæc nostra usq; tempora, hi tali serie ac ordine numerantur.

1. ASIMO interfuit Chalcedonensi concilio, Leone primo pontificatum, Valentiniano uero & Martiano Imperium tenentibus, anno domini 452. In primo Tomo Conciliorum fol. 363. fit huius Episcopi talis mentio. Ego Abundantius Episcopus Ecclesiæ Comensis in omnia suprascripta, pro me ac pro absente, sancto fratre meo Asimone Episcopo Ecclesiæ Curiensis, primæ Rhetiæ consensi, & subscripsi: Anathema dicens his, qui de incarnationis dominicæ Sacramento impia senserint.

2. PVRICIVS alijs Pruricius, secundus Curiensis Episcopus, cuius temporibus legitur S. Fridolinus fuisse Curæ, qui templum S. Hilariæ condidit, quod nunc D. Martino dicatum est.

3. CLAVDIANVS.

4. VRSICINVS, alijs Viscinus.

5. SIDONIVS.

6. EDDO: *horum omnium & multorum subsequentium sola supersunt nomina.*

7. VALENTIANVS *obijt septuagenarius 8. Septemb. Indictione 11. Sepelitur apud S. Luciũ Churæ in peructeri cœnobio, ut testatur uetus inscriptio Cryptæ eius templi: quod monumentum constituit ei Paulinus successor.*

8. PAVLINVS *Valentiani ex fratre nepos. Episcopus egregie doctus.*

9. THEODORVS.

10. VERENDARIVS.

11. CONSTANTIVS.

12. RVTHARDVS, *alibi Luithardus.*

13. BALDEBERTVS *præfuit anno Christi 720. Sub huius antistitis gubernatione cæptum & inchoatum est à S. Pirminio Monasterium Fabarianum, ordinis D. Benedicti, supra Maiæfeldum in Alpibus Rhetiæ, paululum à Rheno situm.*

14. PASCHALIS *comes Brigãtinus, Vigilij præsidis Rhetiæ filius: Episcopus Curiensis, habuit uxorẽ, Dominã Esopeiam comitissam de Rhetia alta: quæ etiam in uetustis diplomatibus nominatim ponitur, & se subscripsit Antistitam Curiensem: præsertim in fundatorijs literis uetustißimi monialium cœnobij Caczes in Tumiliasca supra Rhetium siti. Eius cœnobij fundatores fuerunt, iste Paschalis Episcopus & eius filius Victor, successor patris in Episcopatu. Prima eiusdem*

dem Abbatissa legitur fuisse Domina Vespula, Paschalis Episcopi ex Esopeia coniuge filia: cuius soror Vrsicina eiusdem loci monialis fuit.

15. VICTOR legitimus filius Paschalis Episcopi et Dominæ Esopeiæ, successit patri in Episcopatus gubernatione. Verus fundator unà cum parente suo Monasterij uirginum Vestalium in Khaczes: anno Christi 760. Terræ mandatus est in hoc suo monasterio, in quo talis legitur inscriptio. Victor Episcopus Curiẽsis unà cũ matre sua fundator huius Monasterij: & cum eo Paschalis, Episcopus Curiensis, genitor & antecessor eius.

16. VIGILIVS comes Bregantinus, Iactati comitis ac regij præsidis in Rhetia filius: successit Episcopo victori.

17. THELLO Victoris Rhetici Tyranni, qui Sanctum Placidum apud Disertinam interfici fecit, filius. Vixit Pipini Galliarum regis temporibus. Condidit & extruxit Cathedralem Ecclesiam Churiensem, quæ ad hæc nostra usq; tempora illæsa mansit ac durauit. Dotauit Disertinense monasterium. Obijt anno Christianæ redemptionis 784.

18. CONSTANTIVS successit Telloni, anno 784. Huic Carolus magnus dedit Parrochiam Selestadianam in Alsatia: quam donationem postea Imperator Ludouicus pius confirmauit.

19. REMIGIVS alijs Remedius, præfuit anno Christi

Christi 813. & adhuc anno Christianæ salutis 811. Sub Imperatore Ludouico pio.

10. VICTOR secundus, doctus & eloquens Episcopus, quod testantur suplices literæ & orationes contra Rodericum & Herloinum comites, Episcopatus quædam bona per uim tenentes, ad Ludouicum Imperatorem scriptæ, quæ adhuc extant. Hos comites, aut raptores potius ad restitutionem coegit Imperator Argentinæ, anno Christianæ salutis 815. quo obijt iste Episcopus Victor.

11. VERENDARIVS antea Episcopi Victoris Vicarius, sæpè Orator & Legatus ad Ludouicum Imperatorem missus, successit Episcopo Victori. Hunc in tuitionem suam accepit Imperator Ludouicus, anno domini 816. Deiectus est è fastigio gubernationis, anno Christi 833. à seditiosis filijs Imperatoris Ludouici, quod Ludouico fideliter adhæsisset. Restituitur post pauculos menses ab ipso Ludouico è uinculis filiorum liberato. Vixit adhuc anno domini 844. quo priuilegia à Lothario Cæsare est consequutus.

11. ESSO uel Hesso aut Heso: accepit priuilegia à rege Ludouico anno Christi 849. & iterum anno 871. Vixit adhuc anno gratiæ 879.

13. ROTHARIVS successit Essoni. Huic Carolus Crassus Galliarum rex dedit ditionem & uillam Fluminis, anno domini 881. Obijt iste Episcopus, anno Christianæ salutis 887.

14. Theo-

24. THEODVLPHVS siue Dietolphus, eligitur anno Christi 887. à Clero Curiensi: Confirmatur anno 888. ab Imperatore Arnolpho. Interfuit Triburgensi concilio prope Moguntiam ab eodem Arnolpho celebrato, anno Christi 895. Præfuit adhuc anno domini 913. quo priuilegiorum quorundam confirmationem obtinuit apud Conradum Imp.

25. VVALDO eligitur anno 914. Huic dedit Conradus rex Disertinense Monasterium in Rhetia situm. Eidem dedit priuilegia Henricus auceps, anno 921. &wormaciæ. Otho magnus dono dedit ei Pludentum oppidulum Drusianæ uallis: anno domini 940. obijt &waldo iste tandem anno 948. cum triginta annis laudabiliter præfuisset Churiensi Episcopatui.

26. HARDOBERTVS succeßit &waldoni, anno 948. confirmatur ab Othone primo, cum quo anno domini 954. reduxit in gratiam filium Ludolphum. Et cum Episcopatus his temporibus per irruptiones Saracenorũ multis damnis esset affectus: dedit Imperator Otho Episcopatui quædam bona prædia in Zizers pago & in Alsatia, obijt iste Episcopus anno domini 969. cum laudabiliter præfuisset annis uno & uiginti.

27. HILDIBOLBVS eligitur statim post mortem Hardoberti. Huic dedit Imperator Otho secundus, anno Christi 980. perpetuo poßidendam pensionem uectigalium pontis Clauennensis in Prægallia. Otho tertius dedit eidem Priuilegia, anno 988.

18. Vual

28. VVALDO *secundus, alibi* &walcho *dictus, succeßit* Hildeboldo. *Huius temporibus dono dedit* Otho *tertius Episcopatui & Eccleſiæ Churienſi totum oppidum Clauennam in Prægallia ſitum, cum omnibus ad id pertinentibus bonis ac redditibus, anno Christianæ ſalutis* 995.

29. HENRICVS *ſequutus* waldonem, *non diu præfuit. Aliqui uero Catalogi eum* Vlricum, *alij* Vrberum *appellant.*

30. RVPERTVS *succeßit Henrico. Obijt anno Dominicæ incarnationis* 1005.

31. VLRICVS *conſtituitur Episcopus Churienſis anno* 1005. *conſequutus eſt priuilegia ab Imp. Henrico ſecundo, anno domini* 1015.

32. HARTMANNVS *ſiue Artemannus, Churæ natus, Baro de Plana terra, ſucceßit Episcopo Vlrico: fuerat prius Monachus Benedictini inſtituti apud Einſidlen, & deinde Abbas Fabarianus, inde Churam accitus eſt ad gubernandã ſedem Episcopalem. Huic priuilegia dedit Conradus ſecundus, Anno domini* 1030. *& iterum Vlmæ anno Christi* 1037. *Obijt in Decembri, anni Christianorum* 1039.

33. DIETHMARVS *Churienſi Episcopatui præficitur ipſis Calendis Februarijs, anni à nato Chriſto* 1040. *Confirmatur ab Henrico tertio Vlmæ, obijt anno Christi* 1070. *cum triginta annis & laudabiliter ac utiliſſime præfuiſſet.*

34. HENRICVS prius monachus diuitis Augiæ, eligitur in Episcopum, anno domini 1070. Præfuit annis octo, obijt anno 1078. Interfuit anno Christi 1074 Concilio Moguntino, in quo excommunicabatur Pontifex Gregorius septimus: etiamsi isti Pontifici magis adhæreret quàm Imperatori Henrico quarto, contra quem cum alijs quibusdam elegit Rudolphum. Quod Henricus quartus egregie ultus est, excitans contra Episcopum Guelphones, qui anno domini 1078 Rhetiam Curiensem rapinis ac incendijs mire deuastabant, & cum multa præda in Bauariam redibant. Ob hanc acceptam cladem post pauculos menses, Henricus Episcopus mœrore animi consumptus ex hac mortali uita emigrauit.

35. NORDENBERTVS alijs Volipertus, comes à Summuntorio, Bauarus: summi prius Canonicorum Augustensium senatus præpositus, homo mire ambitiosus et gloriæ cupidus, uenit anno domini 1079 ad possessionem ac gubernaculum Episcopatus Curiensis, non per legitimæ uocationis, aut electionis ostium, sed per Simoniacæ prauitatis cuniculos, largitionibus uidelicet ac muneribus, quibus emebat uerius deprædatum Episcopatum à suis Guelphis Bauariam tenentibus, quàm precibus obtinebat. Præfuit sex annis utiliter: et in Synodo Quedelnburgi congregata, ab Hermanno Saxonum duce post Rudolphum, ab Episcopis quibusdam in Imp. electo, anno 1085. ex

Episco-

Episcopatu uicissim deturbatur. Is postea ædificans de suis monasteriũ Heppacẽse, ibi uitam finiuit anno 1087 Huic aliqui Catalogi successisse affirmant Heribertum quendam, sed eum ab Henrico IIII. mox iterũ esse ejectum: Postea Abbatem quendam Campidonensem, Eberhardum nomine aliquandiu tenuisse clauum Churiensis Episcopatus, donec tandem ab Henrico Imp. ipso, daretur & constitueretur uerus Episcopus.

36. ODALRICVS constituitur Episcopus Rhetiæ Churiensis, anno domini 1104 ab ipso Imperatore Henrico IIII. à quo eodem anno ablegatus est Romam cũ Archiepiscopis Brunone Treuerensi & Henrico Magdenburgensi: & Episcopis Othone Bambergensi, & Eberhardo Eistetensi ad impetrandam à Paschali secundo Henrici V. coronationem. Hunc Henricum V. excitauit ille postea in parentem, ex quo multa mala & incommoda grauissima orta sunt.

37. VVIDO uel Guido Sueuus & Canonicus Augustanus, successit Odelrico. Interfuit anno Domini 1114 comicijs Basilienſibus. Vbi ab Henrico V. confirmationem priuilegiorum suorum consequutus est.

38. CONRADVS comes à Bibregk, Sueuus: comitis Bertoldi à Bibregk, & Dominæ Demuthæ comitissæ à Zollern filius: Canonicus Augustanus Churiensis & Constanciensis: qui anno 1126 cum fratribus suis Bertholdo et Sifrido, Rockhenburgũ insigne præmonstratensis ordinis cœnobiũ in Sueuia fundauit &

extruxit. Is inquam Henrici quinti temporibus in Episcopum Churiensem electus & confirmatus est. Huic Lotharius Saxo priuilegiũ dedit anno 1139. Idẽ ex cœnobio Churensi S. Lucij ejectis Benedictinis monachis non admodum honeste aut pie uiuentibus, Præmonstratensibus sedem illam habitandam dedit, euocatis è Rogkenburgensi suo conuentu Monachis. Constituit autem ut S. Lucij cœnobium esset sub uisitatione & cura Roggenburgensi.

39. CONRADVS secundus succeßit Conrado comiti à Bibregk: sed quo anno, id nusquam inuenio. Consequutus is est omnium suorum priuilegiorum, confirmationem ab Imperatore Friderico Barbaroßa, Anno domini 1165.

40. ADALGOTVS Vrberus, quem aliqui Analgotum, alij Adolphum uocant, monachus prius Clarœuallensis: eligitur poßt Conradum secundum. Fuit insignis Oeconomus: & monasteriorum S. Lucij extra muros Churenses siti, Kazesium in Tumiliasca, Scandinensis in Gasternis, & S. Mariæ montis in Athesina prouincia summus illustrator. In cœnobio montis S. Mariæ inuenitur adhuc in crypta templi ab eo consecrata tale monumentum.

Præsul Adalgotus ad cuncta decentia promptus,
Consecrat hanc cryptam, diuinis usibus aptam.

41. EGINO succeßit Adalgoto, sed quo anno, id ignoratur. Hic primus Episcopus Churiensis à Friderico Bar-

rico Barbarossa princeps est salutatus & habitus, ob insignes suas uirtutes, & singularem fidem Friderico datam & fideliter præstitam. Iste Egino inuestiuit aduocatia Churiensis Episcopatus Fridericum Sueuiæ ducem, Friderici Imperatoris filium: in præsentia Henrici sexti, anno domini 1170. Obijt Egino anno 1174.

42. VLRICVS Baro à Degernfeld supra Clingenouium in comitatu Badensi, uir admodum ambitiosus, ac magnarum pomparum amantissimus: Abbas prius ad S. Gallum octo annis, consequutus est ad abbatiæ possessionem, cui 33. annis fideliter & laudabiliter præfuit, Episcopatum etiam Churiensem, à Friderico Barbarossa, anno domini 1174. Sedit Churæ octo annis: & anno domini 1182 Episcopatum resignauit, retenta Sangallensis Abbatiæ possessione, urgebatur enim à Pontifice Alexandro tertio, qui in Synodo Romæ congregata decreuerat, ne quis duas simul haberet prælaturas, si quis uero haberet, resignaret alterutram, Tandem Sangallensis etiam Abbatiæ magistratu se abdicauit, senio confectus: anno Christianæ salutis 1199. quo huic quoq; mortali uitæ Colophonem imposuit.

43. BRVNO eligitur anno domini 1182. Nihil de eo inuenio, quam has Barbaras uoces, parum Episcopauit, quibus annotator significare uoluit, non diu eum sedi Churiensi præfuisse, post pauculos enim menses à prima electione, ualedixit huic mortali uitæ, ad aliam meliorem concedens.

44. HENRICVS Canonicus Churiensis & Salisburgensis, eligitur anno Domini 1183. Huius Episcopi temporibus dono dedit et obtulit, anno domini 1194 nobilis quidam Heros Rudigerus à Lymbach in præsentia Henrici VI. S. Lucio Churiensi Parrochiam Benedurensem, iam præposituram in dextra Rheni supra Feldkirchium sitam. Is unicum filium habens, puerum eum misere amisit dormientem æstiuo tempore, in collectis aristarum manipulis, in quibus semper magis magisq; coaceruatis suffocatus perijt. Pater ignarus primum, quo peruenisset puer, uouit: quo die inueniret eum seu uiuum seu mortuum, eodē se statim omnes possessiones suas oblaturum ei Diuo, cui dies inuenti pueri esset sacra. Cum autem inueniretur in die S. Lucij, facta est ista Donatio cœnobio S. Lucij Churiensi, in quo puer terræ mandatus est.

45. REINHARIVS succeßit Henrico antistiti. Is præfuit anno Domini 1201. & consequutus est immunitates quasdam & suorum priuilegiorum confirmationem anno Domini 1209 ab Imp. Othone IIII.

46. ARNOLDVS comes Metensis siue de Amasia, præfuit Episcopatui Churiensi post Reimhariū. Sub huius antistitis conductu, profectus est Fridericus Neapolitanus & Siciliæ rex Barborossæ nepos, ex filio Henrico VI. consilijs Innocentij tertij, è Sicilia per Italiam ac Episcopatum Churensem in Germaniam, ad occupandā Imperij possessionē contra Othonem IIII. id factum anno Domini 1213.

47. Hen

47. HENRICVS comes de Rhetia alta, Canonicus Churensis: &

48. ALBERTVS præpositus Constantiæ ad S. Stephanum, per discordiam electi, altercati sunt inter se de possessiõe Episcopatus, donec in biẽnij spacio ambo morerẽtur, & ita cõtentioni imponeretur finis.

49. Rudolphus Baro à Gutingen, Abbas prius Sangallensis, largitionibus Episcopatum Churiensem impetrauit anno 1315. Cum autem infœlix esset Oeconomus, & multa cum Episcopatui tum Abbatiæ abliguriret, seuere aliquotics à suis reprehensus: Imp. Fridericum accedere, & eius opem contra suos implorare decreuerat, qui tum in Apulia bellum gerebat: sed in eo itinere, graui morbo correptus, Romæ ex hac uita emigrauit 17. Septembrium, anni à nato Christo 1126. Sepelitur apud S. Ioannem in Laterano.

50. BERTHOLdus Canonicus Constanciensis, eligitur Episcopus Curiensis, anno 1126. Præfuit 7. annis: Interficitur in Ruinsensi pago, anno Domini 1133.

51. VLRIcus comes Kiburgius, Hartmanni frater: conuentualis primũ Einsidlensis in Heluetia, præpositus postea Beronensis cœnobij in Ergouia, Canonicus Churensis, & aliquandiu Coadiutor Bertholdi Episcopi, eligitur & plene constituitur Episcopus Rhetorum, anno Domini 1133. Præfuit 4. annis, primus fundator S. Montis prope Vitudurum: obijt anno 1137.

52. VOLcardus à Nydwenburg, eligitur anno 1137.

Donatur priuilegijs anno 1139 à Friderico secundo, & iterum anno 1249. bene & laudabiliter præfuit annis quatuordecim, in quibus ædificauit Vuarde&wallum castrum in Engedinis montibus situm, & castrum Frido&w prope Zizers. Recuperauit etiam castrum Fluminis. Moritur anno domini 1251.

53. HENRICVS comes à Monte forti, eligitur anno Christi 1251. confirmatur à Conrado quarto, & iterum anno 1262. à Richardo Cornubiæ principe, Anglorum regis fratre, à quibusdam Germaniæ principibus Electoribus, designato Imperatore. Præfuit utilissime, & summa cum laude Curicensi Episcopatui, annis uno & uiginti: Emit castra, Asperi montis & Rheams: absoluit castrum Frido&w cæptum à Volcardo, Furstenouiũ uero Tumiliascæ arcem de nouo ædificans, ut et arcẽ Herrenburgũ in &werdenbergensi comitatu sitam. Vicit ingenti prælio Longobardos, anno 1255. prope superius Amisium, obijt anno gratiæ 1271. Sepelitur apud Ramusiam seu Ramuncense castrum.

54. CONRADVS Baro à Bello monte, eligitur anno salutis 1271. Præfuit annis decem: Impetrauit Priuilegia & confirmationem à Rudolpho Habspurgio, anno 1275. Extruxit arcem Furstenburgum in Athesina ualle prope fanum S. Floriani, consensu & fauore Meinhardi Austriæ ducis. Profecturus anno domini 1281. ad Synodum Moguntinam, obijt in itinere, sepelitur in cœnobio Montis S. Mariæ.

55. Fride-

55. FRIDERICVS comes de Monte forti, Vlrici Brigantini comitis, & Gulielmi Abbatis Sangallensis frater: eligitur anno 1281. Cõfœderatur Petro Episcopo Sedunẽsi in urbe Valesiana, talib. cõditionibus ut neuter alterũ desereret, quacunq; tẽpestate ingruente. Adiuuit fratrem Gulielmũ bella gerentẽ contra Rodolphum regem: at infœliciter, nam captus à &werdenbergensi comite Hugone, anno 1283. per biennium detentus est in custodia arcis &werdenbergensis, inde aliquando aufugere uolens, mappis ac lodicibus scißis, profunibus utens, & per fenestras è summa turri sese demittens, cum media iam turris parte descendisset, laceratis & confractis funibus, in terram decidit, & ea nocte adhuc expirauit. Id factum est anno Christianæ salutis 1285.

56. VLRICVS eligitur anno 1285. de hoc nihil inuenitur prorsus.

57. BERTOLDVS secundus successit Vlrico. Præfuit adhuc anno 1299. quo in gratiam rediisse legitur cum Ioanne quodam Barone de Vacz.

58. SIFRIDVS Baro de Flumine, eligitur post Bertoldum, confirmatur ab Alberto Austrio Imp. à quo & priuilegiorum confirmationem impetrauit, anno 1306. & iterum ab Henrico VII. anno Christi 1310. Is plenus dierum resignauit Episcopatum Rudolpho Montfortio, cum consensu senatus Canonicorum Churensium: ipse uero in cœnobium Geilhausen

concedens, ibi uitam monasticam agens, post pauculos menses ex hac uita emigrauit.

59. RVDOLPHVS comes Montis fortis, Episcopus Constanciensis, & Administrator Curiensis, anno 1323 & aliquot sequentibus: Arbonæ sepultus.

60. HERMANNVS Baro ab Eschenbach & Arbona, Monachus Einsidlensis, postea Abbas apud Fabariũ, tandem etiã Episcopus apud Churã Rhetiæ.

61. IOANNES auditor Rotæ in Curia Romana: præfuit annis 1317. & 1328: nihil aliud de eo habetur, quam fuisse eum amicũ cleri, et trucidatũ esse anno 1331.

62. VLRIcus à Lentzenburg, Magister Theologiæ & ordinis Heremitarum, uir strenuus, dictus Scultetus: eligitur in Episcopum Churensem, anno Domini 1332. Præfuit uiginti tribus annis, obijt anno Domini 1355 apud Sarunetium, fuit egregius bellator. Inuestiuit feudis Martisseninij castri, & pincernarum officij, Albertum seniorem, Austriæ ducem: anno 1337 in Thermis Badensibus. Emit Rietbergum castrum Tumiliascæ pro 1500 aureis à nobili uiro de Lando &c. Sepelitur in Ecclesia Churensi Cathedrali.

63. PETRVS natione Bohemus, Curialis antea Romæ: eligitur in Episcopum Curiensem, anno 1355. Præfuit 14 annis, & in Morauiam auocatus Olomuntinus Episcopus designatus est, ubi proximo anno obijt, uidelicet anno Domini 1369. Inuestiuit feudis Albertum & Leopoldum duces Austriæ, anno 1366. Huic Carolus 4. Imp. dedit potestatem cudendi obu-

los in ualore Augustanorũ Noribergæ, anno 1360, & Vectigal Churense duplicauit.

64. FRIDEricus à Neuczingen Cancellarius Leopoldi Austriæ ducis, eligttur anno 1369 in Episcopum Churiensem: ibi cum præfuisset octo pene annis, ad Brixensis Episcopatus gubernationem se promoueri facile passus est anno Christi 1376. quòd desperaret se debita Episcopatus Churiensis soluere posse.

65. IOANnes Alberti Austriæ ducis Cancellarius, eligitur anno 1377. Attulit secum in promptis pecunijs thesaurũ 8. millium aureorum, quibus multa castrare demit. Præfuit 12 annis laudabiliter, ita ut restituerit diligenti Oeconomiæ administrattone Episcopatum priſtinæ potentiæ ac dignitati, cuius res aliquandiu angustæ erant, & mirum in modũ afflictæ. Sub hoc Episcopo cæpit cœnobiũ Vallis Dominarũ uicinũ Feldchyrchio, tũ aureum Molendinũ appellatum. Decessit ex hac lachrymarum ualle, anno 1389. Sepelitur in Basilica Cathedrali cum longo Elogio, parieti affixo.

66. HARTmannus comes de Werdenberg, dominus Sarunetij: antea ordinis Ioannitarum: eligitur in Episcopũ Churẽsem, anno 1389. præfuit 16. annis. obijt Churæ anno 1416, ubi etiam sepultus est. Erat contentiosus & bellator. Sub hoc Episcopo dono dedit Churiensi Ecclesiæ perpetuo possidendam totam uallem Telinam, in qua nascuntur,

O toties laudata tibi dulcissima uina
Rhetica, ab Augusto Liuia bella tuo:

Com-

Communitatẽ item in Burmio, & communitatẽ in Bu
ſclaſio, caſtrum item & Oppidum & totam uallem
Clauẽnam & Plurium, cum omnibus ad hæc loca om-
nia pertinentibus iuribus ac bonis: anno Chriſti 1404
nobiliſſimus heros Modeſtinus Vicecomes, Barnabæ
Mediolanenſis filius. Ab hoc ipſo Epiſcopo accepit
in feudum Erneſtus Auſtriæ dux officium Pincernæ
Churenſis, & totum comitatum Tyrolenſem, anno do
mini 1415. ſicuti antea acceperant ab Vlrico Epiſcopo,
duces Auſtriæ Fridericus, Albertus et Otho. Redegit
Hartmannus iſte in poteſtatem Epiſcopatus multas ar
ces, Ramuncenſem, Griffenſteinium: item Haldenſtei-
nium caſtrum quod prope Churam in ſiniſtra Rheni,
& in ſublimi ac quaſi pendente ſcopulo (unde nomen
arci contigit) ſitum, olim dominæ Annæ ab Halden-
ſtein erat, nunc uero ſtrenui ac magnifici Galliæ re-
gum, ad Rhetos Oratoris, Ioannis Iacobi Caſtilionei
ſedes ac domicilium, qui hac tempeſtate arcem ibi ædifi
cat, futuram ſpectaculum non Rhetiæ ſolum, ſed to-
tius ſuperioris Germaniæ: de qua ego ſuperiore anno
(cũ in Rhetia eſſem) ſic luſi, cõplectens Tetraſtycho
numerũ anni, quo uidiſſem extrui tã inſigne caſtrum,
oĩm Rheticarũ prouinciarũ incõparabile ornamentũ.

PenDentIs petræ has ſIbI CaſtILIoneVs æDes
Pro tota ſtrVXIt poſterItate ſVa.
FranCIſCI In Rhætis Oratorregis, & Heros
FortVna, CLarIs rebVs & enſe potens.

67. Ioannes

67. IOANNES Abundi, dictus Naſo, eligitur in Epiſcopum Rhetiæ Churienſis anno Chriſti 1416. Præfuit uiginti quatuor annis. Interfuit concilio Conſtancienſi: inchoauit confœderationem cum Heluetijs, anno Chriſti 1419. Obijt anno 1440. Ab hoc Ioanne Epiſcopo petijt feudorum collationem, & inueſtituram Fridericus Auſtriacus: anno 1416.

68. CONRADVS à Rechberg Sueuus, matre comitiſſa de Sarunetio æditus: præpoſitus Conſtantienſis, deſignatur Epiſcopus Churenſis anno 1440. Præfuit quatuor annis, & reſignans Conſtanciam ad ſuam præpoſituram redijt.

69. HENRICVS Baro ab Heuḋen: Epiſcopus antea Conſtancienſis, aſſumitur ad gubernãdam etiam Rhetiam Churienſem anno domini 1444. Præfuit Churenſi ſedi 10. annis, Conſtancienſi uero 36. Deiectus eſt à Churienſi Epiſcopatu anno 1454. Inueſtiuit feudis officij pincernarum, & comitatus Tirolenſis, anno 1446 Sigiſmundũ Auſtriæ Archiducem. Obijt tandem Conſtantiæ anno domini 1471. ubi etiam terræ mandatus eſt in ſacello à ſe fundato. Hîc aliqui Anthonium quendam à Pontifice miſſum & Epiſcopatui intruſum narrant, ſed ille non eſt receptus, ergo iſti Catalogo non immiſcendus.

70. LEONHARDVS prius Auſtriæ ducum Cancellarius eligitur anno redemptionis humanæ 1454. Præfuit quinq; annis, obijt anno domini 1459.

Sub

Sub hoc Episcopo nihil memorabile gestum aut actum est: Nisi quod totum oppidum Maiæfeldum incendio perijt tam tristi & calamitoso, ut tres tantum ædes priuatæ cum castro & Ecclesia Parrochiali manserint illesæ: Id factum est in die undecim millium uirginum, anno salutis 1458.

71. ORTLIEBO Baro de Brandis, eligitur anno 1459. Præfuit triginta duobus annis, obijt anno domini 1491. Is inuestiuit feudis officij Pincernarum & prouinciarum ad comitatum Tyrolensem pertinentium Sigismundum, Austriæ Stiriæ & Charinthiæ ducem, anno domini 1460. Sub eius gubernatione perijt incẽdio, et cõflagrauit tota Chura, anno 1464. exceptis tribus Monasterijs, uirginũ in Curia Episcopali, D. Lucij extra muros, & S. Nicolai Dominicastrorum ordinis in infima parte urbis siti.

72. HENRICVS sextus, Baro ab Heudwen, eligitur anno 1491. Præfuit 11. annis, cum summa difficultate & resignauit, & paulo post, obijt Furstenbergi anno domini 1530. Sepelitur in media pene Basilica Churiensi marmoreo & sublimi Mausoleo.

73. PAVLVS Zigleras à Ziegelbergo, Dominus Barrij: Germanus frater Nicolai Zigleri, eius uidelicet qui Maximiliano Imperatori à Secretis fuit. Præfuit Episcopatui Churensi inter maximas difficultates ac subditorum suorum molestias & iniurias infinitas annis 38. in quibus multa indigna perpessus est à seditiosis

tiosis suis, & rebellibus rusticis, quorum furori tandem cedens ad Furstenburgum Athesinæ prouinciæ arcem secessit, ubi mœrore confectus, subitanea morte tandem ex hac uita emigrauit, anno domini 1541. uicesima quinta Augusti. anno domini 1516. accepit ab eo inuestituram feudorum officij pincernarum, & comutatus Tirolensis Maximilianus Imperator. Hic obiter sciat lector Austriæ Archiduces esse Pincernas, dominos de Marmoribus Marsallos, Comites Metenses uel Amasios Dapiferos fuisse Episcopatus Churensis. Hodie uero Dapiferorum & Camerariorum officium confert Episcopus suo arbitratu, cui familiæ uoluerit.

74. LVCIVS Iter, nobilis Rhetus: artium Philosophiæ Magister Colonienſis, de quo non incommode dicere quis posset, uetus illud Poëtæ:

Ingenio magnus, corpore paruus erat.

Præpositus antea Basilicæ Churensis, eligitur quinta Octob. anni à nato Christo 1541. in Episcopum Churæ Rheticæ & Rhetiæ Churensis. Accepit priuilegia à rege Ferdinando 17. Februarij, anni 1543 Noribergæ. Consecratur à Ioanne Constanciensi Episcopo Morsenburgi in præsentia Abbatum &wingartensis ac Petershusani undecima Ianuarij, anno Christi 1545. Præsidet adhuc hoc anno Christi 1549. Ab eo accepit inuestituram feudorũ Diuus Ferdinandus Rom. Hungariæ & Bohemiæ rex, Diui Caroli V. Imp. frater, anno domini 1548. Extruxit inter multa alia quibus arcem Episcopalem

scopalem

ſcopalẽ, inſigniuit magnificas etiã ædes pro præpoſito Andrea de Salicibus optimæ ſpei, & expectationis adoleſcentulo, qui eſt Epiſcopi Lucij è ſorore nepos, filius magnifici & longe clariſsimi Capitanei Domini Antonij de Salicibus. De his ædibus in gratiam Epiſcopi ſuperiore anno inter cætera ſic luſi.

SIC fIerI has PræſVL GrIſæVs LVCIVs æDes,
AnDrææ VoLVIt SaLICInIs ſtIrpIbVs orto.

In hoc diſtycho eſt annus à nato Chriſto 1540. quo extructa eſt Præpoſitura illa Churenſis ab antiſtite Lucio: Tantum de Churenſibus Epiſcopis.

AD VRBEM CONSTANTIENSEM: Elegidion Bruſchij.

Tu quoq; Diua, tuas Vrbs nobilis accipe laudes,
Quæ Conſtantininomina priſca geris.
Inter utrunq; lacum ad ſpumantem condita Rhenum,
Auſtriadum quæ nunc diceris eſſe ſoror.
Accipe Pontificum cum res tum facta tuorum,
In gremio geſtat quos liber iſte ſuo.
Quos illuſtratos tibi ad uſq; hæc tempora nunquam,
E ſqualente ſitu profero primus ego.
Vt poſsint intra non tantum mœnia, templis
Inq; tuis, ſed apud nos & ubiq; legi,
Inuenies uero hîc, quo tempore cæperis ipſum
Agnouiſſe tuum qui regit aſtra Deum.

Et do-

Et dominum ducibus quibus illum agnoueris ipsum,
Per cuius meritum turba redempta sumus.
Inuenies, quis condiderit tot templa tot aras,
Quis q; tibi tantas conciliarit opes.
Quod q; legis nunc hæc in paruo & plura libello,
Acceptum id referas scilicet omne mihi.
Quem tibi si charum pacicre Vrbs nobilis esse,
Mox ornabo libro te grauiore: Vale.

QVARTVM CAPVT
de omnibus Episcopis Constancienſibus.

CONSTANCIENSIS Episcopatus non Constantiæ, sed in Ergouia apud ueterem Vindonissam cæpit, in confluxu Limagi Araris ac Rusæ, insignium fluuiorum: sub Clodouæo Galliarum rege, primo ad Christum conuerso, & S. Remigij manibus baptisato. Eius gubernatores ac Antistites ad hæc nostra usq; tempora hi numerantur.

1. S. PATERNVS.

2. S. LANDO: Hos nominat Petrus de Natalibus in suo Diario.

3. MAXENTIVS.

4 BVBVLCVS seu Boulco. Is interfuit Concilio Epaonensi, quod celebratum est, annum Christi circiter 498. ibi sic se subscripsit, Bubulcus Episcopus Vindonissensis.

5. GRAMMATIVS: interfuit Concilio Aurelianensi, in Gallijs celebrato, anno domini 546. Is se etiam subscripsit Episcopum Vindonissensem.

6. S. MAXIMVS uel Maximinus. Vixit Clotarij secundi, & Dagoberti magni, patris scilicet, & filij, potentißimorum Galliæ regum temporibus. Et hunc Clotarius rex transtulit è ueteri Vindonissa in regiam Villam Constanciam, à Constancio primo, Imp. Aug. extrui cœptam: id factum circa annum Domini 570. Sic Maximus iste ultimus Vindonissensis, & primus Episcopus Constancienſis dici potest.

7. RVDOLPHVS alibi Rudilo dictus.

8. VRSINVS.

9. GAVDENTIVS qui obijt anno Christi 618.

10. MARTINVS ab aliquibus Martianus, ab alijs Marianus dictus: Huius temporibus circumscripsit certis suis limitibus Dagobertus Episcopatum Constancienſem, ut habetur adhuc in Bulla Friderici Barbarossæ. Huic dedit etiam idem rex multa insignia priuilegia, quibus hodie adhuc utitur Ecclesia Constancienſis. Id factum est anno Christi 633.

11. IOANNES, propter summam uitæ innocentiam Beatus appellatus, patria & gente Rhætus Churienſis:

rienſis: diſcipulus S. Galli Scoti Heremitæ, & concionatoris accolarum lacus Acroniani, qui cum ipſe ad gubernationem Conſtancienſis Eccleſiæ uocarctur, honorem oblatum humillime deprecatus, hunc Ioannem chariſsimum ſuum amicum ac ſodalem ipſe in urbem ducens, Eccleſiæ commendauit, in præſentia Athanaſij Nemetũ, Theodori Auguſtudinenſis, et Alberini Lugdunenſis Epiſcoporum: item Gunzonis ſiue Cunzonis Sueuorum ducis, reſidentiam ſuam, tum Vberlingæ ad lacum Acronianum habentis. Hæc introductio & electio Epiſcopi Ioannis facta eſt anno 650.

12. OBHARDVS Boſſo cognominatus.

13. PICTAVIVS. 14. SEVERVS.

15. ASTROPIVS. 16. IOANNES ſecundus: hunc alij Haunum appellant.

17. RVFFO alijs Buſo dictus.

18. AVDONIVS. Huius meminit Hermannus contractus, obijt anno Domini 736.

19. ERNFRIDVS alijs Anefridus eligitur anno 736 à rege Carolo Martello. Erat prius Abbas Diuitis Augiæ in lacu Veneto, eius cœnobij gubernationem retinuit etiam cum Epiſcopatu, conſenſu Caroli. Præfuit Epiſcopatui 10. annis & obijt anno 746.

20. SIDONIVS uel Sinodius accepit baculum paſtoralẽ anno 746. Præfuit 14. annis, obijt dyſenteria: in templo Sangallenſi, anno 760. Homo ambitioſus & auarus: Tenuit etiam Abbatiam Diuitis Augiæ:

Ac ut Sangallensem quoq; consequeretur, nihil intentatum reliquit, tam diu, donec S. Othmarum pium Abbaciæ Sangallensis gubernatorem capi & in uincula conijci curaret: cuius Tyrannidis confirmatores, & quasi satellites erant &warinus & Ruthardus comites Altorffenses, &welphorum siue Catulorum appellatione noti. His tẽporibus liberalißime donauit Ecclesiæ, Solæturrensem in Heluetijs, Colmariensem in Alsatia, & Constanciensem, Domina Bertrada Pipini Gallorum regis coniunx, Caroli Magni mater.

11. IOANNES monachus Diuitis Augiæ, successit Sidonio in gubernatione non Episcopatus tantum, sed & utriusq; abbatiæ, cui Sidonius etiam præfuerat: electus & confirmatus à rege Pipino. Præfuit sapienter ac utiliter annis pene 11. obijt anno Domini 781. Sepelitur in Diuitis Augiæ sacello D. Chiliano dedicato. Post hunc Ioannem ponunt aliqui Catalogi tres alios Episcopos Constancienses Gangolphum, Fidelem & Theobaldum, sed numeri annorum non conueniunt, nisi forte isti tres uno anno ex hac uita emigrarint omnes. Nec meminit horum Hermannus Contractus, ergo & hoc loco omittendos duxi: Præter nomina enim nihil etiam de ipsis extat.

11. EGINO eligitur anno Domini 781. Præfuit annis 31. obijt anno gratiæ 813. Is etiam flagrans habendi cupidine, statim monasterij Sangallensis Abbati &waldoni grauiter insidiatus est. Reliquit post se crucem

habentem

habentem puri auri 50. marcas, argenti uero 35 & pre cioſiſſimas gemmas, cum hac inſcriptione:

Hoc tropheum Chriſti Egino pro luce perenni,
Virgo Maria tuo ſacro dicauit honori:
Cui prece quæſo tua tribuantur regna Polorum.

Hæc crux poſtea anno Domini 1476 ab Epiſcopo Hermanno de Landenberg aucta & renouata, & tota aurea facta eſt, cum tali inſcriptione:

Hæc crux, argento tribuit quam præſul Egino,
Auro commutata datur, nunc ſic renouata.

13. VVOLFOLEON Eginonis Epiſcopi ex fratre nepos, Monachus antea Sangallenſis, qui Epiſcopus factus, nõ minus fuit iniurius Sangallẽſi abbatiæ, quam fuerat Egino: ſed qui cum ſummo tandem dedecore quieſcere cogebatur à Ludouico Pio. Præfuit Conſtanciæ annis 18. obijt anno Domini 831. Sub eo ædificari cæptum eſt Monaſterium Radolphinæ Cellæ, à Radolpho Epiſcopo Veronenſi, qui patria gente Alemannus fuit. Stumpfius Heluetiorũ Chronographus, hîc Theodorum quendam inſerit, qui Baſilicam Tigurinam à Carolo Magno fundatam conſecrarit: illum ego nõ Epiſcopum, ſed Suffraganeum fuiſſe arbitror: Catalogi enim ueteres non habent eum.

14. SALOMON primus, uir pius mitis ac pacificus & bonus gubernator, eligitur anno domini 831. Præfuit ſumma cum laude annis 41. obijt anno domini 873. Conſtruxit antequam deſignaretur Epiſcopus, col

legium regularium Canonicorum in honore S. Stephani, in pago suorum parentum, à se Salmonsach appellato. Id Collegium postea Episcopus factus ex Thurgouia in urbem Constancien sem transtulit, in Parochiam S. Nicolai, quæ iam S. Stephani Cathedralis Basilica, ab hoc Salomone sic dicta et constituta est. Is idem Salomon primus fundator & monasterij, & oppidi, quod Episcopi Cellam uocant, celebratur: in quo frequentius quàm Constanciæ habitasse dicitur. Ad hunc scripsit Epistolam Pontifix Max. Nicolaus primus, quæ extat in Decreto Cap. Scisciatur &c.

25. BATHEGO succedens Salomoni, præfuit quatuor annis, quibus maxima fuit annonæ difficultas. Obijt anno Christianæ salutis 877.

26. GEBHARDVS electus est post Bathegonem, anno Domini 878. Præfuit quiete quatuor annis: uir pius & religiosissimus: postea cum Nortmanni & Galliæ & Germaniæ extremam minitarentur uastationem, ipse etiam pio affectu tuendæ patriæ, & pugnandi pro aris & focis cum alijs principibus ad arcendos & prohibendos eiusmodi grassatores à Germania, profectus: ab hostibus infidelibus captus, & trucidatus est, anno Christi 885.

27. SALOMON secundus, Gebhardo Martyri Dei subrogatus est anno Christi 885. Præfuit sex annis. Obijt anno Domini 891, Sub hoc Episcopo Imp. Carolus Crassus ab omnibus principibus suis desertus

Arnol

Arnolpho ab ipsis electo cedens, abdicauit se Magistratu Imperij, & in summa postea paupertate uiuens, uix demensum habuit: At non diu in tali egestate uixit, nam anno Christi 888 à quodam ministro suo, in pago Neydingen ad Danubium sito interfectus, inde in Augiam diuitem auectus, & in choro maioris Ecclesiæ prope aram Diuæ Virginis terræ honorifice mandatus est.

28. SALOMON tertius comes uel Baro à Ramschwag, cuius familiæ hodie adhuc nobiles heroes in Rhetia habitant, Diuo Ferdinando regi à summis consilijs: Is primum Monachus Sangalli fuit, nam castrum Ramschwag, in quo natus erat, non procul abest à Sangallo, etiamsi uastatum nunc sit, & tantum rudera ac uestigia quædam eius appareant. Institutus ab Isone insigni quodam & doctissimo Sangallensis monasterij professore liberaliter, doctus etiam euasit ipse, ita ut sint adhuc in Sangallensi et Constanciensi Bibliothecis libri, latine ab eo scripti. Ex monacho factus est Imperatoris Ludouici secundi Sacellanus, post cuius mortem sequentibus etiam Imp. quatuor seruiuit, quibus omnibus longe charissimus fuit: præcipue uero Arnulpho Imperatori ita charus erat, ut ille eum duodecim Monasteriorum (inter quæ erant & Sangallense & Campidonense) amplissimum Abbatem constitueret: quibus omnibus summa sapientia & pietate præfuit. Constituitur ergo ab

Arnolpho Imperatore Episcopus etiam Constanciensis, anno Domini 891, ubi unanimi totius cleri consensu cum summo gaudio acceptus est: Præfuit ibi 29. annis, & laudabiliter & utiliter. Donauit & illustrauit liberalissime ac copiosissime Ecclesiam Cathedralem, multis aureis et argenteis clinodijs, plurimis item optimis libris, preciosissimis uestibus, pagis item integris & annuis prouentibus maximis. Impetrauit item non ueterum solum, ab Imperatoribus priuilegiorum confirmationem, sed & noua priuilegia, præsertim à Conrado Saliquo. Erat procera corporis statura, formosa facie, & optimis moribus præditus: mitis, clemens, benignus & hospitalis erga pauperes, facundus & eloquens, & qui ipse quoq; sæpissime è suggestu ad populum concionari solebat. Auaritia & superbia nunquam in eo animaduersæ sunt. Vrbem Constanciensem maxime ampliauit & locupletauit, nam eò transtulit ut in natura munitum locum tempore Hunnorum irruptionis in Germaniam, totum circumiacentis prouinciæ clerum: Quod sub Ludouico tertio factum est. Anno domini 914. à Bertholdo & Erchingero Sueuiæ ducibus captus, & in castrum Algouiæ Theobaldisburgum (cuius nominis mons Lindauio uicinus est) abductus, aliquandiu ibi detentus est: Quæ Tyrannis seminarium fuit multorum dissidiorum & max morum tumultuum, & aliqui duces propterea capite multati sunt à Cõrado Saliquo Ro. Imp.

Vale-

Valedixit tandem isti mortali uitæ, & ad æternam con
cessit anno redempti orbis 919 in die trium regum: Se
pelitur cum maximo suorum omnium luctu in dextra
Cathedralis Ecclesiæ Constancienſis.

29. NOTINGVS quem aliqui comitem Veringen
sem fuisse autumant, quorum opinioni tamen aduersa
tur Insigne Notingi: at Veringensibus comitibus san
guine coniunctum fuisse credibile & ueri simi lius est.
Is concordibus totius cleri Constancienſis suffragijs è
Sangallensi monasterio, ad Episcopatus gubernatio
nem euocatus est, statim post mortuum Salomonem.
Præfuit autem 15 annis optime ac utilissime: erat Epi
scopus eximie doctus, qui & soluta & ligata oratio
ne plurima scripsit, & omnes Euangelistas commenta
rijs illustrauit. Fuit idem etiam multarum insignium
cantionum author, quarum adhuc usus est in Constan
ciensi Ecclesia. Fuit Pædagogus sequentis Episcopi
S. Conradi. Obijt tandem anno incarnati uerbi 935. Se
pelitur in Summa Basilica Constancienſi, in præsentia
consanguinei sui S. Vlrici Episcopi Augustani, qui in
dicto uniuersæ ciuitati triduano ieiunio, curauit publi
cas ad Deum preces fieri, ut is populi sui misertus da
ret iterum eiusmodi pium Episcopum, qualis fuisset
Notingus: quem aliqui Notingerum appellant.

30. S. CONradus patre Henrico comite Altorffen
si natus, matre uero comitissa Bauarica ab Hohen
&wart siue Summuntoriana: in &weingartensi cœnobio

perueteri sepultis : à Notingo Episcopo educatus, & liberalißime institutus post præceptoris ac alumni sui mortem unanimi totius cum cleri tum populi Constancienſis consensu postulatur, & eligitur anno 935. Præfuit summa cum laude annis 42. In quibus Constanciam plurimis præclaris ædificijs ac templis egregie illustrauit, omne suum patrimonium in hoc unum studium conferens. Construxit templum S. Ioannis, Parrochialem Ecclesiam S. Pauli, tum adhuc in suburbio sitam: Sacellum D. Mauricij, magnificum item pro pauperibus & peregrinis Xenodochium. Ter profectus est ad terram Sanctam, semper fœliciter & incolumi corpore reuersus. Fuit ei arctißimum necessitudinis & amicitiæ uinculum cum S. Vlrico Episcopo Augustano. Aedificauit extra & paululum infra urbem ad Rhenum, Gotliebenium castrum: obijt tandem plenus dierum postridie S. Catharinæ, anno Domini 976 Othone secundo Imp. Rom. præsidente. Sepelitur sub dio, prope Sacellum S. Mauricij à se conditum, ita enim sepeliri uoluerat: ubi diu miraculis claruisse dicitur. Huic tumulo postea pietatis studio superædificauit elegans sacellum: Reuerendus Dominus Vlricus à Reichental, Canonicus Constancienſis.

31. GAMINOLPHVS succeßit S. Conrado, præfuit bene & laudabiliter 4. annis, & ualedixit uitæ mortalium anno Christianæ salutis 980.

32. S. GEBHARDVS secundus huius nominis,

alijs

alijs Eberhardus tamen dictus, comes Brigantinus, Vthonis ex Domina Dietburga filius, post mortem matris ex utero cæsus: uir doctus, pius ac facundus, eligitur anno Domini 980. Præfuit laudabiliter annis sedecim: Obijt anno 996. Sepelitur Petershusij in monasterij Benedictini à se fundati, & in quinquennij spacio constructi tẽplo, sub ara maxima, quæ est ante chorum. Multa cõtulit ad Episcopatũ. Fundauit Collegiũ etiam Canonicorũ Zurzachij, suis proprijs pecunijs, quod etiam certis annuis prouentibus dotauit.

33. LAMbertus monachus Petershusanus, imprimis religiosus & honestus Dominus: eligitur Episcopus Constanciensis uno omnium Canonicorũ ore, anno 996, præfuit prudenter et utiliter 13. annis, obijt Phtiryasi anno 1009. Huius Lamberti temporibus, uixit in Sangallensi cœnobio Hermannus Contractus, comes Veringensis, & wolferadi ex Hiltrude filius, monachus eximie doctus: Poëta, Orator, Astronomus, Musicus et Chronographus insignis: cuius tenerrima et in cinerem iã resolui incipiẽtia ossa mihi superiore anno ostendit, ampliß. ac doctiß. uir Ioannes & wernherus à Rischach, ordinis Teutonicorũ Prouincialis cõmendator per Baliuiã Alsatiæ, Alschẽhusij in Sueuia habitãs, et omnis generis optimos libros summo studio cognoscẽs.

34. RODHARDVS alijs Richardus succeßit Lamberto electus à toto clero Constanciensi: præfuit 4. annis, S. Henrico Imp. tam charus, ut fere semper eum

secum

secum haberet in aula sua regia. Cumq; Imperator coronam Imperij & benedictionem Romæ petiturus in Italiam proficiscereturſequuti sunt eum etiam, Episcopus Ruthardus & Abbas Sangallensis Burcardus. Cum autem Imperator & Saracenos in Italia ingenti prælio uicisset, ex omniq; Italia eiecisset, & Imperij coronam & benedictionem à Pontifice Maximo Benedicto VII. accepisset, & in Germaniam iam redire statueret: correptus est exercitus Imperatorius dira peste, quæ cum late grassaretur, nec cuiquam parceret Rothardus etiam Episcopus, & Burcardus Abbas è medio sublati, & Imperatoris iussu in Italia honorifice humati sunt anno Domini 1013.

35. HAYMO eligitur statim post auditam & perceptam mortem Rodhardi, præfuit pie & laudabiliter summa cum prudentia annis 13. Obijt paralysi anno Domini 1026. decima octaua Martij. Is post mortem Henrici Claudi, Electores Imperij incligendo nouo rege uehementer discordes, quosdam alios etiam grauiter tumultuantes, ad pacem & tranquillitatem exhortatus, authoritate sua facile etiam persuasit.

36. VVARMANNVS comes Dillingensis & Kiburgius, Diuitis Augiæ monachus, substituitur mortuo Haymoni anno domini 1026. Erat insigni doctrina & sapientia præditus, ita ut commendaretur ei erudiendus Hermannus dux Sueuiæ: præfuit ille sapienter & utilissime octo annis, Decessit ex hac uita

anno

anno Christianæ salutis 1034. Sepelitur Constanciæ.

37. EBERHARDVS comes à Dillingen & Kiburgk, Germanus frater Episcopi Adalwarmanni, præficitur Episcopatui anno domini 1034, bene et laudabiliter præfuit annis 11. Sub eius gubernatione Comitia habita & celebrata sunt Constantiæ ab Henrico tertio Conradi Saliqui filio: anno domini 1044. in quibus talis ab eo pax constituta est inter omnes Imperij principes ac status, qualis nulla postea fuit in Germania. Sequutus est Episcopus iste anno domini 1047 Henricum Imperatorem proficiscentem in Italiam, ut Schisma inter tres Pontifices ortum tolleret & componeret: quod cum ita factum esset, & Imperator Adalwigerum Episcopum Bambergensem Romanæ Cathedræ præfecisset, isq; Henricum Imperatorem eius q; coniugem Dominam Agnetem coronaret in natali Domini: obijt eodem die Episcopus Eberhardus subitanea morte, qui mox cum summis honoribus terræ mandatus est, Sub S. Petri porticu.

38. THEODORICVS Cancellarius prius & Archisacellanus Henrici Imperatoris, præpositus item Aquisgrani & Spiræ: eligitur post fata Eberhardi, anno 1047: confirmatur ab Imperatore Henrico tertio, cui longe erat charissimus: afflicta ualetudine prædictus. Præfuit 4. annis: Pecijt Romam consulendi Pontificis ergò, in ardua quadam caussa & graui controuersia. Inde cum rediisset, decessit ex hac lugubri ad

lætiorem uitam 22. Iunij, anno salutis Christianæ 1051. Sepelitur in S. Stephani Basilica Constanciensi.

39. RVMOLDVS alibi Grimoldus, præpositus antea Goslariensis in Saxonibus. Eligitur iussu Imp. Henrici tertij, anno salutis 1051. Præfuit annis 17. Erat homo natura paulo contentiosior, alioqui pietate & animi dexteritate eximia præditus: Henrico tertio ita charus, ut unicam filiam suam ei traderet, & conerederet erudiendam & educandam tam diu, donec illa,

Iam matura uiro iam plenis nubilis annis:

sine cum parentum tum Episcopi consilio uel consensu nuberet Sueuorum duci, Rhinfeldiæ ac Habspurgi comiti Rodolpho. Sub hoc Episcopo concidit anno domini 1052. Summum templum Constanciense, quod ab hoc Rumoldo egregie, & pulchrius, & fortius quàm antea instauratum, & exædificatum ac consecratum est. Extat in Decreto epistola ab Alexandro secundo ad hunc Episcopum (quem Grimoldum uocat) scripta Cap. Sollicitudo. Distinct. 52. Obijt anno 1069. Sepelitur honorifice ac magnifice in noua Basilica à se restituta. Sub hoc Episcopo, obijt anno Christi 1052 Domina Hildrudis Wolfenradi comitis Veringensis coniunx, Hermanni Contracti Historiographi mater: in Alleshusan pago ad lacum Buchouiensem duobus pene milliaribus à Biberaco sepulta.

40. CAROlus gente Thuringus, Canonicus Magdeburgensis, ab Henrico 4. rege constituitur aut intruditur potius sine Capituli consensu, anno 1069. Is initio

ſuis Canonicis charus erat, nã inſigni ſapientia & morum ſuauitate, egregia item corporis ſtatura ac uultus gratia præditus, ſed

Cum nihil omnino ſit ab omni parte beatum: iuſto erat auarior, & qui Simoniacis negotiationibus ſua potius, q̃ ſuæ Eccleſiæ commoda quærebat. Accuſatus ideirco à Canonicorum ſuorum ſenatu Romæ apud Pont. Alexandrum II. iuſſu ac mandato eius Moguntiam uocatur, ubi in congregata Synodo, præſente Henrico 4. qui defenſurus Carolum, cum eo Moguntiam deſcenderat, exauthoratur: cũ præfuiſſet 2. annis. Id factum eſt anno 1071. Menſe Aug. Reuerſus igitur Magdeburgũ eiuſdem anni 27. Decemb. mœrore animi conſumptus, ex hac mortali uita emigrauit. Meminit eius Lãbertus Schaffnaburgius in explicatiõe anni 1071

41. OTHO Canonicus Goslarenſis in hac ipſa Synodo Moguntina, exauthorato Carolo ab Henrico quarto ſubſtituitur, qui habebat eum ſecum Moguntiæ: Ordinatur igitur, confirmatur et conſecratur mox in præſentia Regis et conuocatorum Epiſcoporum à Sigefrido Archiepiſcopo. Poſt conſecrationem ablegauit eum rex Conſtanciam, dicens familiaribus ſuis: Conſtancienſes noluiſſe retinere ſapientia & doctrina inſtructum Epiſcopũ (Carolũ innuens) haberent ergo iã fatuũ iſtum. Præfuit 3. annis & Gregorij VII. mandato ejicitur ex gubernatiõe, eo q̃ Henrico 4. fideliter adhæreret, et q̃ ſe eidẽ Pontifici oppoſuiſſet in aſſerẽdo ac

defenden

defendendo ſacerdotum coniugio. Deturbatus itaq; & eiectus per Rodolphum Sueuiæ ducem, Rom. regem eius q; aſſeclas, Hermannum ducem Saxoniæ, & Bertholdum Marchionem Zeringenſem Pontificij ſui minis executores, Baſileam concedens, reliquum uitæ ibi abſoluit: ubi & mortuus & terræ mandatus eſt. Huic exulanti dedit Henricus quartus Epiſcopatum Cilimbrenſem, quem tamen nec uidit nec poſſedit. Conſtanciam uero miſit, idem Henricus quartus primum Rupertum quendam, poſtea Bertholdum, ſacellanos ſuos ad gubernandum Epiſcopatum, ſed neuter horum à clero receptus: aut diu retentus eſt. Sex annis tamen ſibi inuicem ſuccedentes, per uim, aliqua Epiſcopatus parte potiti ſunt, poſtea iterum eiecti, non quod clero Conſtancienſi adeo inuiſi eſſent, ſed propter inimicitias & inteſtina bella quæ erant inter Imp. Henricum quartum, & Gregorium ſeptimum Pontificem.

41. GEBHARDVS tertius huius nominis, dux Zeringenſis, & ntonachus Hirſaugienſis ita diligenter commendatus eſt Senatui Canonicorum Conſtancienſiũ ab Abbate Hirſaugienſi Gulielmo, ſub quo diu ſanctiſſime uixerat, et à Bertholdo Zeringẽſi duce fratre ſuo: ut aſſumeretur & eligeretur in Epiſcopũ Conſtancienſem, anno 1081. Hanc electionem confirmabat Pontificius legatus Dominus Petrus Epiſcopus Albæ, addita etiã conſecratione. Præfuit in ſummis periculis ac difficultatibus annis decẽ, quibus elapſis ita ab

omni

omni parte à regijs assectis ac ministris contumelia iniurijs ac molestijs affectus est, ut Vlrico Abbati Sangallensi Charinthiæ ducis filio Constantiã obsidẽte, cogeretur loco cedere & Episcopalẽ sedem relinquere, à qua exulauit 13 annis, præsidente interim Arnolpho: tũ subsidẽtibus paulatim germaniæ tumultibus, et ipse auxilio Theodorici Abbatis Petershusani in Episcopatũ suum redijt, anno 1105. ubi tranquilliore postea uita, & fortuna per annos undecim usus est, quibus Ecclesiam Cathedralem à Rumoldo Episcopo reædificari cæptam, egregie & fœlicissime absoluit & consecrauit. Decessit ex hac uita anno domini 1116.

43. ARNOLFVS comes Sancti montis, Sueuus, monachus Sangallensis intruditur ui per Abbatem Sangallensem Vlricum tertium Charinthiæ ducis filium, ac Henrici quarti Imperatoris consanguineum: idq; fit anno domini 1091 cum summo detrimento Episcopatus Constanciensis. Præfuit annis tredecim, tum qua mensura ipse erat mensus Episcopo Gebhardo, eadem remensum est ipsi quoq;: nam anno domini 1105 inclinatis rebus Henrici quarti, eiectus est ab Episcopi Gebhardi consanguineis, & Gebhardus summa cum laude restitutus. Qua uero postea fortuna usus sit Arnolphus eiectus, aut quo terrarum peruenerit, ignoratur.

44. VLRICVS comes à Dillingen & Kiburg, propinqua consanguinitate coniunctus S. Vlrico Au-

gustano antea Episcopo: singulari clementia et fauore Imp. Henrici quinti, peruenit ad Episcopatus Constantiensis gubernationem, consenciente tamen etiam & clero & populo Constanciensi: confirmatur à Pontifice Gelasio secundo, consecratur ab Archiepiscopo Mediolanensi. Præfuit summa prudentia decem annis: Construxit ac dotauit de suo patrimonio primus, Monasterium Canonicorum regularium Sancti Augustini Creuczlingum, extra muros Constancienses in Thurgouia situm: Renouauit item & instaurauit iterum pene collapsum Xenodochium pauperum, à S. Conrado olim constructum, ac liberalissime dotatum. Impetrauit etiam à Pontifice Calliſto secundo, ut leuaretur è tumulo, ac Canonisaretur inq; Diuorum numero referretur S. Conradus: quod factum est, anno Christi 1120. cum iam ille centum & quadraginta quatuor annis quieuisset sub terra. Incidit tandem Episcopus Vlricus in grauissimum morbum comitialem, uel Epilepsian, qua absumptus: obijt tandem anno Christi 1127. Sepelitur in Cathedralis templi choro.

45. VLRICVS secundus, Baro de Castellis: monachus apud S. Blasium in Hercynia, unanimi consensu Canonicorum electus succeßit Vlrico Dillingensi: præfuit utiliter ac laudabiliter annis undecim. Acetsi uarie premeretur à uicinis quibusdam tamen istas calamitates & aduersitates summa prudentia exuperauit, q̃ diu haberet propicium sibi & consencientem Canonicorum

corum senatum. Cum autem ille seditiosus in Dominum ac caput suum, ob leuiculam quandam caussam deiecti castri alicuius, quod obsessæ aut obsidendæ urbi incommodare potuisset: Episcopum coram Pontifice & Cæsare grauiter accusaret: cessit pius Episcopus pacienti animo, isti suorum Canonicorum furori, & Episcopatum ipsis libere resignans ad Monasterium suum redijt, ubi sancte uiuens reliquum uitæ absoluit. Paucis septimanis ante istam discordiam concidit altior turris templi maioris Constanciensis, ex quo casu omnes campanæ confractæ sunt. Resignatio hæc Episcopatus incidit in annum Domini 1138.

46. HERMANNVS Baro de Arbona, eligitur à toto Collegio Constanciensi, confirmatur ab Innocentio secundo, anno Domini 1139. Attulit omne Patrimonium suum ad Episcopatum, trecentas etiam auri marcas, ad summæ Basilicæ illustrationem conferens. Contra hunc libenter intrusisset Imp. Conradus III. Brunigundũ quendã sacellanũ suum, sed post festũ ille ueniẽs, hoc audire cogebatur, q, Paris olim ab Helena:

Ad possessa uenis præreptaq; gaudia serus:
Spes tua lenta fuit, quod petis alter habet.

Præfuit aũt Hermannus summa cum laude 26. annis, omnibus beneuolus, & omnibus eximie charus. Illustrauit multis ornamẽtis Basilicã Constanciensem, emit Aquisgranũ Hegouiæ oppidũ. Restaurauit anno 1142 collapsum Scotorũ monasteriũ. Impetrauit à Friderico

Barbarossa confirmationem donationis ac Bullæ regis Galliarum Dagoberti, anno 1155. obijt tandem anno domini 1165.

47. OTHO secundus, comes Habspurgius, etsi sint qui Zeringensem ducem fuisse affirmant: cui sententiæ astipulatur Salemitani Monasterij Abbatum Catalogus: ubi secundus eius loci Abbas Godefridus, dicitur electus sub Othone isto Episcopo, duce Zeringensi. fuit iste Otho, siue Zeringensis, siue Habspurgius: præpositus antea Augustæ ad S. Mauricium, uir summa prudentia & optimis moribus conspicuus, at homo ualetudinarius: eligitur anno Domini 1165. Præfuit 4. annis, semper ferè ægrotans: obijt anno 1169.

48. BERTHOLDVS nobilis Baro de Bußnang ex Thurgouia: etsi sint etiam qui Baronem de Kußnach, ex Ergouia ortum fuisse arbitrentur: eligitur is ab unanimiter consentiente clero statim post euocatum ex hac uita Othonem, uir eximia prudentia ac uirtute præditus. Præfuit laudabiliter annis 10. obijt 10. Maij: anno redempti orbis 1179.

49. HERMANNVS secundus, nobilis à Fridingẽ ex Hegouia natus, defuncto Bertholdo successit anno Domini 1179. Præfuit 11. annis: pacis & tranquillitatis publicæ, ut amantißimus ita custos etiam diligentißimus, omnibus suis subditis ex animo charus. Huius temporibus Imp. Fridericus Barbarossa omnibus Imperij principibus ac statibus Constanciam conuocatis, sta-

tis, statuit & sanxit ibi publicam pacem per totum Imperium sancte conseruandam, anno Domini 1183: Hãc pacem Constancienſem pacem appellabant omnes homines, eamq; publicis literis compræhenſam Baldus Iũrisconſultus poſtea commentarijs illuſtrare dignatus eſt, obijt Epiſcopus Hermannus anno Domini 1191. cum præcedente anno Imp. Fridericus Barbaroſſa periiſſet in quodam Armeniæ fluuio.

50. DIETHELMVS Baro de Kwyſſenburg, & Dominus in Krenckingen, antea à Friderico Barbaroſſa Abbas diuitis Augiæ deſignatus in Comicijs Spirenſibus: Iſti cœnobio cum ſapienter ac utiliſſime præfuiſſet annis 15. uocatus eſt unanimi totius cleri ac populi Conſtancienſis conſenſu, ad gubernationem etiam Epiſcopatus, anno Domini 1192. cui ſumma cum laude præfuit annis duodecim, retinens interim Diuitis Augiæ etiam poſſeſſionem, obijt tandem 12. Aprilis, anno Chriſtianæ redemptionis 1205.

51. VVERNERVS Baro à Stauffen, eligitur à Capituli Conſtancienſis toto Senatu, anno 1205: præfuit quatuor annis & aliquot menſibus, obijt anno 1210. Sepelitur magnifice in choro Cathedralis Eccleſiæ.

52. CONRADVS ſecundus, nobilis comes de Andechß & Degernfeld, ordinarie ſucceſſit Kwernhero: præfuit et profuit Eccleſiæ Conſtancienſi annis 24. cum ſumma omnium hominum laude, obijt anno 1234.

53. HENRICVS nobilis de Thanneck, aut ut ali-

qui uolunt de Thannen &waldburg et Khuſſenberg, eli
gitur Epiſcopus Conſtancienſis, anno domini 1334: pra
fuit prudenter & utiliter 14 annis : & quamuis toto
pectore abhorreret ab omnibus belli furoribus ac tu
multibus, tamen ab Henrico et Godefrido Niffenſibus
Baronibus, iniuſtiſſime laceſſitus ac diu grauiter &
multifariæ moleſtatus & oppreſſus, collecta tandem
manu, ardentibus uotis Dei prius auxilio implorato,
contra hoſtes egreditur, & cum ipſis in S&wiggerana
ualle fœliciter confligit : nam etſi numero longe
eſſet hoſtibus inferior, tamen Deo duce uicit, &
utrunq; Niffenſem, cum Baronibus ac nobilibus alijs
quadraginta fortiter cæpit, uinculisq; incluſos Conſtan
ciam duxit, ac aliquandiu ibi in cuſtodia ſeruatos, cer
tis tandem conditionibus iterum dimiſit. Hæc pugna
commiſſa eſt in die S. Albani, anno Domini 1235. Poſtea
quicta gubernatione potitus eſt. Deceſſit ex hac mor
tali uita, anno Virginei partus 1248. Sepelitur in Baſi
lica Conſtancienſi.

54. EBERHARDVS ſecundus, Dapifer à &wald
burg: eligitur à clero Conſtancienſi, ſublato ex hac ui
ta Henrico Epiſcopo: præfuit ſumma prudentia & cu
ra 16. annis. Vir humanus et mitis erga omnes omnium
conditionum homines, idcirco omnibus etiam eximie
charus. Ampliauit & ditauit Epiſcopatum: emit op
pidum Klingen, & quoſdam etiam pagos à Domino
&walthero de Klingen: arcem item Batenhuſium ab

Hildis

Hildiboldo de Steckborn & plurima alia cum castra, tum prædia: plurimas item decimas à diuersis circumiacentis terræ Regulis. Obijt fœliciter anno 1174. decima nona Februarij. Sepelitur in medio choro Basilicæ Constancienſis mense Martio.

55. RVDOLPHVS comes Habspurgius, Imp. Rodolphi Habspurgij patruelis, Canonicus Basiliēsis prius et Constancienſis, eligitur anno 1274: præfuit 20. annis, quibus Episcopatū egregie auxisset, & locupletasset, nisi à suis proprijs consanguineis, rege uidelicet Alberto, Rodolphi filio, omnis generis persequutionē sustinere, imo ad arma ultricia etiam capienda, duro necessitatis telo adactus, et compulsus fuisset. In hoc bello obsidione cinxit, occupauit & diripuit, anno Domini 1291 Buchornam oppidum ad lacum Acronianum situm, obijt anno Domini 1294 tertia Aprilis, relinquens Episcopatum in maximis debitis, propter gesta bella, ad quæ tamen non nisi summa ui pertractus est. Sepelitur in maioris Basilicæ Constancienſis choro, ad sinistrum latus aræ maximæ. Sub eo frigoribus concretus est lacus Acronius totus, anno Domini 1277.

56. FRIDEricus comes à Zollern, præpositus Maioris Ecclesiæ Augustanæ, eligitur à maiori parte Collegij Constancienſis, ut succedat Rodolpho Episcopo sanguinis etiā necessitudine sibi coniuncto: At contra hunc à paucis quibusdam summi collegij Canonicis eligitur Henricus nobilis à Klingēberg legum

doctor, & Rodolphi regis Cancellarius, uir adprime doctus, & summa prudentia præditus. Hoc Schisma fuisset maxime perniciosum Episcopatui Constanciensi: nisi Fridericus tanta morum lenitate, & animi mansuetudine præditus, tamq; pacis ac tranquillitatis studiosus, de suo iure potius cedere uoluisset, quàm autor & adiutor esse, exhauriendi aut annihilandi Episcopatus, cui uidebat tam perniciosam fuisse, & tam infœliciter cessisse, discordiam antecessoris sui cum ipsius consanguineis, Austriæ principibus. Mouebat eum & hoc, quod Henricus, Alberti regis præcipuus consiliarius, non quieturus esset, ut qui sapientia & præsidijs esset ad retinendum Episcopatum paratior. Reseruatâ ergo annua sibi pensione post annos quatuor ab electione præteritos Henrico Clingenbergensi, gubernationem plene resignauit, obijt tandem anno 1304.

57. HENRICVS secundus huius nominis, nobilis Regulus à Clingenberg, eligitur eodem tempore et die, quo Fridericus comes à Zollern, discordi scilicet electione. Cum autẽ ei potentiori cessisset Fridericus, confirmatus & consecratus est ab Archiepiscopo Moguntino Gerhardo ab Eppenstein, anno Christi 1294: Dominica Letare. Præfuit utilissime annis undecim: multa Episcopatus bona impignorata redemit, plura à diuersis hinc inde regulis ac Baronibus emit. Erat Historiarum lectionis studiosissimus: qui libellũ etiam de comitibus Habspurgensibus in gratiam Rodolphi

regis

regis (cui charißimus semper fuerat) scripsit. Nigromantiæ uerò studio supra mediocritatem delectatus est. Construxit intra muros Constancienſis urbis templum D. Laurentio sacrum, obijt anno Domini 1306. Sepelitur in Summo templo Constantino.

58. EBERHARDVS tertius huius nominis, alijs Gerhardus: Ex Auinione Galliæ natus, uir in sacris ac prophanis eximiæ doctus, intruditur à Rom. Pontifice Clemente quinto, mox post obitum Henrici: præfuit 12. annis, obijt anno Domini 1318. Huius temporibus perijt maior pars urbis Constancienſis lugubri ac miserrimo incendio, anno Domini 1314. mense Maio, die S. Crucis. Id incendium in Iudæi cuiusdam ædibus natum, facile restingui & prohiberi initio potuisset, nisi Iudæus ille nequam tantæ calamitatis potius spectator, quam Sabbati sui transgressor esse uoluisset.

59. RVDOLPHVS tertius huius nominis, comes à Monte forti, uir insigni sapientia prudentiáq; præditus: eligitur unanimibus totius Canonicorum senatus sententijs, anno Domini 1318. Præfuit sedi Constantinæ laudabiliter & utiliter annis quatuordecim, egregie eam & augens & illustrans. Aedificauit de nouo insigne castrum Arbonense ad lacum Acronium. Erat in tanto odio apud Pontificem Romanum, quod Ludouico Bauaro cõstancius ac fidelius adhæreret: ut etiam excommunicaretur. Postulatus est etiam ad Churenſis Episcopatus gubernationem, anno 1313, quam prudentißime

tißime etiam administrauit. Obijt anno Christi 1332: & quia in Pontificio Anathemate ex hoc seculo emigrasset, non loco sacro, sed prophano humatus est: precibus tamen & indesinenti suæ familiæ intercessione post uiginti annos iterum effossus ac sacratæ terræ honorifice mandatus.

60. NICOLAVS nobilis à Kenczingen et Frauenfeldo, Magister Curiæ cognominatus, eligitur per Schisma, & tamen à maiori parte senatus Canonicorum: confirmatur à Rom. Pont. Ioanne XXII. Contra hunc eligebatur à quibusdam Canonicis comes Albertus de Hohenberg, patre Rodolpho furioso homine natus. Hi duo bello etiam de possessione Episcopatus certarunt, sed uicit Nicolaus, auxilijs Friderici Austrij contra Imp. Ludouicum electi. Cuius Friderici locum tenens designatus est, iste Nicolaus Episcopus, per uniuersam superiorem Sueuiam, Ergouiam, Thurgouiam ac Alsatiam. Militauit item Episcopus iste per menses quatuor in castris Friderici comitatu ducentorum ac septuaginta equitum. Præfuit Episcopatui annis undecim laudabiliter, ubi in summa Annonæ difficultate, liberalißimus erat singulis diebus trium millium pauperis turbæ hominum alumnus. Obijt anno Christi 1344. in die S. Iacobi. Sepelitur cum omnium pauperum ac egenorum summo luctu & planctu, in Cathedrali Ecclesia Constanciensi: eodē tumulo, quo prius Henricus à Klingenberg humatus quiescebat.

61. Vdal-

61. VDALRICVS tertius, Pfefferhart dictus, ex ueteri & honestißima quadam Coestancienſis urbis familia prognatus: Cathedralis Eccleſiæ prius Decanus ſubrogatur concordibus totius Capituli ſuffragijs Nicolao antiſtiti, anno domini 1344. Præfuit ſeptem annis prudentißime ac utilißime: erat mitis ac ſimplex homo, ſed bonus ac circunſpectus Oeconomus, pecuniarum diligentißimus collector & coaceruator. Is interrogatus (quare tanto ſtudio colligeret pecunias) reſpondit: ſe ideo facere, ut ingruentibus aliquando tempeſtatibus bellicorum tumultuũ, uel defendere et tueri ſuos, uel pacem ſaltem ſuis emere poſſet. Sub eo Iudæi combuſti, quod dicerentur infeciſſe fontes per totam Germaniam. Sub eodem cœpit etiam anno 1349, ordo flagellatorum cateruatim per urbes miris uociferationibus ambulantium, & populo mira quædam Paradoxa concionantium: is mox tamen iterum à Clemente ſexto damnatus eſt. Obijt Epiſcopus Vlricus anno Domini 1351 ſexta Nouembrium. Sepelitur in Summo Conſtancienſi templo.

62. IOANNES tertius: cognomento Swindlock, è Schaffhuſio natus, eximie doctus et ſapientißimus uir, Cancellarius Auſtriæ ducis, Alberti Claudi, cuius precibus obtinuit confirmationẽ ab Innocẽtio VI. Præfuit annis 5. Habebat publicũ hoſtem, Conradũ ab Honburg equitẽ auratũ, qui oppidũ Martorffum, quod generoſißimo uino celebre eſt, meliore titulo arbitrabatur

ſibi de

sibi deberi quàm Episcopo: cum tamen optimo iure consensu etiam ac confirmatione Caroli quarti, Episcopus id possideret. Honburgius igitur dolens sibi tam bonum bolum è faucibus eripi, ad Cainica consilia se totum conuertit: & in die Agnetis, anno Domini 1356 cum aliquot alijs sui similibus Centauris, non sine consensu quorundam etiam Canonicorum in urbem irruens, Episcopum cum paucis aliquot amicis sacerdotibus, in palatio Constancienſi ad instructas mensas sedentem et cœnaturientem, nihilq; insidiarum aut mali metuentem, armata manu aggreditur, ac crudeliter trucidat, fuga sibi postea consulens. Episcopus primum quod interdictum esset sacris Constanciæ, in loco prophano prope sacellum D. Margaridos humatus, sequenti anno honorifice transfertur in Cathedralem Ecclesiam Constancienſem.

63. VDALRICVS quartus, nobilis à Fridingen, eligitur à toto Capitulo in Episcopum, qui propter insignes animi uirtutes dignissimus fuisset tali munere: sed quia Pontificiã confirmationẽ impetrare nõ potuit (occuparat enim animos põtificis et Cardinaliũ alius quidam, Henricus uidelicet à Brandis) pacis & tranquillitatis conseruandæ studio, uolens ab Episcopatu cessit, gratias interim agens senatui Canonicorum pro oblato sibi tali honore: quo prorsus carere, quam Episcopatui nocere maluit. Hìc aliqui etiam Leopoldum quendam Canonicum Bambergenſem, Episcopatui à

Carolo

Carolo IIII. intrusum esse scribunt, qui tamen decem saltem præfuerit mensibus, eum prætereo, cum nec Catalogi Constancienses eum habeant.

64. HENRICVS tertius huius nominis, Baro à Brandis & Abbas Einsidlensis: consequutus est possessionem & clauum Episcopatus Constanciensis, non per legitimam Canonicorum eius loci electionem, sed largitionibus cum maximo & Abbatiæ Einsidlensis & Episcopatus Constanciensis detrimento: corruperat enim Cardinales quosdam Romæ, qui ei confirmationem apud Innocentium sextum, facile impetrabant, anno Domini 1356. decimaquinta Maij. Præfuit Henricus 16. annis, cũ urbi inuisus, quia summe ei molestus et iniurius: tum Canonicis etiam non admodum gratus, obijt anno Domini 1383 apud Klingenouiũ, in die S. Ceciliæ: inde Cõstanciam uectus, honorifice sepelitur in Cathedrali Ecclesia. Non modo non præfuit, sed obfuit plurimum Episcopatui.

65. MANGOLDVS à Brandis Henrici Episcopi ex fratre nepos, eligitur ex Abbate Diuitis Augiæ in Episcopum Constancienſem, 27. Ianuarij anno Domini 1384. à nouem Canonicis: reliquis Domino Nicolao à Rysemburg suffragantibus: confirmatur ab Adolpho Archiepiscopo Moguntino. Nicolaus uero à Pontifice Vrbano confirmationem consequutus, Constanciam ingressus, ibi sedem suam habere cœpit. Mangoldus conscripto foris exercitu tumultuatur, &

armis

armis uiam sibi ad consequendam plenam Episcopa-
tus gubernationem aperire statuit: At cum plerunq;
nobis proponentibus Deus disponat, obijt Mangol-
dus subitanea morte apud forum Tiberij siue Cæsaris
solium in Ergouia, cum iamiam equum uellet inscende
re, & Scisma illud durasset annum & dies 24. Sunt
qui eum ueneno affirment è medio sublatum esse. Aue-
hitur in diuitem Augiam, & ibidem in Basilica suma
sepelitur, die S. Blasij.

66. NICOLAVS secundus huius nominis, nobi-
lis à Rysenburg eligitur, ut supra dictum, anno Chri-
sti 1384. Præfuit 4. annis quiete & solus, sublato iam
Mangoldo Episcopo: at ualde inutiliter. Resigna-
uit episcopatum quarta Maij, anno Christianæ sa-
lutis 1388, spe amplioris dignitatis: qua spe cum frus-
traretur, redijt Constanciam, ubi præposituræ dignita
tem iterum consequutus est.

67. BVRCARDVS Baro Heudwensis, & Præ-
positus summi Collegij Constanciensis successit concor
di Canonicorum electione Nicolao: præfuit annis de-
cem. Profectus est ipse Romam pro confirmatione ad
Vrbanum Pont. sed impetrare alio eam pacto non po
tuit, q̃ si Nicolaũ antecessorem suum, præposituræ di-
gnitate inuestiret: quod se illico facturũ Pontifici pro-
misit. Aedificauit egregiũ sacellum in honorẽ D. Vir
ginis in ambitu Cathedralis Ecclesiæ, ubi & sepultu-
rã sibi ipsi constituit et elegit, obijt postea anno 1398.

68. Fri-

68. FRIDERICVS *secundus huius nominis: comes à Nellenburg, eligitur ab uniuerso Capitulo in successorẽ Burcardi anno Domini 1398. in die S. Galli, moxq; in præsentia parentis, comitis Conradi à Nellenburg insigni pompa consecratur: cum audiret autem Episcopatum adeo esse exhaustum & ære alieno grauatum, ut difficillime ei consuli aut subueniri posset, resignauit eum decimo die, suis Canonicis gratias agens ingentes pro tali honore sibi exhibito.*

69. MARQVARDVS *nobilis à Randeck, Sueuus: eius familiæ quã uulgo Neidlingos uocant, cuius patruus itidem Marquardus, Episcopus fuit Augustanus et Patriarcha tandem Aquileianus designatus est: Is successit Friderico legitime electus & consecratus, præfuit decem annis. Decessit ex hac uita, anno Christianæ salutis 1408.*

70. ALBERtus *Blaurerus ex honesta ac peruetcri familia Reipub. Constancienſis, & optimis parentibus natus: præpositus summi templi, designatur Episcopus propter insignem prudentiã suam, anno 1408. Non consecratur, quia non erat sacerdos: præfuit laudabiliter & utiliter tribus annis, quibus aliquomodo restituit Episcopatũ pristinæ dignitati, fideli uidelicet et prudenti Occonomiæ administratione: anno uero 1411. totius Cenonicorũ senatus consensu resignauit Episcopatum Othoni sequenti, reseruata sibi tamen per omnem uitam annua & mediocri pensione.*

71. Otho

71. OTHO tertius, Marchio de Hochberg & Röttelin accepit baculum pastoralem à resignante Alberto Blaurero, consensu totius cleri Constantiensis, anno Domini 1411. Præfuit 23. annis. Erat eximia prudentia & doctrina præditus: Extant eius scripta de laudibus D. uirginis, & filij Dei ex hac intemerata uirgine nati, in Bybliotheca Diuitis Augiæ. Sub hoc Episcopo congregata est Synodus illa magna Constantiensis ab Imperatore Sigismundo, cuius acta non est huius loci recitare. Ingrauescente senio Epilepsiam incidit, seu morbum Herculeum aut caducum ut uulgo uocant: quam calamitatem pacienter tulit. Cũ agnosceret uero ipse tali gubernationi non esse se amplius idoneum, resignauit Episcopatum cum bona uoluntate & consensu totius cleri, Friderico illustri comiti de Zollern, Canonico Constantiensi & Argentinensi, retenta sibi exigua pensione, qua reliquum uitæ in Minorum Constantiensium cœnobio transegit. Vixit in Monasterio non plenis duobus annis: Valedixit caducæ isti ac momentaneæ uitæ 15. Nouembrium. Anni à nato Christo 1437. Sepelitur in Basilica Cathedrali.

72. FRIDERICVS tertius: comes à Zollern, Canonicus Argentoratensis, consequutus est munus ac dignitatem Episcopi Constantiensis per liberã resignationem Episcopi Othonis. Erat egregius iuuenis summa modestiæ & humanitatis erga omnes cum summos tum infimos laude insignis, & iccirco omnibus etiam

bus etiam suis longe charissimus. Præfuit 3. annis nec integris tamen. Euocatus est ex hac mortali uita, anno Christi 1436 ultima Iulij, in arce Gotlieben: inde in urbem uectus, honorifica ibi sepultura donatus est, in choro Cathedralis Basilicæ. Anno præcedente mortem suam congregauit Synodum ex uniuerso Clero suo Constanciæ, ei interfuerunt Abbates 16. præpositi sex, Canonici 40. ducenti & sexaginta sacerdotes, non supputato clero, qui intra mœnia urbis habitaret semper. In hac Synodo censa & numerata sunt per uniuersam dioceſin Constanciensem, trecenta & quinquaginta utriusq; sexus monasteria: mille, septingentæ & sexaginta parrochiales Ecclesiæ: sacerdotum uero capita supra septendecim millia.

73. HENRICVS quartus, Baro Heuᵭwensis, præpositus Constanciensis, et Decanus Argentinensis concorditer & legitime eligitur ab uniuerso clero Constanciensi in Episcopum anno Domini 1436. quarta Augusti. Confirmatur eiusdem mensis octaua die ab Eugenio quarto, P. M. Basileæ tum existente. Ingressus est Constanciam quingentis equis in uigilia Natalis dominici, ut auspicaretur gubernationem. Præfuit annis 36. Recuperauit Morsenburgum, anno Domini 1457. Tenuit per resignationem Conradi à Rechberg Churensis Episcopi, eiusdem Rhetorum etiam Episcopatus administrationem 10. annis. Erat homo splendidus, pomparum amantissimus, Oeconomus non admodum

bonus aut utilis. Obijt anno Christianæ salutis 147: Re liquens Episcopatum in maximis debitis. Sepelitur in sacello à se condito, per ambitum Basilicæ Cathedra lis, ubi ipse sibi uiuus adhuc statuit tumulum.

74. BVRCARDVS secundus, nobilis à Randeck ex Hegouia: uir humilis, solitudinis & tranquillitatis studiosissimus, optimus Oeconomus: eligitur in locum defuncti Henrici, anno Christianæ salutis 147:. Præ fuit tribus annis & aliquot mensibus sapienter & utiliter, obijt anno Domini 1475.

75. HERMANNVS nobilis de Lato Landen burgo, præficitur Cathedræ Constancien si, antea De canus Summi templi: uir mire religiosus, humanus, mi tis, munificus in pauperes. Eligitur anno domini 147 erat senio confectus, & plurimis ægritudinibus & in firmitatibus affectus, ac ualetudine omnino afflicta: ideirco assumpsit è Canonicorum collegio quendam sibi coadiutorem Ludouicũ nobilem à Fribergk docto rem, uirũ prudentem ac ualde uersutum: is clandestinis machinationibus contra Episcopum Hermannum & totum Canonicorum collegium Romæ confirmatio nem à summo Pontifice Xisto quarto impetrauit: non quod aliquid mali contra Hermannum Episcopum me ditaretur, sed quòd post ipsius mortem Episcopatus possessionem facilius se hoc pacto retinere posse arbi traretur. Hoc call dum consilium coadiutoris sui, tam impacienter tulit Hermannus, ut post pauculos dies ex

hac

hac uita emigraret, quia suspectus iam erat senatui Canonicorum hoc nomine factus, quasi ipse author aut suffragator certe fuisset tam uafre contra Summi Collegij libertatẽ excogitati cõsilij. Præfuit non integris 2. annis, obijt anno 1477. Sepelitur in Basilica Cathedrali.

76. LVDOVICVS nobilis à Freibergk, eius familiæ quæ stellas gestat in insignibus suis: Doctor legum, uir eruditus, callidus, & multarum rerum experientia clarus: Canonicus Constanciensis. Assumitur primum ab Hermanno in coadiutorem: ut autem post mortem Hermanni totam gubernationem consequi & retinere posset, laborauit Romæ pro confirmatione, quam auro facile impetrauit. Mortuo igitur & animi mœrore consumpto Hermanno, non iam electionem aliquam expectare, sed plene Episcopatui præesse incipiebat Ludouicus, fretus Pontificia confirmatione. At Canonicorum senatus contempto Ludouico alium eligebat, Othonem uidelicet comitem Solimontanum, qui Constanciæ sedens plena ibi gubernandi Episcopatus potestate potitus est. Ludouicus nec ipse cedere uolens, in Radolphi cella sedem sibi elegit, et ibi suũ etiam senatum, suum consistorium habuit. Is Romam quoq; profectus, impetrauit apud Xistum Pontificem, ut mandato Pontificio discedere è gubernatione iuberetur Otho: quod nisi facturus esset, minitabatur ei Pontifex fulmen Excommunicationis. At Otho Constanciæ nihilominus constanter permanens, misit

tamen legatos Romam qui certiorem facerent Pontifi-
cem de toto hoc negocio. Cumq; alio pacto dirimi
hæc cõtrouersia non posset (neuter enim alteri cedere
nec Pontifex confirmationem suam irritam facere uole
bat) ad forenses disceptationes tandem uentum est, ut le
gibus dirimeretur quod alia uia dirimi non poterat.
Cum autem hæ disceptationes in longum, ut fit, pro-
traherentur, incidit interim Ludouicus in periculosum
morbum, quo consumptus Romæ ex mortali uita emi
grauit, ubi Episcopali pompa honorifice sepultus est,
cum durasset hoc Schisma integrum iam septennium.
Iam Otho Sunnenburgius quieta gubernatione frui,
& confirmationem Pontificiam impetrare si uoluit,
utriusq; partis expensas magno Episcopatus Constan
cienſis detrimento soluere eum oportuit. Obijt Ludoui
cus Romæ, anno Domini 1484: quo cœpit Otho quie-
te posßidere Episcopatum.

77. OTHO comes à Sunnenberg electus contra
Ludouicum, Constancienſi sedi præfuit, durante Schis-
mate, septem annis: finito Schismate octo annis, obijt
Cõstanciæ anno Christi 1491, sepelitur in sacello Cathe-
drali Basilicæ contiguo quod ipse sibi uiuus construi
ac adornari fecit.

78. THOMAS Perlouerus ex Cilienſi Pan-
noniæ inferioris oppido natus, utriusq; Iuris doctor,
uir eximiæ eloquens, prudentia uero uirtute ac rerum
usu longe maximus: Friderici tertij Imp. Orator ac

Consilia-

Consiliarius intimus, & qui Maximilianum Friderici filium, ita in latinis literis instituit, ut ille cum omnibus legatis latine loqui posset expedite: Primum præpositus summi Collegij Constanciensis designatus, ita sese in hoc munere gessit, ut postea mortuo Episcopo Othone, 12 Martij anni Christianorum 1491 unanimi totius Collegij consensu in Episcopum Constanciensem eligeretur, ubi prudentissime et utilissime quinq; annis præfuit, Episcopatum mediocriter restituens ac instaurans: obijt anno Domini 1496. uicesima Aprilis. Sepelitur in Summo templo Constancienſi.

79. HVGO nobilis heros à Landenbergk, Decanus summi Collegij, uir ita proceræ staturæ, ut nullus esset princeps eo tempore in Germania, qui heroica statura corporis illi conferri potuisset: Erat autem & prudens, humanus ac omnium eruditione aliqua præstantium hominum amantissimus, etsi ipse non admodum doctus. Is eligitur concordibus totius Canonicorum senatus suffragijs & sententijs in Thomæ successorem, anno Domini 1496. Præfuit sapienter ac fœlicissime triginta tribus annis. Restituit & de nouo construxit arces, Morsenburgensem, Arbonensem et Martorfensem. Petershusense monasterium ita iuuit, & liberaliter donauit, ut eius secundus fundator dici possit: Monialium cœnobia in urbe sita reformauit, auxit & ædificijs illustrauit. Sub hoc Episcopo Comicia habita sunt Constanciæ à Diuo Maximiliano Imp. anno

Christi 1507, quibus omnes Imperij status interfuerunt: hæc Comicia durarunt per integrum annum: Habitæ sunt ibi deliberatiõcs, quemadmodũ antea etiã in Wormacienſibus Comicijs de conſtituendo in Germania Imperiali iudicio: quod eo anno conſtitutum & inchoatum eſt. Anno domini 1517 ſeceſſit cum uniuerſo ſuo clero propter mutatam Conſtanciæ religionem Vberlingam, ubi honorifice à Senatu populoq; exceptus, difficultate ſuorum temporum territus, Epiſcopatum ſenatui Canonicorum anno Domini 1528 libere reſignat, & ſibi quietem quærens unà cum toto Capitulo Balthaſarem ſucceſſorem ſibi conſtituit, ut ſequetur copioſius.

80. BALTHASAR Merckhelius, tenuis fortunæ parentibus, at honeſtis & pijs natus in Waldkirchio Hercyniæ oppido ſub Friburgo Briſgoiæ ſito: homo ambitioſus, & qui ſemper illud cogitaret, quod eſt apud ueterem Poëtam:

Tentanda uia eſt, qua me quoq; poſſim
Tollere humo, uictorq; uirum uolitare per ora:

In ſtudijs ergo literarum diligenter uerſatus, mox Doctor legum, & Canonicus poſtea Conſtancienſis deſignatur. Dedit autem operam, ut etiam Diuo Maximiliano Imperatori in magnis Conſtantienſibus Comicijs anno Chriſtianæ ſalutis 1507 innoteſceret, cuius aulam deinde aliquandiu ſequutus, ſemper ei poſtea chariſſimus, & intimus fuit Conſiliarius, quamdiu uiueret Imp. Impetrauit autem ab eo præpoſituram Waldkirchenſem, cui ſemper antea nobiles tantum, et maiorum

imaginibus clari præfuerant. Maximiliano uero Imp. rebus humanis exempto, & D. Carolo V. in ipsius locum unanimi electorum consensu subrogato, mox in ipsius etiam aulam uocatus, Carolum V. in Hispanias sequutus est, cuius ibi Vicecancellarius etiã designatus totius Imperij negocia expediunda subiuit, & summa diligentia, nec uero minori laude promouit, expediuit et administrauit. Cũq; innotuisset iam Hugoni Episcopo Constanciensi, Canonicum suum Balthasarum ad tantos honores esse euectum, putabat in tali temporum difficultate non posse melius consuli afflictæ Ecclesiæ Constanciensi, q̃ si integra Episcopatus gubernatio ad eũ deferretur: persuasit igitur Canonicis, ut missa honesta legatione eũ ad patriæ gubernationẽ uocarent. Interim accidit ut eidem Balthasaro à Cæsarea Maiestate in Germaniam ad Electores quosdam Imperij misso, resignaret Episcopatum etiam Hildesianum in Saxonibus Ioannes Episcopus: Saxoniæ, Angeriæ, et Westphaliæ dux. Vtroq; igitur Episcopatu accepto, Anno Christi 1530 in Augustanis Comicijs ab Alberto Cardinale, & Archiepiscopo Moguntino insigni pompa, præsentibus omnibus Imperij statibus cõsecratur. Vberlingam itaq; ueniens (ubi exulabat iam senatus Canonicorũ) splendide ibi, & cum summo gaudio ac triumpho excipitur. Præfuit 15. mensibus, & in arduis Imp. Maie. negotijs in inferiorem Germaniã descensurus, cũ Treueri pernoctasset, & mane equũ inscendere uellet,

subitanea morte decessit in ipso festo S. Pentecostes, anni Christianorum 1531. Sepelitur ibi apud S. Simeonem cum tali Elogio:

DEO OPT. MAX. TRINO ET VNI.

Reuerendissimo in Christo patri & domino, D. Balthasari Mercklin à Waldkirch D. G. Episcopo Constantiensi, & Administratori Hildesheymensi: sub Carolo V. Imperij Vicecancellario, & duorum Cesarum aulas per Germaniam, Hispanias & Italiam multis annis sequuto: obeundis concilijs Imperij, & amplissimis legationibus, Iuris utriusq; scientia, consilio, rerum gerendarum prudentia & authoritate singulari, tum cæteris artibus grauissimis, amplissimos honores adepto: tandem iniquissimis fatis erepto: liberalissimo & in omni fortuna modestissimo, pientissimoq; consanguineo & Mœcenati suo incomparabili: Ioannes Keck à Treueri P. uixit annis 52, obijt Treueri, anno salutis 1531. Hoc nuncium cum Constantiensibus Canonicis afferretur: reuocarunt illi unanimi consensu Hugonem à Landenberg ad Episcopatus gubernationem, cui iterum sapientissime præfuit mensibus undecim. Postea decessit ex hac mortali uita plenus dierum, septima Ianuarij, anni à nato Christo 1532. Morsenburgi.

81. IOANNES quintus, comes à Lupffen, in Hegouia, successit tertia Februarij mortuo Hugoni, consentiente toto clero, uocatus & electus. Etsi autem

ille

ille talem prouinciam inuitus subiret, ut qui sciret Episcopatum mire esse exhaustum: tamen petenti non solum clero, sed circumiacentis etiam prouinciæ uniuersæ nobilitati denegare id omnino non potuit. Præfuit igitur sex annis: & cum uideret eam gubernationem habere plurimum laborum, curarum & solicitudinũ: emolumenti uero minimum, resignauit eam Canonicorum senatui, anno Domini 1537: in uigilia omnium sanctorum. Ipse in suam & maiorũ suorum arcẽ Engenium (quæ in Hegouia est) reuersus, ibi Canonicatu suo contentus, reliquum uitæ absoluere in quiete quam talibus curis immersus esse maluit.

82. IOANNES sextus, nobilis à Wecxen ex inferiori Germania, Iuliæ uidelicet ducatu natus: doctrina, prudentia, multarum rerum usu, & plurimarum linguarum cognitione insignis, & idcirco D. Carolo V. Imp. eius q; fratri D. Ferdinando imprimis charus. Designatus primũ à Rom. Pont. Archiepiscopus Lundensis in regno Daniæ, ubi à Christierno rege D. Caroli V sororio, in tanto precio habitus est, ut ille ei unicum filium traderet erudiendum. Postea rege Christierno misere in regno suo sæuiente, subduxit se ex Dania, etiam Archiepiscopus iste: in inferiorem Germaniam concedens, ubi Imp. Carolo V. fuit à legationibus & consilijs. Missus autem anno Domini 1538 à Diuo Carolo ad fratrem Ferdinandum: in eo ipso itinere ad gubernationem Episcopatus Constanciensis, regis Ferdinandi con-

di consilijs & auxilijs peruenit: consecratus est Ratisbonæ in Comicijs anno 1541. Incorporauit Episcopatui Diuitis Augiæ cœnobium Benedictinum, & præposituram Oeningensem ad lacum Venetum sitam. Fuit idem, Abbas etiam in præpotenti Nariscorum terræ cœnobio Waldsassen, ad Wonderam amnem sito. Interfuit plurimis Comicijs, præcipue uero illis, quæ D. Carolus V. Rom. Imp. Augustæ Vindelicorum, habuit anno Domini 1547 & 1548 post bellum Germanicum: in quibus subitanea morte ex hac lachrymarum ualle decessit Episcopus, Mense Maio: cum aliquoties uoluisset clarissimo uiro Doctori Iacobo Mergellio, Canonico Constancienſi Episcopatum resignare, præsagiens fortasis sibi ipsi, non diu se superstitem mansurum. Vectus est ex Augusta, honorifica pompa funebri ad Monasterium Augiæ Diuitis, in quo terræ mandatus est, anno Domini 1548.

83. CHRISTOPHORVS Metzlerus, patria Feldkirchianus, Rhætus: honestis & locupletibus parentibus natus: Doctor legum, Canonicus Churensis & Constancienſis, eligitur unanimi senatus Canonicorum consensu in ipsa die Visitationis Marianæ, Anno Christi 1548 in Episcopum Constancienſium. Præest adhuc hoc anno Domini 1549: quo Constantiam redijt:

Christus ab æthereo qui temperat omnia templo,
Corporis atq; animæ roborc donet eum.

Ad In-

AD INCLYTAM VRBEM ARGENTINENSEM,

Argentina tuos si uis audire uetustos
Proceres, patresq; maximos.
Qui te, Verbigenæ mysteria sacra professi,
Docuêre saluificam fidem.
Qui te lucrati Christo, tot templa tot aras,
Tibi condidere maximas.
Hos si uis omnes speculo quasi cernere in uno,
Et Exphragismate in breui.
Huc oculos huc flecte tuos Vrbs inclyta, compos
Voti hîc potes fieri tui.
Inuenies laudesq; tuas laudesq; tuorum,
Calamo perenni proditas.
Sæpe leges etiam tua fortia facta, tuarum
Manuumq; robur inclytum.
Quæ quamuis illustrarit & wimphlingius olim
Tuus, ille uir doctissimus.
Me tamen ista meis etiam inseruisse libellis,
Renouasse sic decus & tuum:
Argentina tibi prædignæ laudibus Vrbi,
Nequit esse non gratum: Vale.

Quin-

QVINTVM CAPVT de omnibus Episcopis Argentinensibus.

ARGENTINA potentißima Germaniæ ciuitas, ad Rhenum ſita, conuerſa eſt ad Chriſtum, æternum Dei filium, imperante Nerone & concionante adhuc Romæ Diuo Petro Apoſtolo, à S. Materno Petri Apoſtoli diſcipulo, eius q; ſocijs Valerio ac Euchario, concionantibus Chriſtum, intrepida uoce: et uirtute omnipotentis uerbi, multa ſigna facientibus per totam Alſatiam. At non perſtitit Argentina diu in uero Chriſtianiſmo, nam cum circa annum Domini 330 Arrius latißime ſpargeret ſuos errores: Eſt etiam his ipſis Argentina grauißime infecta, quemadmodum aliæ etiam urbes ad Rhenum ſitæ. Tandem tamen ab his erroribus in uiam ueritatis reducta ab Epiſcopis Eccleſiæ Metenſis. Templum uero primum poſtea anno Chriſti 508 conditum eſt, etſi adhuc ſimplex et nondum ſumptuoſum, à rege Galliarum Clodouæo qui primus inter reges Galliæ Chriſtum agnoſcere cœpit, & in nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis à S. Remigio Epiſcopo baptiſatus eſt. Tum temporis Argentina Metenſi Epiſcopatui (quod ad Eccleſiaſticam Iuriſdictionem attinet) ſuberat. Epiſcopatus uero Argentinenſis conſtitutus ac fundatus eſt à potentißimo Gallia-

mo Galliarum Rege Dagoberto: qui & Spirensem, & wormaciensem ac Moguntinum Episcopatus ab Attyla misere uastatos, & ab Arrianis infectos repurgari fecit, ac amplissimis donationibus locupletauit. Subditur Moguntino Archiepiscopo, ab Imp. Carolo Magno, ucterum Germaniæ Episcopatuũ & Monasteriorum liberalissimo benefactore, multorumq; nouorum amplissimo fundatore. Huius Episcopatus gubernatores numerantur à prima fundatione ad hæc nostra usq; tempora, qui sequuntur ordine annotati.

1. S. AMANDVS in Aquitania, ex honestissima familia, patre Scrano, matre Amantia natus: Vltraiecti næ Ecclesiæ Episcopus, euocatus ex Vltraiecto, Argẽtinensi Episcopatui præficitur à rege Galliarum Dagoberto, cuius filium Sigibertum in castro Eysemburg, baptisauit idem sanctus fidelis & miraculis clarus Episcopus Amandus. Concionatus est Christum fidelissime & magno zelo: sed cum populus uerbum Dei non solum non audire, aut pœnitentiam agere uellet, sed contra ueritatis uerbum crudeliter etiam tumultuaretur: cessit Amandus isti furori, & resignata Episcopatus gubernatione, anno Christi 640 Monasterium à se & Dagoberto fundatum ingressus est: ubi post aliquot annos febribus correptus ex hac uita mortali ad immortalem fœliciter emigrauit.

2. S. ARBOGASTVS Aquitanus, etsi sint qui ex Hibernia ortum affirment: is Peregrinus & Heremita

mita uenit in Alsatiam, ibiq; in sacro nemore eo pene loco, ubi nunc Haganoa sita est, oratorium sibi construens, Deo ieiunijs ac precibus diligenter seruiuit: non otiosus tamen prorsus, nam & prodibat, & accolas de uera Dei cognitione, de uero timore Dei, & uera per filium Iesum Christum inuocatione, repræhensis Idolatricis cultibus, ac phanaticis opinionibus confutatis diligentißime erudiebat. Hãc ipsam doctrinam confirmauit etiã miraculis, nam et immundos spiritus eijciebat, & ægrotos sanabat, & mortuos resuscitabat: perturbatas uero conscientias ita uerbo Dei erigebat, ut hylares ab eo discederent, qui triſti ac perturbato animo accesserant. Hæc uera uitæ sanctimonia & summa sapientia cum innotuisset regi Dagoberto: uocauit ille S. Arbogastum sæpißime ad se, eius utens in grauißimis negotijs consilio. Quem cum uideret singulari sapientia, & uera pietate ac omnibus honestis uirtutibus conspicuum esse senem, uocauit eum ad eruidendam in Christianismo tumultuantem tum & fœdißimis erroribus summe contaminatam Argentinã, cuius loci Episcopum etiam, ac S. Amandi successorem eum constituit, anno Christi 646: addito mandato, ut Argentinenses audirent hunc Doctorem, & eius uoci tanquam diuinæ legi obtemperarent. Præfuit autem docendo & concionando annis 12. Suscitauit orationibus suis à mortuis Sigibertum, Dagoberti regis ex Mechtilde Saxonum ducissa filiũ, qui in uenatione

prope

prope Ebersheimmunster ab apro percussus postero die obierat: pro quo pietatis officio dedit rex Ecclesiæ Argentinensi Rusachium cum tota adiacente ditione: q̃ superius Mutatum corrupta uoce, quasi Manudatũ hodie adhuc appellant. Decessit ex hac uita, anno 658: sepelitur iuxta patibulũ in colle, quẽ D. Michaelis collem uocant: id enim ita postularat, imitaturus fatũ Christi, qui etiam extra Hierosolymã in loco sceleratorum passus fuisset. Postea multis annis labẽtibus supra tumulũ eius, monasteriũ S. Arbogasti, & in eadẽ uicinia summum templum Argentinense ædificari cæptũ est.

3 RODTHARIVS ducali origine & stemmate natus à rege Galliarum Childerico, Episcopus Argentinensis constituitur, ex regiæ Curiæ magistro, ac strenuo equestris ordinis uiro: iuxta uersiculum:

Ex gladio baculum dux fert Rotharius istum.

Præfuit is Episcopatui quinq; tantum annis. Obijt anno Domini 663. Sub hoc antistite fundauit & construxit duobus annis post mortem S. Arbogasti, uidelicet anno Domini 660 Childericus Galliarũ rex, Monasterium Alsatiæ in ualle S. Georgij. Sub eodem S. Episcopus Niuernensis Adeodatus in Alsatia ad Mortam fluuiolum, extruxit Monasterium uallis Galileæ, quod hodie Canonicorum secularium celebre collegium, Adeodati collegium: corrupta uero uoce S. Diedold uocari & appellari solet. Sunt qui alio ordine recitent successionem Episcoporum Argentinensium, sed falli

sed falli & toto cœlo errare eos, & certissimum est, & uetustis diplomatibus etiam demonstrari potest.

4. S. FLORENTIVS Scotus, nobili familia natus, sanctorum Arbogasti, A Deo dati & Hildolphi amicus, peregrinationũ comes, et exilij et Heremiticæ uitæ socius: oratorium sibi initio condidit ad Haseliacum fluuiolum non procul à Bruschio percelebri Alsatiæ amne, in densissimis nemoribus, qualia loca imprimis, tum amabant sanctissimi isti patres, uetustissimos sapientes, Prophetas & Poëtas in hoc imitati, de quibus extat uetus ille & suauissimus uersiculus:

Sylua placet Musis, urbs est inimica Poëtis.

In his latebris dabat operam sanctus Dei uir studijs Agriculturæ, diligenter interim Deo precibus & orationibus instans pro tota Ecclesia. Is ipse Rathildim Dagoberti regis filiam cæcam ac mutam à natiuitate, suis ad Deum optimum maximum in nomine Christi fusis precibus uidere ac loqui fecit. Pro quo beneficio rex Dagobertus eo ipso loco, ubi S. Florentius oratorium suum hactenus habuerat, magnificum construxit Sancto Florentio, & ipsius discipulis cœnobium Haselachium dictum, à nomine præterfluentis riui, in quo docebat ac legendo orandoq; Deo seruiebat S. Dei uir: donec tandem post Episcopi Rotharij mortem Episcopus Argentinensis Ecclesiæ eligeretur & designaretur unanimi totius & cleri & populi consensu: anno Christi 603. Præfuit pie & laudabiliter

biliter annis duodecim. Ac cum multi ad eum peregrinarentur Scoti, docti & pij homines: ædificauit ipsis Episcopus Florentius preclarum etiam cœnobium ad amnem Bruschium, in quo illi Deo precibus ieiunijsq; seruiebant, ac sacris scripturis discendis, summo studio operam nauabãt. Eleuabat de tumulo S. Arbogastum miraculis clarum. Postea cuocauit eum Deus ex hac miseriarum ac lachrymarũ ualle ad æternam patriam: in qua illi (qui multos ad iusticiam docuerunt) fulgebunt tanquam Sol & Luna: anno Domini 675. Sepelitur in Scotorum cœnobio à se fundato, quod nunc S. Thomæ templum incolæ Vrbis appellant, olim extra nunc intra muros situm.

5. ANSOALDVS succeßit S. Florentio, electus & constitutus Episcopus à rege Galliarum Childerico: præfuit quinq; annis. Obijt anno Christi 680.

6. S. IVSTVS, eximie doctus & sapientißimus Episcopus, eligitur anno Christi 680. Præfuit uix plene duobus annis, pie ac sapienter. Scripsit commentarium in Cantica Canticorum, qui in Trutenhusio Monasterio Canonicorum Regularium extat manu authoris scriptus. Deceßit ex hac uita anno Christi 681.

7. S. MAXIMVS succeßit S. Iusto: præfuit concionando ac docendo sex annis, uir summa uitæ innocentia & sanctimonia præditus. Valedixit momentaneæ isti ac misere uitæ, anno Christi 686.

8. S. VALENTINVS, uir sanctißimæ conuersa-

tionis eligitur, defuncto Maximo: præfuit tribus annis. Adijt Solem occasum nescientem, anno Christi 689.

9. S. SOLARIVS uenerandus et religiosissimus senex S. Valentino subrogatus, præfuit tribus ferè annis. Concessit ad æternam patriam, anno Domini 699.

10. BIVLFVS alijs Giulphus, successit Solario antistiti, præfuit annis octo: Absoluit naturæ debitum, anno Domini 700. Numeri tamen propter uetustatem corrupti, alibi aliter inueniuntur: Successio autem hæc uera & certa est.

11. MAGNVS, eligitur in locum Biulphi: præfuit annis sex: obijt anno 706, inuenitur nihil de eo aliud, quàm ex nobilissima eum prosapia natum fuisse, ex qua tamen, non additur: adeo ignaui fuerunt superiorum temporum annotatores. Hoc tamen certum est, nullum unquam alium assumptum esse in Canonicorum Argentinensium collegium, quàm uel ex principibus, uel comitibus, uel Baronibus natum, quiq; sedecim proauis ac atauis allegatis, honestum & legitimum, uel principem, uel comitem, uel Baronem se natum contestari posset. Vnde in uulgari dicterio de omnibus ad Rhenum sitis Episcopatibus, non inuenuste dicitur omnium nobilissima, sedes & Ecclesia Argentinensis. Adijciam uero hic bono studio uulgare illud & usitatum uulgo dicterium, de Platea (ut uocant) sacerdotum ad Rhenum habitantium.

Inter

Inter Sedes Episcopales ad Rhenum sitas dicitur:

CVRIA, *Summa: quia ad caput & fontes Rheni sita.*

CONSTANTIA, *Amplissima: dicitur enim habere sub Dioceſi sua, supra mille & octingentas Parrochias, & 400 Monasteria.*

BASILAEA, *Amœnissima.*

ARGENTINA, *Nobilissima.*

SPIRA, *Religiosissima.*

VVORMATIA, *Pauperrima.*

MOGVNTIA, *Venerabilissima, hoc est, dignitate & authoritate cæteras maxime antecellens: sola enim illa post sedem Romanam, Sancta Cathedra Moguntina dici solet, ex dono Pontificis Gregorij tertij.*

TREVERIS, *Vetustissima.*

COLONIA, *Opulentissima.*

12. ALDVS *successit antistiti Magno, præfuit nouem pene annis, legitur decessisse ex hac mortali uita, ad immortalem anno salutis 714.*

13. GAORINVS *alijs Baroinus eligitur, Aldo mortuo: præfuit annis septem. Obijt anno Domini 721. Sub hoc fundatum est Monasterium Schwartzacense, quod antiquitus Arnolphi Augia dictum est.*

14. LANDEBERTVS *constituitur Episcopus Argentinensis, anno Domini 721: præfuit annis sex. Emigrauit ex hac mortali uita anno Domini 727. Sub hoc plurima Monasteria fundata sunt, quæ in opere*

Monasteriorum celebrabuntur potius & commodius quam hîc.

15 RODOBALDVS præfuit tribus annis Episcopatui & Ecclesiæ Argentinensi, euocatur ex hac uita anno Domini 730.

16. MAGNEBERTVS præfuit quinq; annis, & obijt anno Domini 735.

17. VBIOLVS alijs Laybolus, præfuit septem annis, obijt anno salutis 741, quo anno natus est Carolus Magnus Galliarum rex.

18. GVNDOALDVS præfuit annis quatuor, obijt anno 746. Dicitur ab aliquibus Sunderholdus.

19. GAVDO uel gando uir eximiæ doctus & sapiens, successit Gundoaldo, præfuit annis duobus. Obijt anno redempti orbis 748.

20. VTHO uel Otho præfuit annis sex. Obijt anno Domini 756.

21. VVIGGERVS præfuit post Vthonem annis quinq;. Obijt anno 761. Construxit Monasterium ad Rhenum, Monachorum cellam appellatum. Sub eius gubernatione fundatum est etiam Murbacense Monasterium, omnium Alsatiæ potentissimum, ab Eberhardo Alsatiæ duce S. Ottiliæ fratre.

22. VVANDELFRIDVS successor Episcopi Wiggeri, præfuit quatuor annis, emigrauit ex hac uita, anno salutiferi partus 765.

23. OTHO uel Etho ab aliquibus appellatus, quem

quem aliqui Habſi urgium comitem fuiſſe, alij uero (qui magis ueriſimilia ſcribunt) ex Ethichonis Alſatiæ ducis genere, natum affirmant. Is Monachus primum legitur fuiſſe in Monaſterio uallis S. Georgij, in quo cum religioſiſſime uiueret, deſignatus eſt eiuſdem loci etiam Abbas. Cumq; & Abbatiæ laudabiliter iam annis aliquot præfuiſſet, miſſus eſt à S. Pyrminio in Augiam diuitem monaſterium recens à ſe fundatum, ut illic Abbatis dignitati & officio præeſſet: cum autem ſeptem annis ibi functus eſſet officio Abbatis ſumma omnium laude, uocatus eſt tandem, & wandelfrido Epiſcopo mortuo, ad Argentinenſis Epiſcopatus gubernationem à rege Galliarum Pipino. Vbi octo annis bene et prudenter præfuit, conſtruens ac renouans, pulchreq; & longe ampliorib⁹ ædificijs illuſtrans monaſteriolum Cellæ monachorum, aliquo modo collapſum iam et uaſtum: idq; à ſuo nomine Etenheimmunſter, quaſi Monaſterium uicinum patriæ Ethonis (erat enim ex uicino oppido Ettenheim natus) cognominauit. Obijt anno domini 773. Sepelitur in hoc ipſo monaſterio ſuo à ſe renouato ac locupletato, legitur fuiſſe Simoniacarum practicarum acerrimus uindex.

14. AVLIDVLPHVS ſucceſſit Ethoni temporibus Caroli Magni, nondum Imperatoris: præfuit laudabiliter decem annis, deceſſit anno Chriſti 783: quo obijt etiã Hildegardis regina Caroli Magni coniunx, fundatrix Cambidonenſis Cœnobij.

15. REMIGIVS alibi tamen Benignus appellatus: Abbas primũ perueteris monasterij in ualle Georgiana apud Alsatas siti, eligitur in Episcopum etiam Argentinensem concordibus totius & cleri & populi uocibus: præfuit laudabiliter annis uiginti, peregrinatus est pedes Romam, ubi ab Adriano Pontifice, honorifice exceptus multisq; sanctorum reliquijs donatus, eas omnes humeris suis è Roma Esthouium usq; in Monasterium recens à se conditum deportauit. Construxit aũt & fundauit magnificum monialiũ Canobium Eschoẽw, exoratus precibus sanctarum Virginum, Attalæ & Radunæ cognatarum suarum. Obijt anno Domini 803.

16. RATHO euocatus à Carolo magno Imp. ex Abbatia uallis Georgianæ ad gubernationem Episcopatus Argentinensis, summa cum laude ibi præfuit annis octo. Obijt anno Domini 812. Transtulit S. Florentij corpus ad Haselouium, ubi sanctus ille Dei uir antea oratorium sibi, & postea Monasterium construxerat, sumptibus ac munificentia Dagoberti Galliarum regis.

17. VTHO Argentinensis, à quo platea (in qua parentes eius habitarunt Argentinæ) hodie adhuc Vthonis platea appellari solet: & generis & ingenij animiq; uirtute ac nobilitate clarissimus, assumitur et eligitur in Episcopum Argentinensem à toto clero & populo, anno Domini 811: confirmatur à Carolo Magno;

gno: præfuit annis nouem pie, utiliter, & cum summa laude. Interfuit Aquisgranensi Concilio, quod congregauit ex omnibus Germaniæ Episcopis Ludouicus pius, reformandæ Ecclesiæ ergô, mox post suam coronationem. Decessit ex hac lachrymarum ualle, anno Christianæ salutis 811.

28. ERLENHARDVS alibi Vrlenhardus successit Vthoni, præfuit pie & laudabiliter annis septem. Decessit anno Domini 818.

29. ADELOCHVS eligitur mortuo Erlenhardo totius Capituli consensu: præfuit pie et uti bonũ Episcopũ decet, annis duodecim. Scotorũ Cœnobiũ ad S. Thomam mutauit in Canonicorum collegium. Sub eo Himelgardis Imperatrix, Lotharij coniunx construxit & fundauit maximis q; opibus & ornamentis illustrauit Cœnobium Virginum Deo dicatarũ Ehrenstei nium: ubi ipsa Imperatrix cum filia Irmelgarde honorifice humata & terræ mandata est. Obijt Episcopus Adelochus anno Christi 840: quo Ludouicus etiã Imperator ex hac uita emigrauit.

30 BERNOLDVS eligitur & constituitur Episcopus Argentinensis, anno Christi 840, fidelis doctor & informator suæ plebis, uir & uitæ sanctimonia, et eruditione insigni præstans. Præfuit prudentissime annis septendecim. Emigrauit ex huius uitæ carcere ad libertatem æternæ uitæ, anno Domini 857. Sub eo

Schwarzachianum cœnobium tuansfertur in alium ac tutiorem locum

31. RATHOLDVS succeßit Bernoldo ex hac mortali uita discedenti: præfuit fideliter & pie, ac plurimum etiam profuit Episcopatui annis octodecim, Imperante Ludouico secundo. Valedixit mortalium uitæ anno Christi 875. Quo idem ille Ludouicus Imperator è uita etiam emigrasse legitur.

32. GRIMOLDVS alijs Brunoldus, eligitur unanimi consensu totius cum cleri tum populi, anno 875. Præfuit annis octo. Deceßit anno redempti orbis 883.

33. REGENHARDVS succeßit Grimoldo, electus à toto clero, præfuit Episcopatui annis duodecim, quem diligenti sua administratione plurimum ditauit. Migrauit ex hoc seculo, anno Christi 895, decima Maij. Sub huius Episcopi gubernatione construxit, & fundauit Richardis imperatrix Caroli Crasßi coniunx, monialium cœnobium Andlow: in quo ipsa etiam mundo ualedicens religioßißime uixit, & finiuit hanc temporalem uitam. In quo & honorifice humata ac sepulta eßt.

34. BALDRAMVS gente & natione Bauarus, seu è Norico natus, eligitur anno Domini 895. Præfuit prudenter & utiliter undecim annis: fuit pius ac religioßißimus præsul. Obijt anno Domini 906: duodecima Aprilis.

35. ODOBERTVS eligitur in Episcopum Argentin-

gentinensem anno Domini 906: fideliter præfuit annis septem: Huic cum plurimum molesta esset, & iniuria Respub. Argentinensis, secessit Episcopus ex urbe in fortissimum quoddam castrum Rotenburg: sed furens plebs subornauit in pium ac laudabilem Episcopum suum sicarios quosdam, qui clam in arcem irruentes, Episcopum trucidarunt 30. Augusti, anno Domini 913. Eodē anno etiam Bernhardus Spirensis antistes à seditiosis duobus comitibus, Bernhardo & Conrado oculis primū et uisu priuatur, postea crudeliter interficitur

36. GODEFRIDVS Caroli Crassi è sorore nepos, legitime electus successit Odoberto: præfuit duobus tantū mensibus, & decima Nouembriū eiusdē anni quo interfectus est Odobertus, decessit etiam ipse ex hac mortali uita.

37. RICHVVINVS dux Lotharingiæ, sacrarum scripturarum insignis Magister, princeps pius ac religiosissimus, eligitur anno Christi 913: præfuit laudabiliter quindecim annis, in quibus Canonicorum collegium S. Thomæ egregie dotauit & illustrauit. Obijt 30. Augusti, anno Domini 928.

38. RVTHARDVS natione Sueuus, Præsulis eligitur post mortem et fata Richini. Præfuit annis undecim diligentissime & utilissime. Deponitur & exauthoratur ab Imp. Othone magno, propterea quod contra ipsum adhæsisset seditiosis principibus, Francorum duci, & Rheni Palatino Eberhardo, ac Lotha-

ringiæ principi Giſelberto Imp. Othonis ſororio. Dilectus uero in Saxoniam Corbeienſi Cœnobio includitur, ubi annis undecim detentus ac tandem dimiſſus, cum Argentinam rediret, obijt illic anno 950: ubi cum honeſto præconio uel Epithaphio terræ mandatus eſt.

39. VTO comes Francicus, Vtonis cuiuſdã filius: eligitur anno Chriſti 950, præfuit laudabiliter annis quindecim. Præſul eruditus & omnis generis librorum ſtudioſiſſimus collector ac perueſtigator, quorum magna adhuc pars in Bibliotheca Argentinenſi adſeruatur. Duobus annis ante ſuum ex hac uita diſceſſum, aſſumpſit coadiutorem Erkenbaldum: ipſe enim afflicta ualetudine erat præditus. Obijt anno 965.

40. ECKENBALDVS uel Erckenbaldus, Aldericus cognominatus, humilibus, at pijs & optimis parentibus natus: ſucceſſit Vthoni legitime uocatus & electus, præfuit tribus annis, etſi ſint, qui eum diutius præfuiſſe arbitrentur. Fuit eximie doctus Epiſcopus, ſacrarum literarum Magiſter: & mediocris uerſificator. Scripſit carmine uitas quorundam anteceſſorum ſuorum.

41. BALDVS pius & admodum religioſus dominus, ſucceſſit Erckenboldo, ſed quo anno id ignoratur. Deceſſit autem ex mortali hoc ſeculo, anno 979.

41. VVILDEROLFVS aliquibus Vilderoldus dictus, ſubrogatur Epiſcopo Baldo: præfuit annis 17. Etſi ſint, qui duobus tantum præfuiſſe ſcribant: errãt autem

autem isti. Nam præfuit iste Episcopus uere, cum Otho secundus anno Domini 930 in Italiam proficisceretur, qui tum isti Episcopo commendauit Alsatiam gubernandam. Postea anno Domini 985 co secrauit Monasterium Seltziense ad Rhenum situm. Deuoratus est à muribus, arcano sed tamen iusto Dei iudicio, anno 997 duodecima Iulij. Sepelitur in Ebersheimmunster Cœnobio plurimum à se adamato ac liberalissime dotato.

43. ALDOVICVS uel Aleßwicus eximie doctus ac prudentissimus Diuitis Augiæ monachus, eiusdẽq; loci ab Othone tertio constitutus etiam Abbas, confirmatus & consecratus à Pontifice Max. Gregorio V. tum cum Imp. Othonem Romam proficiscentem sequutus esset. Huic anno Domini 998 Otho iste tertius insignem scripsit epistolam latinam, in qua docet eum, quomodo monachos suos tractare debeat, eumq; ad perseuerantiam in pietate ac uitæ innocentia exhortatur. Eodem anno ab hoc ipso etiam Othone Imp. in Episcopatus Argentinensis fastigium collocatus est, ubi præfuit pie & prudenter 8. annis. Obijt anno 1006.

44. VVERNHARIVS eligitur anno Domini 1007., præfuit laudabiliter ac utilissime uno & uiginti annis, egregie amplians ac illustrans Episcopatum Argentinensem. Sub eo combustum est fulmine & ignibus æthereis templum S. Thomæ cum omnibus ornamentis: id reædificauit, & ex fundamentis instaurauit Episcopus Wernharius, nõ de Ecclesiæ sed de proprijs facultati-

facultatibus, anno Domini 1008, & aliquot sequentibus. Is ipse Wernharius, septimo suæ gubernationis anno, uidelicet anno 1014 D. uirginis Cathedralẽ Basilicã Argentinensem, è lignis olim & coctis exiguiq; ualoris lapidibus, à rege Galliarum Clodoueo Neophyto constructam demoliri cœpit, et ex fundamentis renouari ac longe ampliorem & quadrato lapide, magnificentiorẽ & fortiorem, q̃ antea, fieri curauit. Auxit Bibliothecam multis bonis libris. Anno Domini 1019 ingenti prælio uicit Burgundiones, Argentinensem Episcopatum iniuste deprædantes. Obijt postea anno Domini 1028. Vicesima octaua Octobrium.

45. VVILHELMVS eligitur ab uniuerso clero Argentinensi statim post euocatum ex hac lachrymarum ualle Wernharium. Præfuit laudabiliter annis 19. quibus primũ S. Thomæ collegiatã Ecclesiam incendio collapsam, & deformatã renouauit, & pulchre absoluit. Anno 1031. cæpit Parrochiale templum S. Columbani, uetustate collapsum, denuo instaurare, quod absolutũ, octo Canonicatibus illustrauit, ac tandẽ ipse consecrauit in honore S. Petri Apostoli. Monasterium Virginum in Eschaw, liberalißime donauit. Postea euocatur ex hac caduca & mortali uita anno dominicæ incarnationis 1047. Sepelitur in nouo Collegio S. Petri, cum tali Epitaphio, in quo etiam mentio fit fundationis.

Mille,

Mille, quater denos & septem uiderat annos
Christus, Gwilhelme hoc cum tegerere solo:
Argentinensis fueras qui Præsul, & octo
Fratribus hanc ædem denuo munieras.

46. HECZELO uel Heczelinus, eligitur anno salutis 1047: præfuit fideliter & utilissime annis octodecim. Is Canonicorum S. Petri Collegio nouo, sex adhuc Canonicatus adiecit: quod postea à Leone nono, comite à Dagsperg Alsata, P.M. iterum est S. Petro dedicatum. Scribebat se Episcopus iste, quemadmodum & omnes ipsius antecessores, non alio titulo usi erant: Indignum Dei gratia pastorem Argentinensis Ecclesiæ, in omnibus publicis literis. Postea alij tituli inuecti sunt. Obijt anno Domini 1065. Sepelitur apud S. Petrum iuniorem à se illustratum, ac auctum cum tali Epithaphio.

Qui uelatus erat Argentinense Tiara,
Dum studet hanc ædem magnificare Dei:
Sex quoq; præbendis: abijt super æthera fœlix,
Heczilonis humo molliter ossa cubent.

47. VVERNHARIVS secundus, comes Habspurgensis Gebizonis filius, natus anno Domini 1015: eligitur anno Domini 1065: præfuit 14. annis. Obijt anno gratiæ 1078. De huius morte uariæ sunt sententiæ: quidam ab Henrico IIII. Constantinopolin ablegatum, & in eo itinere trucidatum aiunt. Chronicon uero Hirsaugiense longum commentum affert, de concepto

grauissi-

grauissimo in Abbatem & monachos Hirsaugienses Episcopi odio, & ad Monasterium funditus uastandũ susceptaexpeditione, ibi tũ eum equum cõscendisse, & ab altero latere statim decidisse, ac subitanea morte in conspectu suorum omnium ex hac mortali ad aliã uitam sublatum esse.

48. THEOBALDVS successit Wernhero, praefuit quinq; annis et aliquot mensibus. Interfuit Comicijs Brixiensibus, in quibus Imp. Henricus IIII. Archiepiscopum Rauennensem creabat & eligebat Rom. Pontificem, contra Gregorium septimum. Obijt anno Dominicæ incarnationis 1084.

49. OTTO patre comite ac Domino de alto Stauffen è Sueuia, matre ueroHimelgarde comitissa de Altaflãma, pietissima fœmina natus: cõstituitur Argentinẽsis Episcopus ab Imp. Henrico IIII, qui fratrem huius Othonis, Dominũ Fridericum à Stauffen, propter insignem fidem & alias heroicas uirtutes ipsius, ita dilexit, ut ei Agnetem filiam suam matrimonij legibus copularet, eumq; ex comite Stauffensi ducem Sueuiæ crearet. Profectus est cum Domino Godefrido de Bilione Lotharingiæ duce, alijsq; multis Germaniæ Episcopis & principibus ad terram sanctam recuperandam, & sanctam urbem Hierosolymam è manibus ac potestate Saracenorum liberandam, quod fœliciter factum est anno Christi 1099, quo Godefridus iste rex Hierosolomitanus designatus est: etsi aurea corona se

coronari

coronari non sit passus, quòd Christus Dei filius coronam de sentibus ibi pro peccatis mundi gestasset. Episcopus Otho ex hac fœliciſsima expeditione domum reuersus, cœpit unà cum fratre suo Friderico Sueuorum duce ac matre Himelgarde, Selestadij construere et liberaliſsime dotare præposituram S. Fidis, tum Ecclesiam Dominici sepulchri appellatam, quod ad imaginem templi Hierosolomitani eam fieri & construi feciſset. Obijt anno Christi 1100 cum præfuisset annis sedecim cum summa laude.

50. BALDOVINVS succeßit Othoni Episcopo, præfuit uix duobus integris mensibus, & ex hac uita mortali euocatur, eodem quo electus est anno.

51. CHVNO eligitur anno Christianæ salutis 1101. ab Imperatore Henrico IIII, præfuit uiginti duobus annis extra & intra Argentinam tam negligenter, tam illaudabiliter, ut è gubernatione Episcopatus deturbaretur: legitur primis suæ gubernationis annis unà cum quibusdam nobilibus uiris fundasse & construxisse Manasterium Boumgartense. Obijt anno Dominicæ incarnationis 1123.

52. BRVNO uir sanctiſsimæ conuersationis, eligitur à toto Canonicorum Argentinensium senatu, anno incarnationis filij Dei 1123. Electus est paucis annis elapsis ex Episcopatu, ab Imperatore Lothario Saxone, cui summe inuisus erat: etsi talis odij ratio nusq̃ reddatur. Recõciliatus tamẽ Imp. intercedentibus impe-

imperatricis precibus, pristinæ dignitati restituitur. Quam diu uero præfuerit Episcopatui, nusquam inuenitur. Catalogi uirum, & sanctum, & pium fuisse uno ore confitentur, & affirmant omnes.

53. GEBEHARDVS succeßit Bunoni legitime electus, præfuit Episcopatui prudenter, sed quot annis, ignoratur: Pugnauit bis fœlicißime contra Sueuiæ ducem Fridericum anno Domini 1130 prope pagum Gingenheym, & iterum post sexennium, in quo ingenti prælio uicit Sueuorum ducem. Emigrauit tandem ex hoc lugubri sæculo, anno Domini 1141.

54. BVRCARDVS eligitur concordibus totius cleri sententijs, anno gratiæ 1141: præfuit bene & utiliter 20. annis, liberalißime donauit & auxit Xenodochium Argentinense. Sub eo conflagrauit, & iterum instauratum est templum S. Thomæ. Obijt anno Dominicæ incarnationis 1161.

55. RVDOLPHVS consequutus est Episcopatũ, anno Domini 1161: non per legitimam electionem, sed Simoniacis largitionibus ac practicis. præfuit octodecim annis. Deponitur & exauthoratur, iterum ab Alexandro tertio Rom. Pont. anno 1179. Mense Aprili. Idq; in publica Synodo factum est Romæ, cui 500. Episcopi & Abbates interfuerunt.

56. CONRADVS eligitur unanimi consensu totius Capituli Argentinensis, exauthorato Rudolpho, 20. Decembrium, anno Christi 1179. Emigrauit ex hac

uita

uita mortali mox sequente anno Christianæ salutis 1180. in die S. Thomæ Apostoli.

57. HENRICVS Baro ab Hasenburg, eligitur uno omnium Canonicorum Argẽtinensium ore in successorem Conradi: præfuit decem annis. Sub eo fundatur cœnobiũ Trautenhusium ad pedem mõtis S. Odyliæ. Obijt anno Domini 1190. in Calendis Aprilis.

58. CONRADVS secundus, Baro Hunnenburgius, Alsata: eligitur unanimi totius cleri consensu anno Domini 1190: præfuit fideliter & laudabiliter annis duodecim: obijt anno reparatæ salutis 1202: Oppositse Imp. Philippo, Barbarossæ filio: ob quam causam ab Argentinensibus captus dicitur, sed à Philippo tandem (ut erat ille mitis & clementissimus Imperator) receptus in gratiam, & è custodia liberatus.

59. HENRICVS comes à Veringen, Sueuus: pius ac religiosus, pacis publicæ, & bonæ inter omnes homines tranquillitatis author & custos, promotor & conseruator studiosissimus. Præfuit sapienter & utilissime uno & uiginti annis. Instaurauit iterũ castrum Dagenstein, pene collapsum, Dagoberti Galliarum regis olim sedem ac domicilium, ab eodẽ etiam extructum, & quasi Dagoberti saxum, aut saxea moles dictum. Decessit anno incarnati uerbi 1223. undecima Martij: Sepelitur honorifice & magnifice in sacello S. Andreæ: quod est in Basilica Cathedrali.

60. BERTHOLDVS princeps à Teck, Sueuus:

eligitur legitime & concorditer à toto clero Argentinensi, præfuit fideliter & prudentissime quindecim annis. Erat ei pacis inter omnes homines cõseruandæ summa cura: dissidiorum inter publicas & priuatas personas compositor, & diligentissimus & fœlicissimus. Monasteria & Canonicorum collegia, non urbis tantum, sed totius Episcopatus liberalissime iuuabat, & ornabat. Schwartzachium ac Osophonis cellam, Cœnobia Alsatiæ conflagrata egregie iterum, et quasi de nouo fundauit, & pulcherrime illustrauit. Erat princeps summis uirtutibus præditus: castus, placidus, mitis, misericors & benignus in omnes pauperes ac orphanos. Ac etsi pacis esset studiosissimus, tamen cum Episcopatum Argentinensem, conscripto in hoc exercitu temere inuaderet & deprædaretur Henricus rex, Imp. Friderici II. filius, absente patre Friderico: prodijt collecta manu Bertholdus Episcopus, & inuocato Dei auxilio, hostem in Alsatia grassantem magnanimiter ac fortiter profligauit: castra hostium Thann Pernsteinium & Geyrbaden obsidione cinxit, & facta deditione in potestatem suam redegit: Victorq; Argentinam reuersus, conuocato toto clero & populo, publicas Deo seruatori & opitulatori suo gratias egit, anno 1218. Pugnatum est acerrime supra Brysacum, prope Blodelsheymium, non procul à Rheno, in quo magna pars in fugam uersorum hostium misere submersa interijt. Obijt Episcopus Bertholdus cum

summo

summo omnium tam spiritualium q̃ sæcularium luctu, anno Christi 1239. Sepelitur honorifice in sacello S. Andreæ: prope Henricum Veringensem.

61. HENRICVS comes à Stahleck, Sueuus: eligitur anno Christianæ salutis 1239, præfuit uno & uiginti annis: fuit uir sapiens, prudens, iusti æqui q; amantissimus. Pugnauit pro Henrico Thuringiæ Landgrauio ab Electoribus Imperij contra Fridericum secundum eius q; filium Conradum electo: fœliciter recuperans Alsatiæ urbes, quas malis artibus alienatas ab Imperio sibi uiolentia quadam subiecerat Conradus Friderici secundi filius, Imperator à patre constitutus, sed ab Electoribus Imperij repudiatus, & regno iterum eiectus. In hac ipsa expeditione funditus euertit Episcopus Henricus firmiora ac munitiora Alsatiæ castra, uidelicet, Illeʒwigkersheymium, Gengenbachium, Crönenburgum, Malbershusium, Ortenbergum, Offenburgum, & alia plura. Post hanc expeditionem & adeptam uictoriam: quiete postea præfuit suo Episcopatui ad finem uitæ usq;. Decessit autem anno Domini 1260, quarta Nonarum Martij. Sepelitur in sacello S. Andreæ.

61. VVALTHERVS Baro de alto Geroldisseggko cis Rhenum: eligitur unanimi consensu tocius cleri Argentinensis, uno tantum aduersante, Henrico uidelicet Barone à Geroldisseggko: Id in Vigilia Palmarum

anni 1260. factum est: confirmatur & consecratur se-
quente anno 1261 à Wernhero Archiepiscopo Mogun-
tino. Ingressus est Argentinam pro ueteris moris con-
seruatione, splendida & maxime insigni pompa, pri-
ma die Februarij: comitabatur eum Abbas Sangallen-
sis, Bertholdus à Falckēstein, mille ad omnem uim ex-
cipiendam paratissimis equitibus. Abbas uero Mau-
bacensis Alsata, quingentorum equitum comitatu. Pa-
stero die, quo D. Virginis purificatio celebrabatur, ca-
tauit Waltherus primam Missam in præsentia cum di-
ctorum Abbatum, tum Principum etiam & comitum
ac Baronum plurimorum. Gessit biennale bellum, &
atrox ac funestum, totiq; Episcopatui summe pernicio-
sum, contra S.P.Q. Argentinensem, euocato prin-
ex Argentina uniuerso clero suo: Post uarios autem
conflictus, ingenti prælio uictus tandem est, non pro-
cul ab Argentina: etsi ipse ita strenue pugnasset, ut cō-
fossis sub se duobus equis, in tertium etiam insiliisset.
Videns autem omnia esse desperata, & suos miserrimu
cædi, ipse fuga sibi consulens, uix elapsus est cum duo-
bus equestris ordinis hominibus Bernhardo Immen-
hardo, & Wolffelino Maygenrisio. Cæsi sunt in exer-
citu Episcopi, uestibusq; exuti sexaginta nobiles uiri,
inter quos erat & Hermannus à Geroldisseck Epis-
scopi germanus frater, præfectus prouinciæ Rhenen-
sis à Basilæa Selsium usq;. Hi omnes apud Doroldis-
heymium in Iohannitarum domus templo humati, at

terræ

terræ parenti redditi sunt. Capti uero sunt 76. nobiles uiri, qui funibus (quos ipsi in ciuium perniciem præpararant) ligati & uincti in urbem sunt deducti. Ex ciuibus Argentinensibus, unus tantum desyderatus legitur, Hilgerinus lanio, qui captus à fugiente Episcopo, trucidatus est. Nolente uero Episcopo ullam conciliationem admittere, Episcopatus ab Argentinensibus ferro, incendijs, & rapinis misere uastatus est. Actum est de compositione & pace ab ipso etiam Richardo Angliæ rege ad Imperij gubernationem uocato, sed frustra: Sperabat enim Episcopus alioqui per clandestinam aliquam machinationem futurũ, ut nobiles captiui liberarentur: quibus Serras ipse misisse scribitur, ut uinculis & catenis ita discissis euaderent. Idq; consilium profuisset ipsis, & fœlix fuisset, nisi iratus Episcopus incogitanter ipse suam istam calliditatem coram Richardo rege & senatoribus quibusdam Argentinensibus prodidisset. Videns autem tandem, in quantas calamitates induxisset Ecclesiam Argentinensem: dolore animi potius quàm corporis aliqua ægritudine ex hac uita emigrauit, anno 1163: paucis diebus ante Pascha: Sic belli finis erat, iuxta illud Poëtæ:

Pugna suum finem, cum iacet hostis, habet.

Sepelitur apud Doroldisheymium. Huius belli totam Historiam Carmelita quidam Petrus copiose descripsit, in Chronicis Argentoratensibus. Canonici, mortuo Episcopo, redierunt in gratiam cum Senatu populoq;

pulo q; Argentinensi: libenter accipientes propositam pacis conditionis: & ex eo tempore D. Virginis Basilica Argentinensis, ad hæc nostra usq; tempora in potestate ciuiũ Argentinensiũ fuit. Vide de hoc bello Paralipomena addita Chronicis Abbatis Vrspergensis Conradi à Lichtenaw.

63. HENRICVS Baro à Geroldisseggo ex Swasgouia natus: Cantor antea summæ Basilicæ Argentinensis: cui solo, ex uniuerso clero contra edictum Swalteri Episcopi de facienda secessione, in urbe manenti, nihil fuerat negocij cum bellicis istis tumultibus. Namq; ipse solus etiam antea in electione Episcopi obstiterat suis suffragijs Swalthero, uidens forte (ut hominum sapientum animæ uaticinantur) non futurum eum utilem gubernatorem. Is inq; Henricus uir mitis, ac natura placidus, eligitur iam post mortem Swalteri, concordibus totius cleri populiq; suffragijs in Argentinensis Ecclesiæ præsulem, anno Domini 1163. Erat ob multas egregias suas uirtutes toti Reipub. Argentinensi charissimus, & omnium ciuium amicus summus: præfuit laudabiliter, pacifice et utilissime decem annis. Primus recepit in urbem monachos Augustinianæ professionis. Habuit aliquandiu apud se Albertum Magnum, Ratisponensem Episcopum exulẽ. Obijt anno Domini 1173. Sepelitur splendide et honorifice in summa Basilica Argentinensi.

64. CONRADVS Baro de Liechtenberg omni

uirtu

uirtutum genere ornatißimus: eligitur anno Christianæ salutis 1273. Præfuit laudabiliter ac utiliter annis uiginti sex. Sub eo inchoata est primum à Senatu Populoq; Argentinensi insignis illa & admirabilis Argentinensis Basilicæ turris, totius Germaniæ spectaculum & ornamentum eximium, anno Christianæ salutis 1277: ab Erwino de Steinach statuario Latomo & Architectone insigni: absoluta est annis uiginti octo. Anno autem Domini 1299, obsidente Egone comite Friburgensi, Episcopi Conradi nepote ex sorore, Friburgum: iuuit hunc cognatum suum Conradus Episcopus, qui Egregius bellator, non robore tantum corporis, sed consilijs & industria rei gerendæ valebat maxime. Cum itaq; urbem Friburgensem graui obsidione cinctam obequitaret; totus sericatus et egregie triumphans Episcopus, ad fortiter & strenue oppugnandam urbem undiquaq; cohortans militem: irruit in eum Lanius quidam Friburgensis, homo iuuenis & temerarius, is Episcopum inermem, nec tale quicquam metuentem lancea traijciens, incolumis iterum ad suos elapsus est. Episcopus ex eo uulnere, obijt post diem tertium, uigesima quarta uidelicet Iulij: Inde Argentinam reuectus, honorifice ibi terræ mandatus est in sacello Sancti Ioannis Baptistæ, prope summam Basilicam, cum honesto Epitaphio.

65 FRIDERICVS Baro Liechtenbergius, Conradi Episcopi germanus frater, antea præpositus

ſummi Collegij Argentinenſis, uirtute & uitæ honeſtate fratri non inferior aut poſterior. Eligitur 15 Septembrium Anno Domini 1199 etſi inuitus, et nihil tale uel ſperans uel ambiens. Confirmatur & conſecratur ſtatim à Gerlaco Eppenſteinio Archiepiſcopo Moguntino, cum eo ipſo tempore Comicia haberentur Argentinæ ab Alberto Auſtrio, Rom. Rege: à quo mox etiam in ijſdem Comicijs regalium ſuorum inueſtituram, ac priuilegiorum confirmationem conſequutus eſt. Epiſcopus ita deſignatus & confirmatus, hominum non niſi bonorũ ac aliqua uirtute præſtantium amicitia & conſuetudine delectatus: præfuit ſapienter ſex annis. Sub eo Wilhelmitæ in Vrbem recepti: et turris illa (quæ ſeptem mundi mirabilibus octauũ annumerari poteſt) abſoluta eſt. Erat ſacerdotum Concubinas alentium ac fouentium ſummus oſor, & grauiſſimus in coſdem animaduerſor. Obijt anno 1306, uicesima Decembrium, quæ erat S. Thomæ Vigilia. Sepelitur prope fratrem Conradum in ſacello S. Ioannis Baptiſtæ, quod eſt in Summo templo Argentinenſi.

66. IOANNES nobilis à Dirppheym, Heluetius: illegitime natus ex pago Eßlingen, in agro Tigurino, Vir eximia uirtute, ſapientia et uitæ bonitate præditus: doctrina uero, & imprimis utriuſq; Iuris ſcientia clariſſimus: Deſignatur primum præpoſitus Tigurinus, & poſtea Epiſcopus Eyſtetenſis ab Alberto Auſtrio, Romanorum Rege, cuius diu antea fuerat

Cancella

Cancellarius, & intimus Consiliarius. Præfuit Aystadij duobus annis, Et à Pont. Max. Clemente V. Argentinensi Episcopatui præficitur, anno Domini 1307: cum iam Argentinæ dominarentur quatuor Episcopi per discordiam electi, Ioannes Baro de Flerchingen, Summæ Basilicæ præpositus: Ioannes Baro ab Ochsenstein Scholasticus Alberti regis ex sorore nepos, Hermannus comes à Dierstein, et Ioannes Baro ab Eremburg: quibus omnibus repudiatis et exauthoratis, pontificia authoritate intercedente obtinuit sedem Episcopalem Ioannes à Dierpheym, primus qui contra Canonicam electionem intrauit in Argentinensem Cathedram: Præfuit autem utilissime & cum summa omnium laude 22. pene annis, quibus Episcopatum egregie auxit, ampliauit & locupletauit. Fuit princeps pacificus, hospitalis, benignus erga pauperes: omnibus charissimus, tã summo q̃ infimo loco natis: Oeconomus uero lõge optimus. Multos Alsatiæ pagos mœnibus ac fossis muniri fecit, ut ingruentibus bellorum tempestatibus, uim aliquam sustinere possent, donec ipsis commode subueniretur. Molsheymense oppidũ ampliauit, et anno domini 1316, egregie illustrauit cum arce, tum Xenodochio, in quo post fata sua uoluit sepeliri. Recepit in urbem Carmelitas. Valedixit huic mortali uitæ, anno Domini 1328, sexta Decembrium. Sepelitur Molsheymij in Xenodochij à se fundati & constructi templo.

67. BERTHOLDVS comes à Bucheck, Land-

grauij cuiusdam ex Burgundionibus filius: Teutonicus Dominus, sapientia & morum probitate, animiq; erga bonos lenitate, erga seditiosos uero magnitudine nemini secundus, eligitur in Episcopum Argentinensem 11. Decembrium, Anni à nato Christo 1328. Fuit pacis & concordiæ per omnem uitam suam studiosissimus, clero & ciuibus charus. Aliquando tamen ab aliquibus Canonicis (quos propter concubinas sæpe reprehensos, seuerius tractarat, & quod Vlricum quendam Baronem à Signow suum è sorore nepotem contra Ioannem Baronem Liechtenburgium, præpositum summi templi esset uellet) captus, in Kirkelio castro per quatuor menses detentus, & certis tamen pacis conditionibus tandem, urgentibus negotium Pontificæ ac quibusdam principibus, iterũ dimissus est. Adactus etiam à uicinis quibusdam ciuitatibus ad arma sumenda, modestissime se gessit: ubi excitatis in se ab Imp. Ludouico Bauaro hostibus suplex factus pacem sibi suisq; (non tamen sine magno auri pondere quod facile omnia pacare potest) impetrauit: eam illibatã postea conseruauit semper. Præfuit Episcopatui uiginti quinq; annis optime & utilissime. Condidit & erexit sacellum D. Catharinæ, cuius festum in summis deliciis habere est solitus, quòd eo die in hanc mortalem uitam natus, & eodem ad Episcopatus gubernationem fuisset electus. In eo sacello fecit sibi fieri sepulchrum, in quo mortuus conderetur: sed quia ille tumulus

lus ei ornatior & magnificentior iusto uideretur esse, noluit ibi sepeliri, sed ut esset & haberetur iste tumulus sibi præparatus, omnibus sæculis, Dominicum salua-toris nostri sepulchrum statuit & serio mandauit: sibi non procul inde alium constituens simplicioris sepulturæ locum, in quem positus est tandem ipso fatali sibi die S. Catharinæ anni à nato Christo Millesimo trecentesimo quinquagesimo tertio: cum paucis mensibus ante mortẽ suam, omnibus corporis uiribus plane destitutus Episcopatum resignasset Ioanni Baroni Liechtenbergio, summi Collegij præposito, cuius tamen instinctu olim captus, & misere tractatus fuerat. Sub eo cœpit construi à ciuibus quibusdam Argentinensibus Carthusia. Vastauit Stauffenburgum & Hohensteinium castra, propter rebelles & seditiosos quosdam Centauros. Dambachium uero & Persium ampliſsimos pagos, mœnibus ac fossis pulchre ad uim sustinendam muniuit.

68. IOANNES Baro Liechtenbergius, præpositus summæ Basilicæ Argentinensis, eligitur à uiuente & adhuc superstite Episcopo Bertholdo, consensu totius cleri anno Dominicæ incarnationis 1352 in die S. Andreæ. Erat uir humilis, mitis, placidus, misericors & benignus erga pauperes, nec superbus nec ambitiosus, simpliciſsimo habitu ac uestitu contentus, diligens & seuerus religionis cultor:

Quicquid

Quicquid sacrorum officiorum aut munerum alij Episcopi Suffraganeis suis commendant, id omne faciebat ille ipse studio & gaudio summo. Præfuit utilissime duodecim annis, & quindecim septimanis. Emit ad Episcopatũ Argentinensem, à Ioanne ultimo Alsaticæ prouinciæ comite, Landgrauionatus Alsatiæ possessiones omnes, anno Domini 1358. Haganoam & Selestadium Alsaciæ ciuitates, sibi iniurias strenue ultus est. Dachensteinium Cœnobium regularium S. Augustini Canonicorum fundauit & erexit primus. Obijt animi mœrore consumptus, in die S. Crucis, anno Domini 1365, quod impune grassantes Anglos, Alsatiam & omnem circumiacentem regionem, misere uideret uastare. Sepelitur in maioris Basilicæ Argentinensis sacello D. Ioanni sacro, in quo eiusdem familiæ, duo alij etiã Episcopi requiescũt. Habetur hodie adhuc sanctus

69 IOANNES comes Lutzelburgius, Imp. Caroli IIII. ex Venceslao fratre nepos, Gallus cognominatus, & comes Lyniæ: quòd in Gallia educatus esset, & pater Venceslaus comitatum Lynienſem gubernasset. Mittitur is ex Italia à Rom. Pont. ad gubernationem Episcopatus Argentinensis, cum ibi inter duos alios per discordiam electos, de Episcopatus possessione per integrum annum disceptatum esset. Ingressus est Argentinam, & honorifice ibi est exceptus ab uniuerso Clero, item à Senatu populoq;, undecima Iunij, Anno Christianæ salutis 1366: Erat princeps formæ elegantia,

& cor

& corporis robusti, uere heroica statura conspicuus: mensæ deliciarum, cibi uidelicet ac potus multi & opipari percupidus: homo alioqui simplex, & qui potius ab alijs regebatur, quàm quod ipse regere, uel potuisset, uel ausus fuisset. Præfuit laute uiuendo quinq; annis, & anno Domini 1371 Moguntinæ sedi præficitur à Pont. Gregorio XI & Imp. Carolo IIII. Præfuit ibi duobus annis, & obijt anno 1373 non sine uenceni suspitione: Sepelitur honorifice in Erbachio præpotenti Ringouiæ Cœnobio.

70. LAMBERTVS nobilis à Buren, Alsata: Gulielmi equitis aurati filius: constituitur & confirmatur anno domini 1371 Episcopus Argentinensium, à Rom. Pont. ualde impacienter id ferente, & admodum grunniente senatu Canonicorum. Fuit is primum Monachus apud Neowyler, eximie doctus, inde Gengenbacensi Abbatiæ præfectus, cum non diu ibi præfuisset, ad Brixiensis Episcopatus gubernationẽ euocatus est: ubi cum etiam non diu ad clauum Ecclesiæ sedisset, præfecit eum summus Pontifex Vrbanus quintus, Spirensi Episcopatui, cũ semper interim Imp. Caroli IIII. esset Cancellarius, ac propter excellentem eruditionem cum summa sapientia ac prudentia coniunctam præcipuus Consiliarius. Spirensi Ecclesiæ præfuit utilißime nouem annis: cum resignasset autem Ioannes Episcopus Argentoratensis gubernationem sui Episcopatus Canonicis, & ipse Moguntinus iam fieret Archiepiscopus,

copus, Canonici uero Argentinenses disceptarent inter se de alio in ipsius locum eligendo: iuuat Carolus IIII. hunc Lambertum, ut ex Spirensi Argentinensis etiam Episcopus consensu Romani pontificis fieret, anno ut dixi 1371. Præfuit ibi annis quatuor, & Babenbergensis Ecclesiæ Episcopo Ludouico ex hac mortali uita euocato, consequutus est eiusdem Imp. Caroli IIII. (cui longe fuit charissimus) ope Ecclesiæ etiam Babembergensis possessionem, ibi resignata Argentinensi, præfuit annis uiginti tribus laudabiliter, ad annum usq; Domini 1398. quo Bambergensis etiam Episcopatus Magistratu se abdicans Gengenbachium rediit, ubi religioni Christianæ totus deditus post pauculos menses, mortuus ac honorifice sepultus est. Sub hoc Episcopo facta est secunda Anglorum irruptio in Alsaciam ac Ergouiam, omnia harum prouinciarum Oppida ac Monasteria misere uastantium: Hi ab Heluetijs magna clade affecti, retrocedere et fuga sibi consulere coacti sunt, plurimis cæsis apud Dominarũ fontem Cœnobium uirginum in Ergouia.

71. FRIDERICVS Baro à Blanckenheim constituitur à Romano Pontifice Episcopus Argentinensis contra discordem electionem Canonicorum Senatus, qui duobus suffragabatur, Ioanni uidelicet Baroni ab Ochsenstein summi Collegij Decano, & Georgio comiti à Veldentz Scholastico. Ingressus est Vrbem Fridericus præmisso antea confirmationis Pontificiæ diplo

mate

mate uicesima Decembrium, anni à nato Christo 1375. ubi cum à clero tum à populo honorifice exceptus est, Capitulo uero iniquius ferente ipsius aduentum. Erat homo omnino iuuenis, sed doctus, sapiens ac legum imperalium peritia clarus: at insatiabiliter auarus, & egregius artifex emungendarum cum è clero tum à populo pecuniarum, qui & inusitatis & inauditis exactionibus ditiones suas grauabat, clero peccanti grauissimas multas irrogabat: nobilium quasdam arces ac pagos uiolentia ad se rapiebat, & morientium ciuium relictis possessionibus mire etiam insidiabatur: quibus malis artibus cæpit cum clero tum uniuerso populo inuisus fieri maxime. Præfuit sic sedecim annis. Gessit graue & iniustum bellum contra Argentinensem Rempublicam anno incarnati filij Dei Millesimo trecentesimo octogesimo octauo: id eleganter & succincte descriptum, quære & lege in Paralipomenis Vrspergensi Chronico additis. Videns autem se & clero & urbi inuisum esse, & diutius ibi hærere sic non posse, cæpit de alio Episcopatu acquirendo cogitare & Pont. Max. instare, apud quem obtinuit Vtricensis uel Vltraiectini Episcopatus possessionem iure permutationis tamen accipiendam, ita ut ipse Vltraiectum, Vltraiectinus uero præsul, Dominus Gulielmus Argentinam proficisceretur. Id factum est anno Dominicæ incarnationis Millesimo trecentesimo nonagesimo secundo.

72. BVRCARDVS comes de Lutzelstein, antea Summæ Basilicæ præpositus, eligitur contra approbatam à Rom. Pont. permutationem, de qua dixi: à senatu summi Collegij Argentinensis, anno Domini 1391 in Episcopum. Sed cum is desperaret se posse retinere tantæ rei possessionem contra Gulielmum pontificia authoritate confirmatum: cessit Gulielmo libenter & bona pace, retenta sibi tamen superioris Manudati, oppidi uidelicet Rufacensis ac adiacentium pagorum ditione: quam tamen etiam tandem resignauit. Nam cum sui generis ultimus esset, relicta Religionis professione, pontificia dispensatione interueniente uxorem duxit, ex qua pater duorum filiorum factus est, Iacobi uidelicet ac Gulielmi comitum à Lutzelstein: qui à Friderico Rheni Palatino (in quem seditiosi fuerant) ditione sua electi, et in exilium pulsi, sine hæredibus decesserunt. Sic comitatus Lutzelsteinensis ad Rheni tandem Palatinos deuolutus est, anno Domini 1452. Præfuit tamen Burcardus iste duobus annis Argentinensi Ecclesiæ, antequam Gulielmo Vltraiectino cederet.

73. GVLIELMVS comes Diestensis pontificia authoritate, & permutationis iure ex Vltraiectino ad Argentinensem Episcopatum euectus est, anno Domini 1394. Is Friderico à Blanckenheym non dissimilis moribus & uita, homo animi prorsus inconstantis & inquieti, statim à Senatu populoq; Argentinensi dissidere cœpit, tamdiu, donec ad arma etiam tandem res perueniret

uenirẽt. Geßit autem bellum pluribus annis cum Vrbe Argentoratenßi, omnino tamen infœliciter. Etßi enim dimidiam partem prouinciæ Tranßrhenanæ Offenburgum uidelicet, Gengenbachium, Ortenburgum, Cellam Harmensbacenßem, & alia adiacentia loca (quam omnem regionem Argentinenßis Epißcopus 44. aureorum millibus ab Imperio Romano, meritis ac uirtutibus Domini Bertholdi à Buchegk, impignoratam & Hypothecam factam poßedit) Ruperto regi ex Palatinorum familia nato libere reddidißet: Zabernamq; Lotharingiæ duci tradere uoluerit, ut ßi non proprio, tamen alieno ßaltem ßubßidio fœlicius contra ciuitatem bellum gerere & triumphare poßet: tamen conniuentibus Domino Hugelmanno de Vinßingen Decano, & Friderico de Hohenzollern Camerario, à ciuibus Argentoratenßibus in Mollesheym oppido (in quo frequens reßidebat) captus, Argentoratumq; deductus eßt. Hæc inter ipßum et ciues Argentinenßes dißenßio, cum ab Archiepißcopo Moguntino Conrado Baronc à &weinßperg, et à Marchione Badenßi (qui præßentes Argentinæ fuerant) ßopiri dirimiq; nequaquam poßet: prædicti duo Canonici & ßenatores aliquot ad Concilium Conßtanciense citati ßunt, illucq; Gulielmus etiam Epißcopus perductus. Cautione autem ab ipßo & à ciuibus ibi recepta, caußa uentilari cœpit, mutuisq; articulis longo tẽpore, ut fieri ßolet, in libellum conßcriptis, Epißcopus libertati tandẽ reßtitutus eßt,

Ciuitas uero ob iniectas in præsulem manus, censuras Apostolicas & Bannum Imperalem, absolutionis ex petens, tum ipsi concilio Constanciensi, tum Sigismundo Romanorum regi, quod Imperij principem cœpisset, aureorum nummum ingentem summam persoluit. Episcopus Mollesheymium reuersus, ibi semper deinceps sedit, inuisus urbi, inuisus clero, inuisus omnibus, quia molestus omnibus, insigni sua & insatiabili auaritia. Præfuit Episcopatui Argentinensi ante & post captiuitatem quadraginta quatuor annis, quibus parum profuit Ecclesiæ aut ditioni suæ. Obijt apud Mollesheymium sexta Octobrium, anni à nato Christo 1439: ibidem sepultus.

74. CONRADVS Baro à Busnang ex Thurgouia natus, eligitur anno 1439 à maiori parte Capituli Argentinensis, ut succederet mortuo Gulielmo: Sed cum iam ille in chorum Ecclesiæ ductus, & pro more in aram positus esset, canente toto clero Hymnum Diuorum Ambrosij & Augustini: electus est interim summa festinatione, ab alia Senatus Canonicorum parte & equestris ordinis uiris Ioannes Baro ab Ochsenstein decrepitus et omnino ualetudinarius senex, surdaster etiam: hunc introducentes illi in chorum summæ Basilicæ, etiam in aram collocarunt, magno tumultu uociferantes contra Conradum legitime electum. At Conradus uir natura mitis, placidus ac prudētissimus, uidens quo res peruentura esset, nisi bona pace cederet:

ret: uocatis ad se Canonicis (à quibus electus erat) in hanc sententiam oblato honore se iterum abdicauit, Si uellet ei Capitulũ permittere liberam potestatem resignandi Ep. scopatus, Ruperto Rheni Palatino uni uidelicet ex Canonicis præsentibus, tum se ne detrimenti aliquid capiat Ecclesia et Respub. pacato animo cessurum, ea tamen lege addita ut sibi à Ruperto & Canonicorum senatu relinquatur, superius Manudatum Ruffachiana uidelicet ditio libere possidenda. Hoc consilium cum omnibus placuisset, Rupertus Rheni Palatinus assumptus est. Conradus Ruffachium occupans triginta duobus annis, ibi ut quiete ac pacifice sic etiã prudentissime ac utilissime præfuit, omnibus acceptus, omnibus charus. Obijt anno 1471, duodecima Martij. Inde Argẽtinã uectus in summæ Basilicæ sacello D. Ioanni sacro, honorifice humatus, ac terræ mãdatus est.

75. RVPERTVS Rheni Palatinus & Bauariæ dux, Stephani Palatini filius, à Conrado præsentatus & electus, assumitur in Episcopum Argentinensem summo consensu totius cleri & populi Argentinensis: facta prius conuentione de utrimq; perpetua pace conseruãda, quandoquidẽ priorũ aliquot Episcoporũ cum urbe Argentinensi habitæ dissensiones pernitiosissimæ fuissent cum urbi tũ Episcopatui. Hac confœderatione Haganoæ facta & cõfirmata, ingressus est Rupertus Episcopus Argentinã insigni pompa, anno adhuc Millesimo quadringentesimo tricesimo nono: comitabãtur

eum pater Stephanus et fratres ipsius, Comites item a
Barones uiginti sex. Excipitur summis honoribus, in
troducitur in summam Basilicam, consecratur etc. Pra
fuit fœlicíter utiliterq;, & cum summa laude annis tri
ginta octo, primum aliquo modo dissolutis moribus,
postea uero gubernator optimus, Oeconomus diligen
tissimus, Religionis custos ac propagator studiosissi
mus. Author concionum, quæ haberi sub eo sun
cœptæ in Basilica Cathedrali. Obijt anno domini 147
in die S. Lucæ Euangelistæ: sepelitur in Tabernis Alsa
tiæ, ubi sedere plerunq; & habitare est solitus. Con
gessit diligenti sua gubernatione magnum auri thesau
rum, quem Episcopatui post se reliquit.

76. ALBERTVS Rheni Palatinus & utriusq;
Bauariæ dux, filius Othonis ducis apud Nouumsto
rum residentis, antea summæ Basilicæ præpositus: elec
gitur mortuo Episcopo Ruperto, unanimi totius cleri
Argentinensis consensu anno Domini 1478. Præfuit
optime & utilissime annis uiginti septem, mensibus
nouem, diebus quinq;. Erat princeps omnino non su
perbus, sed humilis, mitis, placidus, omnibus benig
gnus, & iccirco etiam omnibus charissimus. Renouas
uit Eysenburgum castrum, urbi Ruffacensi penè con
tiguum, Dagoberti Galliarum regis olim sedem ac do
micilium. Reædificauit etiam, & maximis sumptibus,
egregie illustrauit arcem Dachenstein, arcem item &
Parrochiale templum in Tabernis Alsatiæ: isti templo

siue

siue Collegio Canonicorum sacellum etiam adiecit, in quo sepulturam sibi præparauit. Infensus Iudæis supra mediocritatem omnes è suo Episcopatu expulit: portentosi sacerdotum concubinatus summus osor, & uindex acerrimus: etsi potuisset ei aliquis cantillare illud Catonianum,

Turpe est doctori, cum culpa redarguit ipsum.

Religionis & pietatis studio nemini fuit secundus. Obijt cum summo omnium suorum luctu uigesima Augusti, anni à nato Christo 1506: sepelitur in Tabernis Alsatiæ, sacello in quo sibi uiuus sepulturã adornarat.

77. GVLIELMVS comes de Honstein, Syluæ Bacenidis accola: eligitur unanimi totius Canonicorum summi Collegij consensu nona Octobrium anni à nato Christo 1506 in Episcopum Argentinensem, cum iam unus mensis & uiginti dies post mortem Episcopi Alberti præterijssent. Is etsi ætate nondum prouecta, tamen seuerus erat rerum Episcopatus inspector, & gubernator diligentißimus, honestæ conuersationis

Nullo tempore non uere studiosus amansq;: Princeps mediocriter doctus, eximie prudens, facundus plurimum. Humilis apud se maiores: grauis uero & tamen placidus ac mitis erga se inferiores. Omnibus pauperibus clemens, summe propicius ac benignus. Confirmatur Bononiæ à Iulio secundo P.M. Consecratur Argentinæ in Dominica Letare anni 1507 ab Ernesto Archiepiscopo Magdenburgensi duce

Saxonum, & Henrico Churensi Episcopo Barone Heuwensi, in præsentia Diui Maximiliani Imp. & multorum electorum ac Principum cum sæcularium tum Ecclesiasticorum Germaniæ. Consequitur regalia Haganoæ à Maximiliano Imperatore, quem ad Constancienſia Comitia euntem comitatus est. Ingressus est postea Argentinam iuxta uulgatum ac receptũ morem insigni pompa sexcentũ & quadraginta instructißimorum equitum, quarta Octobriũ: Comitabantur eum, Philippus Marchio Badensis, & undeuiginti comites ac Barones. Excipitur à senatu Canonicorum, à Senatu item Populoq; Argentinensis urbis honorificentissime. Præfuit prudentißime ac in summa ista suorum temporum propter dißidium religionis difficultate, summa animi moderatione: annis 35. Obijt (si recte memini) anno domini Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo primo.

78. ERASMVS ex illustri ac nobiliſſima semperq; libera Pincernarum de Lymburg familia et gente ortus, Canonicus Argentinensis & Bambergensis eximia uirtute, eruditione ac sapientia præditus: succeſſit in alteram uitam euocato Episcopo Gulielmo, concordibus totius summi Collegij Argentinensis procerum suffragijs electus. Præest adhuc prudentißime hoc anno Domini Milleſimo quingenteſimo quadrageſimo nono. Faxit æternus pater Domini ac liberatoris noſtri Ieſu Chriſti, ut in Eccleſiæ & Reipub. Chriſtianæ

stianæ utilitatem, uiuat, præsit, & salutaria consilia conferat quàm diutissime.

APOSTROPHE AD REVERENdissimum præsulem illustrissimumq; Principem ac D. D. Erasmum Episcopum Argentinensem.

At tu quæso mihi præsul dignissime parce,
Quod breuiter nomen uix ego tango tuum:
Quod tua quas laudes uirtus generosa meretur,
Non qua debebam relligione cano.
Scribimus historiæ tantum hic compendia uestræ,
Mandamusq; breui nomina sola libro.
Sed uenient anni, quibus ampla uolumina condam,
De rebus gestis Præsul Erasme tuis.
Et priscis de præsulibus, quibus astra regentes,
Te successorem constituêre dij.
Tum qui saxeus es nobis hoc tempore factus,
Aureus in nostro carmine totus eris.
Interea Dominum Patrem gnatumq; & ab ipsis
Procedentem etiam testor & oro Deum.
Vt te præsul Erasme sua uirtute gubernet
Ac semper ducant ad meliora: Vale.

BRVSCHIVS Poëta Laureatus.

AD INCLYTAM VRBEM SPIRENSEM.

Spira æqui iuſtiq; domus, domus inclyta regum,
Qua uix eſt Rheno filia pulchra magis.
Illuſtris triplici, diuum bonitate, ſenatu:
Cleri, Aſſeſſorum Cæſaris atq; Patrum.
Quod Diadema tuo clementia numina Diuum
Conſeruent capiti regia Diua diu.
En oculos uenit ante tuos nouus iſte libellus,
E tenebris qui te protrahit atq; tuos.
Qui quibus ad Chriſtum ducibus perueneris olim
Ex errorum undis libera facta, docet.
Qui tua templa tuas q; arces toti ingerit orbi,
Ac tibi perpetuum donat habere decus.
Si nunc, quæ ducibus quæ ſummis regibus orbis
Diligeris, non es ſola inimica tibi:
Accipe te ſaltem, ſi non uis ſumere paruum,
Quem tibi noſtra offert ruſtica Muſa librum.
Quod tamen ut facias, te mecum Cymbricus hæros
Virtute & meritis maximus ille rogat.
Cæſareo qui iudicio in te præſidet, eſtq;
Ornamentum ingens grande decus q; tuum.
Gwillhelmus &wernherus ad aurea ſydera notus,
Imo & Olympiaca notus in arce magis.
Iuſticiæ pater & Mœcenas maximus æqui,
Gloria Cymbriacæ non moritura domus.

Sextum

SEXTVM CAPVT continens Catalogum omnium Spirensium Episcoporum.

DE SPIRENSIS siue Nemetum Episcopatus fundatione ac origine prima, nemo quicquam certi dicere aut affirmare potest. Esse autem uetustißimum, hoc testatur: quod anno Domini 343 IESSIVS quidam Nemetũ Episcopus, Colonienſi Synodo interfuisse legitur, in qua Euphrates Episcopus Coloniensis, propterea quod Arrianis adhæreret, è gubernationis fastigio, unanimi oĩm totius orbis Episcoporũ consensu est deiectus & exauthoratus. Post hunc Iessium uel Ihesum nullus legitur Episcopus Nemetum urbi præfuisse, usq; ad tempora Dagoberti Galliarum regis Christianißimi ac munificẽtißimi, fortaßis quod ipsa quoq; Arrianismo infecta, ut cæteræ urbes ad Rhenum sitæ ferè omnes, Episcopos nullos tulerit: aut si quos habuerit, certe non annotarit. Dagobertus uero Galliarum rex potentißimus circa annum 610. collapsi huius Episcopatus misertus, eum denuo fœliciter instaurauit: ac sanctum Dei uirum, Athanasium sacellanum suum, isti sedi præfecit. Hunc Dagobertum ueluti primum suum fundatorem tota honorat & prædicat Spirensis Ecclesia: cum omnium primus inchoa-

tor & author, qui proculdubio uir sanctus, & unus ex Apostolorum Domini nostri Iesu Christi discipulis fuit, uel uetustate uel negligentia eorum (qui literis ista mandare debuissent) interciderit & in obliuionem uenerit. Numerantur autem huius sedis Episcopi, ordine quem subscripsimus.

1. IESSIVS uel Iasimus: alijs Iesus dictus, præfuit Nemetum populis & Ecclesijs concionando Christum humani generis liberatorem, confutandoq; Arrianorum Blasphemias ante & post annum Christi 348, eo enim ut supra dictum, Coloniæ fuit & unà cum alijs pijs Germaniæ & Galliæ Episcopis Euphratem Arrianæ sectæ assecla damnauit, ac à Colonienſis Ecclesiæ gubernatione amouit. Post huius Iesij ex hac uita discessum, qui præfuerint isti sedi, aut an, præ furore Arrianorum, pios Episcopos undequaq; trucidantium aliquis præfuerit, incertum est: Annotemus igitur hos qui instaurante iterum Dagoberto Episcopatum, Nemetum Ecclesias, inde usq; ad hæc nostra tempora gubernarunt.

2. ATHANASIVS à Dagoberto rege Gallia rum, præficitur Ecclesiæ Nemetum anno Domini 610. hunc secundum facimus, non quod statim successerit, sed quod alij interciderint, qui Iesio successerunt, ad hunc Athanasium usq;. Præfuit iste Nemetibus annis quadraginta sapienter, pie ac fideliter. Fuit uir doctrinan & uitæ sanctimonia clarissimus: decessit ex hac uita

uita mortali, ad regnum cuius non erit finis, anno Domini 651. Sub eius gubernatione construxit Dagobertus rex extra muros urbis Nemetũ, magnificum S. Germani Cœnobium: eo ipso in loco ubi antea fuerat peruetustum Mercurij phanum aut Idolion.

3. PRINCIPIVS succeßit Athanasio: præfuit sub Sigeberto Galliarum rege, Dagoberti filio, pie & sapienter annis uiginti quinq;. Obijt anno Domini 678. Huic dedit Sigebertus rex, Decimas omnium uictualium in agro Spirensi prouenientium: quæ antea Regi dari consueuerant.

4. TRAGEbodo eligitur à Childerico Francorũ rege, anno 678 à quo consequutus est confirmationem donationis Decimarum: Præfuit 8. annis. Obijt anno 686.

5. BASINVS succeßit Tragebodo, cum uacaßet tamen aliquandiu Ecclesia Nemetum: Præfuit autem temporibus Caroli Martelli annis septem, mensibus octo: quando ex hoc seculo emigrarit, aut quo anno præsidere cœperit, ignoratur.

6. LATO alijs Iatto, eligitur anno Domini 750: præfuit temporibus Pipini, pie & fideliter Episcopi munus faciens annis undecim. Obijt anno Christi 767.

7. DAVID pius, sapiens ac honeßißimus uir, eligitur à superstite adhuc Pipino rege anno 767: præfuit 8. annis laudabiliter & optime, Carolo magno Galliarũ regi chariß. à quo Ecclesia Spirensis plurimum illustrata, & liberalißime dotata est. Obijt anno 775.

8. Sigewi-

8. SIGEVVINVS *alijs* Swigewinus *præficitur Nemetibus anno Domini 775 à Carolo Magno Galliarũ rege, præfuit uiginti septẽ annis. Obijt anno 801.*

9. ATHO *uel* Otho *fidelis populi sui concionator, succeßit Sigewino iußu Caroli Magni Imperatoris, præfuit laudabiliter octo annis. Obijt anno 810.*

10. FREYDO, *Carolo Magno Imp. imprimis charus: constituitur Episcopus Nemetum anno Domini 810, consequutus est à Carolo Imp. insignia priuilegia, quorum originalia habentur adhuc in Ecclesia Spirensi. Præfuit quatuor tantum annis, obijt anno Domini 814. quo Carolus Magnus etiam ex hac uita emigrasse, & pons Moguntinus deflagrasse dicitur.*

11. BENEDICTVS *succeßit Freydoni, electus & designatus Nemetum Episcopus ab Imp. Ludouico pio. Præfuit sancte & prudentißime annis octo: emigrauit ex hac uita anno Christi 822. Interfuit anno Domini 820 Synodo, quam pio reformandæ Ecclesiæ studio, Ludouicus pius ex omnibus Germaniæ Episcopis ac Abbatibus congregarat apud Aquisgranum.*

12. HERTINVS *eligitur in locum mortui Benedicti, præfuit annis octodecim, mensibus quatuor: etsi alij catalogi alios habeant annorum numeros, qui tamen toto cœlo errant. Sub eius gubernatione Hirsaugiense cœnobium fundatum est ad Nagoldum fluuiũ, ab Erlafrido comite in Calw: & consecratum ab Archiepiscopo Moguntino Odogario, in præsentia huius*

ius Hertonis et multorum aliorum Episcoporum anno Domini 838, cum eodem tempore Ludouicus Imp. haberet Comicia apud Nemetes. Obijt Episcopus Hertinus anno Christianæ redemptionis 841.

13. GEBHARDVS alijs Eberhardus, constituitur Episcopus Nemetum à Ludouico rege Lotharij Imp. fratre anno Christi 848: cum uacasset sedes Episcopalis septem annis post mortem Hertini. Interfuit Concilio Moguntiæ in Cœnobio S. Albani celebrato ab Archiepiscopo Rabano, in qua damnata est Hæresis Godeschalci. Præfuit quindecim saltem mensibus, & captus ab aliquibus comitibus primum oculis priuatur, postea misere aliquandiu tractatus, trucidatur tandem quarta Decembrium anni Christianorum 849: propterea quod persuasisset eorum cognato, comiti cuidam Theobaldo, ut sua quædam prædia donaret Ecclesiæ Nemetum. Sub hoc ipso Episcopo, donatur Nemetum Episcopatus ab Hildeberto huius Episcopi fratre, pagis ac prædijs quibusdam: & ex huius donationis literis deprehenditur, Canonicos Nemetum, monasticam uitam tum professos, sub uno tecto coniunctos habitasse, & ex una eademq; olla pastos ac alitos, sanctæ conuersationis homines fuisse.

14. GODEDANCVS eligitur anno Christi 881, cum uel uacasset Episcopatus annis triginta duobus, uel alij interim Episcopi etiam præfuerint, quorum nomina (ut credibile est) ad nostram noticiam non peruene-

uenerunt. Præfuit Godedancus iſte tribus tantum annis, & emigrauit ex hoc mortali ſeculo, anno Domini octingenteſimo octuageſimo quarto.

15. AYNHARDVS ſucceßit Godedancko, præfuit annis ſex fideliter & utiliter: Euocatur ex hac uita ad meliorem, anno Domini 890.

16. AMELRICVS monachus antea &weyſſenburgenſis Cœnobij à rege Galliarum Dagoberto (ut tantum principum, comitum ac Baronum ibi educarentur liberi) fundati ac conſtructi: uir eximie doctus ac religioſus, eligitur anno 890: præfuit duobus annis & quatuor menſibus. Dicuntur eius ſcripta adhuc extare in Spirenſi partim, partim uero &weyſſenburgenſi Bibliotheca. Obijt anno Chriſti 893.

17. BERNHARDVS alijs Gebhardus ex eodem Monaſterio aſſumptus, ſucceßit Amelrico, anno Domini 894: præfuit laudabiliter ac utiliter octodecim annis. Et anno Domini 913 (Rheginone Abbate Prumienſi idem affirmante) à duobus comitibus Bernhardo & Conrado capitur, & primum exoculatus miſere tandem trucidatur: Ratio uero huius facti nuſquam redditur ab Annalium ſcriptoribus.

18. AMELRICVS ſecundus, quem aliqui tamen Almericum uocant: ſucceßit Bernhardo. Præfuit Epiſcopatui prudenter ac utiliter uno & triginta annis: fuit tribus Imperatoribus Conrado Saliquo, Henrico Aucupi & Othoni Magno chariſsimus, & ſummo

neceſsi

necessitudinis uinculo coniunctus: à quibus laudatissimis Imperatoribus, Episcopatus Nemetum plurimum auctus & locupletatus est. Obijt Episcopus iste anno Christianæ redemptionis 947, ambulans ad uitam mortis nesciam.

19. REGINOBALDVS constituitur ab Othone Magno, tum adhuc rege: in Episcopum Nemetum, ex Monacho Hirsaugiensi. Erat uir doctus, præcipuæ uero sacrarum scripturarum insignis Magister: uitæ autem innocentissimæ ac religiosissimæ. Præfuit summa cum laude annis quindecim. Donatur sub eo, Ecclesia Nemetum liberalissime, decimis, redditibus uectigalibus, potestate item cudendi monetam, ac alijs urbis Nemetum iuribus cum consensu Othonis Imperatoris à Conrado Francorum & Sueuiæ duce, & wernheri ducis filio, religiosissimo ac optimo principe, tum & wormaciæ residente, qui sapientis cognomento nobilitatus fuit. Hæc donatio facta est anno Domini 946. Huic duci Conrado desponsauit filiam suam Luitgardin Otho Imperator anno dominicæ incarnationis 946: erat enim ei cum propter summam sapientiam ac fidem longe charissimus, tum quod aliquoties pro Othone fœliciter pugnasset una cum Hermanno Sueuiæ duce, contra seditiosos Eberhardum Palatinum & Giselbertum Lotharingiæ ducem. Obijt Episcopus iste Reginoboldus 13. Octobrium anno Domini 958.

20. GODEFRIDVS doctus, sapientissimus & lauda-

laudatißimæ uitæ ac conuerſationis monachus & wiſſen burgenſis, ſummis pariter & infimis omnibus cha riſſimus: eligitur unanimi totius cleri Nemetum con ſenſu, ſtatim poſt euocatum ex hac mortali uita Regino boldum: præfuit menſibus quindecim tantum, & alij quot diebus, & emigrauit ex hoc ſæculo, cum ſummo totius & cleri & populi luctu, anno Domini 959. Re gino habet annum 960.

21. ODOGARIVS euocatur ex Hornbacenſi Benedictinorum Cœnobio, ad gubernationem Neme tum Epiſcopatus, ab ipſo Othone Magno Imp. cui iam diu in maximis Imperij negotijs & conſilio & ſa pientia ſua ſeruiuerat, ac profuerat ſumme, cuius item aulam multis iam annis ſequutus fuerat. Is & doctus erat & ſapiens & eloquentißimus Epiſcopus, Otho ni Imperatori ut dixi utilißimus, quem in Italiam (ut ſeditioſum ibi Berengarium compeſceret) proficiſcen tem, ſequutus eſt: ibi concilio Romæ congregato ab Othone Imp. contra Pontificem Ioannem XIII. in terfuit, & unà cum cæteris Cardinalibus Archiepiſco pis & Epiſcopis conſilia ſua contulit ad exauthoran dum & deijciendum ex Pontificatus faſtigio Ioannem XIII, alium q; in ipſius locum eligendum. Quod cum innotuiſſet Pontifici Ioanni, grauißime inſidiatus eſt cum alijs multis horum conſiliorum authoribus & ſuffragatoribus, tum uero præcipue huic Odogario, cuius ſciebat magnam eſſe apud Othonem Magnũ

autho

authoritatem. Deprehensum igitur illum, uirgis ac flagris primum cedi, postea carceri includi curauit, ex quo si liberari uoluit Odogarius, oportuit cum sancte polliceri & iurare, effecturum se, ut Imp. Otho Pontificem Ioannem in gratiam reciperet. Sic Episcopus Odogarius liberatus ad Othonem redijt. Ioannes uero Pontifex paucis mensibus post, ex hac uita euocatus est. Odogarius mansit apud Othonem in Italia: cum Romam ille iterum seditiosam obsidione cingeret & obsessam tandem occuparet: qua uictoria potitus in Germaniam Otho redijt: sic Odogarius etiam ad Ecclesiam Nemetum, cui se iam summo studio præfuturum decreuerat, reuersus est. Sed mortuo paucis mensibus post, Pontifice Leone octauo, iterum Romam missus est, ut Imperatoris nomine interesset pontificis electioni: eligebatur uero tum Ioannes XIIII. anno Dominicæ incarnationis 965. Cumq; paulo post Otho Imperator, tertio iam in Italiam proficisceretur, assumpsit iterum secum Episcopum Odogarium, cuius opera cum per quadriennium penè ibi uteretur, tandem cum maximis priuilegijs ornatum ac onustum à se dimisit, dãs illi & omnibus eius successoribus omnem iurisdictionem urbis Nemetum perpetuis temporibus plenißime poßidendam: id factum anno Domini 969: in Thusciæ pago Brenna, ad Mersam amnem, non procul ab urbe Senensi: Episcopus ex Italia ad Nemetes suos denuo reuersus, mox graui morbo correptus, post pauculos

dies expirauit, ubi honorifice cum summo omnium suorum luctu terræ mandatus est.

22. BALDERICVS subrogatur Odogario, consensu totius cleri, anno Domini 970: Etsi Werimbaldus quidam Monachus eximie doctus ac religiosus, ex Hirsaugiensi cœnobio ad gubernandum Episcopatum Nemetum summis precibus inuitaretur, qui uocanti Nemetum clero parere omnino nolens, sic respondisse legitur: Se, si mundo seruire uoluisset, in hanc monasticæ uitæ solitudinem uenire non uoluisse: eligerent ergo Episcopum quem uellent, se id onus gubernationis suscipere nec uelle nec posse: Præfuit Baldericus 19 annis & pie et laudabiliter: fuit tribus Othonibus ab intimis consilijs, erat enim Episcopus sapientia ac rerum gerendarum usu peritiaq; longe maximus. Sub hoc Episcopo cæperunt Canonici Nemetum (quemadmodū etiam Wormacienſis ac Moguntini eodem tempore faciebant) monasticæ uitæ professione abiecta seculares fieri, seorsum habitare ac propria habere, & annuos prouentus inter se distribuere. Huic Episcopo confirmarunt Othones secundus et tertius, donationes cum Othonis primi tum aliorum eiusdem anteæssorum, Ecclesiæ Nemetum factas. Decessit ex hac uita anno Christianæ salutis 987.

23. RVPERTVS monachus Weyssenburgensis & maiorum imaginibus, & propria uirtute clarus, uaria etiam doctrina conspicuus, commendatus & ornatus

natus Imp. Othonis tertij testimonio, eligitur concordibus totius senatus Canonicorum suffragijs in Episcopum Nemetũ, anno domini noningentesimo octogesimo septimo: gubernauit Ecclesiam illã fœliciter & utilissime annis 18. Impetrauit insigna priuilegia ab Othone tertio, anno 989. Postea anno 991 donauit Otho III Ecclesiam Nemetum pago Lindesheym cum ditiuncula & plena Iurisdictione ad eum pertinente: dedit & magnam crucem pendentem in maiori Basilica urbis Nemetum, cui insculpta est uerissima imago Othonis tertij cum latina inscriptione. Commutauit autem Episcopus Rupertus uitam hanc mortalem cum immortali, Anno dominicæ incarnationis Millesimo & quinto.

24. VVALTHERVS alijs Walthārius, eligitur unanimi totius Nemetum cleri consensu in successorem Episcopi Ruperti: præfuit prudenter & utiliter 16 annis. Hũc anno Christi 1006 liberalissime donauit S. Henricus Imp. primus ab Electoribus designatus. Eiusdem etiam temporibus Nemetum Ecclesiam Imperator Conradus secundus, Francorum dux, & coniunx eius, laudatissima ac optima Imperatrix, Domina Gisela Burgundionum ducissa tanto studio & tanta munificentia dotarunt auxerunt & illustrarunt, ut non benefactores, sed secundi fundatores Spirensis Episcopatus dici meruerint. Nam & oppidum Brusselense cum adiacente ditiuncula Episcopatui dedit &

insignem illam ac longe ampliſsimam Basilicam Spirensem, quæ in hodiernum adhuc diem conſpicua & multorum Germaniæ Imperatorum & Imperatricum habet auguſtiſsima Mauſolæa: in honorem beatæ uirginis Mariæ: & præclarum S. Ioannis in ſummitate urbis ſitum templum, foriſq; & in agro Nemetum ex caſtro ſuo Lymburg, in quo nuper adeo filiolum Conradum ex præcipicio quodam decidentem amiſerat: magnificum Cœnobium maximis ſumptibus, ac impenſis conſtruxit. Horum trium maximorum templorum primos poſuit lapides Conradus Imperator ipſe, duodecima Iulij, in uigilia Diuæ Margaridos, anno Chriſti 1030, in eius diei aurora, præſente hoc Epiſcopo Walthero: qui ſequenti anno, 1031 ex hac mortali uita euocatus, cum omnium ſuorum ſummo luctu in terram omnium parentem conditus & depoſitus eſt.

25. SIGEFRIDVS ſucceſsit Walthero: præfuit undecim ſaltem menſibus. Obijt anno Domini 1031. Is quia confirmationem, morte præuentus non eſt conſequutus: aliqui eum non inſerendum huic Catalogo cenſent. Ego uero inſerui, quod ab Imperatore Conrado munificentiſsimo illo Eccleſiæ Nemetum benefactore, Epiſcopum eum conſtitutum ac anno Domini 1031 paucis diebus ante mortem ſuam in arce Lymburg liberaliſsime ab eodem donatum eum conſtet.

26. REGINGERVS ſubrogatus Sigefrido antiſtiti, præfuit duobus ſaltem menſibus, & ex hac uita emigra-

emigrauit uigesima Iunij, anno Domini 1032. Imperator uero Conradus nec hunc Episcopum indonatum reliquit, sub eo enim Ecclesiæ Nemetum Schwartzachianum Monasterium in Alsatia situm incorporauit: Id postea iterum amissum ad dioceſin Argentinensem uenit, cum consensu tamen Episcopi Spirensis, qui ius conferendi feudi sibi integrũ retinuit: ita ut Schwartzachianus Abbas hodie adhuc Vasallus sit Episcopi Spirensis. Horũ Episcoporum omniũ urbis & Ecclesiæ Nemetũ corpora quo loco sita sint: ignoratur. Credibile tamen est in summo partim templo esse condita partim uero in S. Germani perueteri Cœnobio, quod à Dagoberto rege fundatum, extra urbem Spirensem olim erat magnificum, sed aliquoties in cineres redactum ac penitus collapsum, anno 1468 in urbem tandem ad Parrochiam S. Mauricij à Mathia Episcopo translatum est.

27. REGINOBALDVS Abbas prius ad S. Vlricum in Vindelicorum Augusta cum doctus tum religiosissimus: uocatur unanimi consensu totius Capituli urbis Nemetum ad Episcopatus gubernationem, anno Domini 1032: præfuit laudabiliter ac utilissime octo pene annis: non quindecim tantum diebus, ut falso aliqui annotarunt, neo uiginti quinq; annis, ut habet Catalogus Abbatum cœnobij S. Vlrici. Obijt eodem anno, quo emigrauit ex hac uita apud Traiectum in Hollandia Conradus Imperator, anno uidelicet 1039:

Octobrium decima tertia. Sepelitur in noua Basilica urbis Nemetum cum maximo totius populi luctu, cui diligenter singulis diebus dominicis concionatus erat, ueri pastoris & Episcopi officio functus. Curauit fieri suis sumptibus cupream ac deauratam maximam illam coronam, quæ pendet in summæ Basilicæ Spirensis choro: isti coronæ 24 uersus ab eodem Episcopo facti insculpti sunt, omnino tamen sui sæculi barbariem redolentes. Paucis diebus antequam decederet ex hac uita, allatum est Spiram corpus Imperatoris Conradi secundi, quod ibi in Regio choro terræ mandatum est, sub marmore, cui hæc inscriptio est superaddita.

Anno Domini 1039 Conradus secundus, Imperator secunda Nonas Iulij Obijt.

PROAVVS IACET ISTIC.

28. SIGEBOTHO alijs Sibycho dictus, successit Reginobaldo anno Domini 1039, præfuit ac profuit annis undecim. Obijt anno Christi 1051 decima sexta Februarij, sepelitur honorifice in omnium Sanctorum templo. Sub hoc antistite absoluta sunt ab Imp. Henrico tertio Conradi Imperatoris filio, illa maxima tria templa à Conrado Imperatore inchoata ac munificentissime donata. Sub eodem decessit ex hac mortali uita optima ac laudatissima Imperatrix Domina Gisela Conradi Imp. relicta uidua, decima quinta Februarij anno Domini 1043: quæ fuit ex genere Caroli Magni, ut hoc sequens distichon contestatur, quod in eius pru-

dentissi-

dentißimæ fœminæ laudem & honorem adijciendum hîc omnino existimaui.

Quando postdecimam numeratur linea quarta,
De Karolo Magno processit Gisela prudens.

Sepelitur iuxta mariti tumulum sub marmore, cui talis inscriptio addita est XV. KL. Martij Gisela Imperatrix Obijt.

HIC PROAVI CONIVNX.

Sub eodem Episcopo dono dedit Imp. Henricus tertius uel Niger Ecclesiæ Nemetum, oppidum & arcem Rodenfels cum adiacente tota ditiuncula. Attulit idem Imperator Henricus anno Christi 1046 ex Rauenna corpus S. Guidonis, Abbatis cuiusdam, id in S. Ioannis templum collocans, nomen etiam templi immutauit, ut in hodiernum usq; diem non iam amplius S. Ioannis sed S. Guidonis Basilica appelletur. Idem insignem dedit Ecclesiæ Nemetum crucem, è solido auro factam, & preciosißimis gemmis ac Margaritis illustratam, taliq; inscriptione ornatam.

Contulerat sanctæ fœlix hæc dona Mariæ,
Semper ut æternæ capesset munera uitæ,
Henrich Conradi natus de stirpe Monarchi,
Ex Gysela genitus, multum satis ipse benignus.

In alia crucis superficie est hoc distychon.

Ad uotum regis Henrici dona ferentis
Respice de solio (resides quo) Christe superno.

19. ARNOLDVS alibi Arnolphus eligitur à toto

toto clero urbis Nemetum anno salutis 1051: præfuit annis quatuor. Obijt anno Domini 1055. Sub eo, mortuus est Romæ Leo nonus, P.M. Germanus & comes de Dagspurg: in cuius locum cum senatus Cardinalium missa ad Henricum Nigrum honesta legatione alium Pontificem postularet, constitutus est ab eo P. M. in Synodo Moguntina (cui iste etiam Episcopus Arnoldus interfuit) omnium Germaniæ Episcoporum consilio & unanimi consensu Gebhardus Episcopus Eystetensis, comes à Kalw. Is Romam ueniens Victor secundus appellatus, duobus tantum annis & paucis aliquot mensibus sedi pontificiæ præfuit.

30. CONRADVS eligitur à toto clero urbis Nemetum, præfuit duobus tantum annis ac mensibus decem. Sub hoc Episcopo obijt anno Domini 1056, quinta Octobrium Imp. Henricus tertius Goslariæ in præsentia P. M. Victoris secundi, quem ad se ex Italia accersiuerat: ac multorum Germaniæ principum ac Episcoporum: qui omnes insigni pompa comitabantur funus Spiram, ubi in ipso festo Apostolorum Simonis & Iudæ prope patrem depositus ac honorifice humatus est in Regum choro, cum tali inscriptione.

Anno Dominicæ incarnationis 1056 Henricus tertius, Niger: tertio Nonas Octobris obijt.

AVVS HIC.

Huic Episcopo Conrado donodedit Henricus quartus à Victore secundo P. M. confirmatus rex, anno Domi

ni 1057

ni 1057 Spingenium & Herxheymium oppida cum adiacente ditiuncula. Postea sequente anno 1058 euocauit eum Deus ex hac lachrymarum ualle: sepelitur autem honorifice in Basilica Cathedrali.

31. EINHARDVS secundus huius nominis: Abbas Cœnobij Lympurgensis, postulatur & eligitur à consentiente clero urbis Nemetum ad gubernandum Episcopatū anno 1058: præfuit bene & laudabiliter nouem annis, egregie augens illustrans ac amplians Episcopatum diligentißima Oeconomiæ administratione. Consequutus est ab Henrico quarto omniū priuilegiorū, à priscis Imperatoribus et regibus acceptorum confirmationem: Et quia consilio & prudentia sua plurimum iuuisset Henricum quartum, dedit ei Imperator, ut bene de se merito uillam Creutzenacensem cum adiacentibus iuribus ac proprietatibus. Transtulit Einhardus iste ex Limburgensi cœnobio magnum Ecclesiasticorum ornamentorum thesaurum in summam Basilicam urbis Nemetū. Obijt tandem 13. Februarij, Anno Domini 1067.

32. HENRICVS nobilißimo genere natus, Canonicus Goslariensis, commendatur Ecclesiæ Nemetum ab Imp. Henrico quarto, cum quo à pueris erat educatus, tam studiose, ut senatus Canonicorū, non posset se illi opponere: etsi igitur nō libenter paterētur externū sibi gubernatorē obtrudi: qui etiā per ætatem uix dū tantæ dignitati maturus tamq; difficili gubernationi

idoneus esset: tamen ne gratiam Cæsaris effunderent assumpserunt eum. Præfuit autem octo annis, omnia Episcopatus bona summo studio ab antecessoribus suis collecta & congesta: & misere abliguriens & prodigaliter dilapidans, ac si leues essent aristæ, ut inquit ille in fabula primi Germanorum Comædiographi. Decessit tandem inopinata morte 29 Decembrium anni 1075. Meminit eius Lambertus Schaffnaburgius qui eiusdem antistitis fuit coætaneus.

33. RVGKERVS honesta ac peruetteri urbis Nemetum familia (quã Huczmannorum gentem uocãt) ortus: uir iustus ac pius, eligitur unanimi totius cleri consensu in patriæ suæ Episcopum ac supremum pastorem. Confirmatur ab Imp. Henrico quarto. Præfuit ac profuit annis quindecim fideliter & fœliciter resartiẽs quæ ab antecessore suo neglecta & dilapidata erant. Huic Episcopo dedit Imperator Henricus quartus, cœnobium Hornbacense in Brisgouia situm, & cœnobium Kauffungense, Oppidum item weyblingum & omne ius in habitantes sub Episcopatu Nemetum Iudæos, anno Domini 1086. Capitulo uero urbis Nemetum dedit pagum Winterbacensem. Iste Episcopus Rugkerus Huczemannus, ampliauit urbem Nemetum, pagumq; Spirensem, tum extra muros ad eiusdem nominis fluuiolum situm, mœnibus incluſit: ac totam urbem iam amplam ac magnificã, turribusq; mœnibus ac fossis egregie munitã, primus Spiram ab adiecto pago & fluuiolo nuncupauit anno 1084. Sic uetus

urbis appellatio exoleuit, & noua illa in hunc usq; diem usurpata in consuetudinem uenit. Decessit ex hac mortali uita optimus antistes Rugkerus anno Domini 1090, sepelitur apud S. Guidonẽ in templi liberalissime à se dotati ac illustrati choro, ad sinistrã aræ maximæ.

34. IOANNES nobilis Creichgouiæ comes patre &wolframo, matre uero Aczela Imp. Henrici quarti filia natus: eligitur in summum Ecclesiæ Spirensis pastorem, anno Christi 1090: præfuit periculoso equidem grauissimi inter Henricũ quartum Imp. & Pontifices schismatis tempore, prudentissime laudabiliter ac utilissime annis quindecim, in quibus Episcopatum Spirensem egregie illustrauit, donauit, auxit et ditauit: Nam & omne patrimonium suum quod amplissimum erat, dedit Ecclesiæ Spirensi. Erat ei frater germanus, comes Zeysolphus, is unicã saltem habebat filiam Adelheidin, Henrico Tubingensi Palatino desp̃osatam: cum autem moreretur Zeysolphus, Henricus uero Palatinus misero & lugubri casu periret in aliquo flumine accidit ut ipsa etiã D. Adelheidis, Episcopi Ioannis ex fratre neptis animi mœrore extingueretur, & sine hæredibus ex hac uita emigraret. Sic totus comitatus ad Ioannẽ Episcopũ deluolutus, mox ab eo in Spirensem Ecclesiã augendæ pietatis studio collatus est. Idẽ Episcopus etiam urbẽ Spirensem ædificijs egregie illustrauit, summo studio absoluens quicquid ab antecessore suo inchoatũ fuerat. Sub huius antistitis gubernatione

Domina

Domina Berta Imperatrix Henrici quarti coniunx, quæ iam aliquot annis Moguntiæ humata quieuerat, Spiram allata & Imperatoris iussu in Regum choro, tumulo Giselæ Imperatricis inserta & honorifice deposita est, addita marmori tali inscriptione.

Sexta KL. Ianuarij Bertha Imperatrix obijt.

Hîc proaui coniunx, hîc Henrici Senioris.

Sub hoc ipso Episcopo cœpit Herdense Monasterium Canonicorum Regularium S. Augustini, fundatum ab Hermanno comite de Spiegelberg. Obijt Episcopus Ioannes anno Domini 1104. Sepelitur in Monasterio Sinsheym prope parentes ac maiores suos, qui eius Cœnobij primi fuerant fundatores.

35. GEBHARDVS comes Auracensis, ex Canonico Argentinensi primum monachus Hirsaugiensis, ex monacho Prior, ex Priore eiusdem loci tãdem Abbas factus, præfuit laudabiliter ac utilissime, magnifico S. Aurelij cœnobio quatuordecim annis & mensibus tribus. Postea ad Episcopatus Spirensis gubernationem uocatur unanimi totius cleri consensu, anno Domini 1105. Consecratur insigni pompa à Ruthardo Moguntino Archiepiscopo, in præsentia Henrici Badenbornensis, Friderici Halberstatensis, Ebbonis Wormaciensis, Hartouigi Ratisponensis, Vthonis Hildesiani & Gebhardi Constanciensis Episcoporum: regis item Henrici V. ac multorum Germaniæ principum, comitum ac Baronum. Præfuit quatuor annis & decem

mensibus

mensibus semper aduersa laborans ualetudine. Sub hoc antistite allatum est Spiram, & in Sacellum S. Afræ depositum corpus Imp. Henrici quarti, qui cum sub Pontificio Anathemate mortuus esset, non passus est eum Rom. Pont. in sacro loco citius sepeliri, quàm post quinquennium, cum impetrasset iam mortuo patri absolutionem, filius Henricus V. Sepulturæ ergo maiorum suorum tandem anno Domini IIII additus est, cum tali inscriptione marmori incisa.

Anno dominicæ incarnationis IIO6, Henricus quartus, Senior. VII. Idus Augusti Obijt.

PATER HIC.

Is Episcopus gubernationis satis negligens, multa sibi passus est detrahi & abradi, de iuribus Episcopatui à uetustis olim regibus ac Imperatoribus in urbem Spirensem concessis. Obijt anno Domini IIIO: sepelitur in choro magnificentissimi templi Hirsaugiensis ante Summam aram.

36. BRVNO sapientissimus uir, eligitur in Gebhardi Episcopi locum anno Domini IIIO, commendatus clero Spirensi ab Imp. Henrico V. Is duodecim annis præfuit. Obijt 19. Octobrium, anni à nato Christo II23: Vehitur ê Spira in Lymburgense cœnobium, & ibi honorifice in medio ferè templo terræ mandatur. Sub hoc Episcopo insignibus priuilegijs ornauit Imp. Henricus V. Vrbem Spirensem, ab intolerabilibus aliquibus grauaminibus, cum consensu Episcopi Brunonis liberatam

liberatam & exemptam : anno 1111, quo Henricus quartus à Pontifice Maximo absolutus, in Regũ chorũ positus ac insigni põpa funebri terræ mãdatus est.

37. ARNOLPHVS Abbas Corbeiæ in Saxonibus Henrico V. ut plurimũ utilis ita longe etiã charissimus præficitur ab eo Abbatiæ Laurissensi, ut ei ad Rhenum frequenter habitanti uicinior esset, et consilio sub inde adesset. Ibi de Imp. optime meritus & weissenburgensi & Limburgensi etiam Abbatijs præfectus, tandem mortuo Episcopo Brunoni quoq; ab eodem Henrico V. subrogatur non tamen sine consensu totius Canonicorum Spirensium senatus, anno 1123. Præfuit quatuor tantum annis, obijt anno 1127. Sepelitur apud S. Guidonem in choro. Sub huius antistitis gubernatione obijt apud Traiectum anno Christi 1125 Imp. Henricus V. Is inde per Rhenum Spirã delatus, ibi sub sexto marmore honorifice iuxta progenitores suos conditus est cum tali Epigraphe.

Anno Domini 1125. Henricus V. Iunior. X. KL. Maij Obijt.

FILIVS HIC.

Iam si colliges breues illas uoculas sex marmoribus Imperaliũ tumulorũ inscriptas : habebis hoc sequens distychon de quatuor Imperatorib. ex eadẽ familia pulchre sibi inuicẽ succedẽtibus et duabus Imperatricib.

Filius hîc: pater hîo, auus hîc : proauus iacet istic
Hîc proaui coniunx : hîc Henrici senioris.

38. Sigefri-

38. SIGEFRIDVS secundus, comes de Leyningen: successit Episcopo Arnolpho, consensu totius Capituli Spirensis, anno 1127. Praefuit 15. annis Electus erat in eiusdem anni mense Augusto Moguntiæ ab Electoribus Imperij in Rom. Imp. Lotharius dux Saxonũ: Huicse Conradus Sueuiæ dux, Imp. Henrici V. è sorore nepos opponens, sibi meliori titulo Imperij gubernationem quàm Lothario deberi existimabat. Dum itaq; Lotharius anno 1128 comicia habet apud Herbipolin circa natalem Domini: Conradus interim quarundam urbium Sueuicarum et Palatini Godefridi subsidijs collecto exercitu, Rhenum hostiliter inuadit. Spiram obsidet, & obsidione cinctam ita afflixit, ut ipsa se dederet & Conradum iam ut Regem excipe ret. Post hanc deditionem eiectus est ex urbe & Episcopatu Sigefridus iste à Conrado duce, quod Lothario ille adhæsisset & Conradum pro Rege Rom. agnoscere non uoluisset. Hoc cum audiret Lotharius, ita grassari Conradum ad Rhenum: mouit & ipse castra sua in Spirensem agrum, urbemq; aliquot mensibus obsessam, eò tandem plurimis ac difficilimis oppugnationibus adegit, ut & Lothario se illa dedere cogeretur. Ibi Cõradus à Lothario (ut aliqui uolunt) captus, S. Bernhardi precibus et intercessione ei tandem recõciliatus est. Sic Sigefridus etiã Episcopus unà cũ uictore Lothario in sedem suã Episcopalẽ redijt: qui paulo post, anno 1137. magno animi dolore uidit conflagrare

insignem

insignem Spirensis urbis Basilicam D. Virgini sacrã: quam mox tamen egregie iterum piorum hominum subsidijs instaurauit. Decessit postea ex hac lachrymarum ualle 23 Septembrium anno Domini 1141.

39. GVNTHERVS comes de Lyningen, successit cognato suo Episcopo Sigefrido, electus unanimi consensu totius Canonicorum Spirensium senatus: anno Domini 1141: præfuit laudabiliter ac utilissime annis 14 fuit Imperatoribus Conrado secundo & Friderico Barbarossæ charissimus, is hunc Episcopum donauit &werbelsteinensi castro & circumiacente territorio. Obijt 17. Septembrium, anno Domini 1156: sepelitur in Mulbrunnensis cœnobij à se ac nobili quodam Baronc Domino &walthero à Lammersheim fundati & liberalissime donati magnifico templo, ante aram maximam summi chori. Huius Episcopi temporibus, secundo, iam uenit S. Bernhardus Spiram, à Rom. Pont. ad status Imperij missus, ubi multis ille miraculis claruisse legitur.

40. VDALRICVS nobilis heros à Durmuntz, eligitur in Episcopum Spirensem anno Domini 1156, præfuit duodecim annis, amisit multa Ecclesiæ priuilegia. Obijt anno Domini 1168 In Italia, peste correptus quæ horribilibus modis grassabatur, in castris Imperatoris Friderici Barbarossæ, graui obsidione Romam eingentis. Perierunt eodem aëris contagio in ea ipsa expeditione Episcopi, Ratisponensis, Bragensis, Virdunensis,

dumensis, Leodiensis: Fridericus item Sueuorum dux, Conradi regis filius, Guelpho iunior, Berengarius comes à Sultzbach, Henricus Palatinus Tubingensis, & alij Germaniæ principes ac Reguli plurimi.

41. GODEFRIDVS secundus: eligitur unanimi consensu totius cleri post nunciatam Episcopi Vdalrici mortem. Præfuit decem annis: Obijt anno Domini 1178. Sunt qui & hunc in Italia ex hac uita emigrasse affirment. Dedit Ecclesiæ Spirensi insignem Euangeliorum librum auro argento & preciosis gemmis pulchre illustratum cum hac inscriptione.

Me Godefrid sanctæ præsul dedit ecce Mariæ:
Munere pro tali teneat pia gaudia cœli.
Quo residet Regum Rex omni laude per æuum.

42. CONRADVS secundus, eligitur in successorem antistitis Godefridi concordibus totius Capituli suffragijs, anno Domini 1179. Præfuit quinq; annis: uale dixit isti mortali uitæ anno gratiæ 1184

43. RAPOTHO uel Rabodo uir prudentißimus subrogatus est Episcopo Conrado unanimibus sententijs totius cleri: præfuit quatuor tantum annis, Migrauit ex hoc calamitoso seculo, anno salutis 1188.

44. VDALRICVS secundus, nobilis à Rechberg succeßit præsuli Rabodoni unanimi totius Canonicorum Spirensium senatus consensu: præfuit quemadmodum & antecessor eius quatuor tantum annis. Construxit arcem Bruxellensem. Obijt anno 1191. Ha-

buit duos fratres, Sigefridum Episcopum Augustā-
num, & Hildebrandum acerrimum uindicem ac ultō-
rem, misere trucidati ab Othone de Wittelsbach Impe-
ratoris Philippi: principis ac Domini sui.

45. OTHO comes Hennenbergensis, succeßit Vlri-
co Episcopo: præfuit septem annis. Et quia senio plane
confectus & ualde ualetudinarius esset Episcopus:
assumpsit cum totius Canonicorum suorum senatus
consensu in coadiutorem, prudentißimum Episcopum
Metensem, Conradum Baronem de Scharpfenegk: a-
anno Domini 1199. Vixit postea annis adhuc tribus
& huic mortali uitæ ualedixit, anno gratiæ 1201. Sub
hoc Othone præsule, Obijt & Spiram allata, ac ibi
in Regum choro, sub ueneti & aerei coloris marmo-
re depoßita est optima ac uirtuoßißima Imperatrix,
Domina Beatrix: Friderici Barbaroßæ coniunx, ex
Burgundionum comitibus nata. Quæ antea insignem
dederat Spirensi Ecclesiæ Sarcophagum, argento to-
tum superinductum, auroq; & precioßis lapidibus
undiquaq; distinctum ac illustratum: in cuius media
superficie est pulcherrimum marmor album instar ara
factum: cum tali inscriptione.

Hoc altare sacrum gemmis auroq; decorum,
Fecit Peccatrix non re sed uoce Beatrix:
Dißpereat prorsus Anathematis igne perußtus,
Quißquis id abßtulerit sacro cuicunq; dicarit
Immolet hic almum rediuiui sanguinis agnum

Dextra

Dextra ſacerdotis, potumq; cibumq; redemptis:
Quo facto ſortes animæ per bella per hoſtes,
Dulcia perpetuæ ueniant ad gaudia uitæ.

46. CONRADVS tertius, Baro à Scharpfenegk, Epiſcopus antea Metenſis, & Philippi Imperatoris Cancellarius, uir prudentißimus: aſſumitur in adminiſtratorem & coadiutorem ab Epiſcopo Othone: anno Domini 1199 cum conſenſu Capituli. Poſtea anno Domini 1202, decedente ex hac uita Epiſcopo Othone, in eius locum plene eligitur & confirmatur, reſignata tamen Metenſis Eccleſiæ gubernatione. Præfuit Spiræ bene ac utiliter annis uiginti duobus. Fuit Imperatoris etiam Othonis quarti Cancellarius, cui dedit inſignia Imperij, quæ ipſe ſibi à Rege Philippo commendata in arce Trifels religioſe adſeruarat. Aſſumpſit propter ingraueſcens ſenium quatuor annis ante ſuam mortem coadiutorem eum conſenſu ſenatus Canonicorum, Beringarium Baronem de Entryngen. Obiit poſtea duodecima Decembrium, anni à nato Chriſto 1224. Sepelitur in Regum choro, in quo nullus Epiſcopus alioqui humari ſolet, niſi qui Cæſarum uel Regum fuit Cancellarius. Sub hoc Epiſcopo liberaliſßime donatur Eccleſia Spirenſis à Conrado ultimo Comite Sultzfeldenſi, omnia bona ſua D. Mariæ Virgini offerente: anno Domini 1111.

47. BERENGARIVS uel Beringerus, Baro de Entringen, natione Sueuus: aſſumitur ab Epiſcopo

Conrado in Coadiutorem anno Domini 1110 & cum sapienter ac utiliter præfuisset uiuente adhue Conrado quatuor annis, electus est mortuo Conrado Episcopo in uerum Ecclesiæ Spirensis antistitem anno 1114, præfuit iterum fideli & uere paterna gubernatione annis octo, mensibus quinq;. Erat uir humanus, mitis: pauperibus clemẽs ac benignus, œconomus optimus: Vectigalis Rhezensis infra Spiram acquisitor. Decessit ex hac mortali uita, in die S. Andreæ, anno salutis 1131. Sepelitur magnifice & honorifice in Basilica Cathedrali. Sub huius Episcopi gubernatione, allata sunt ex Babenberga Spiram, iussu Imp. Friderici secundi ossa regis Philippi Babenbergæ ab Othone Palatino de Wytelsbach trucidati: ea iuxta aliorum Imperatorum corpora honorifice deposita & terræ parenti reddita sunt, in Regio choro Spirensis Basilicæ. Marmori talis Epigraphe superaddita est.

Anno Domini 1208 Philippus rex Babenbergæ occisus X. KL. Iulij. Obijt.

Eiusdem antistitis temporibus fundatum est in honorem D. Virginis Mariæ, anno Christi 1131 cœnobium Virginum instituti S. Bernhardi Pons salutis appellatum: à Magistro quodam Salomone Herbipolensis Ecclesiæ Canonico, in Spirensi agro non procul ab oppido Landow nato.

48. CONRADVS quartus, nobilis à Thann: successit Episcopo Beringero anno Domini 1133, præfuit

fuit utiliter quatuor annis. Obijt anno Domini 1237: uir admodum religiosus & Oeconomus fidelissimus.

49. CONradus quintus, comes ab Eberstein: omni genere optimarum uirtutum illustris, eligitur unanimi consensu totius Canonicorum summi Collegij senatus, in die Agnetis, anni à nato Christo 1238. Præfuit annis 8 utilissime: erat pacis ubiq; faciendæ & reconciliandorum exulceratorum animorum tam studiosus, ut uulgo ab omnibus hominibus pacificus cognominaretur. Primo gubernationis suæ anno, profectus est cum Imp. Friderico secundo in Italiam, ubi Imperator Germanorum subsidijs Mediolanum, Paduam, Teruisium, Vincentiam, Veronam, Brixiam ac alias plures Italiæ seditiosas ac rebelles urbes, fortiter expugnauit, & ut sese dederent coegit. Istis rebus gestis Friderici Imperatoris adfuerunt & interfuerunt armata etiam manu, & ingentibus copijs Sigefridus Archiepiscopus Mogũtinus, Conradus Archiepiscopus Colonienſis & iste Spirensis Cõradus alijq; plurimi Germaniæ Reguli. Obijt Conradus iste Episcopus anno Domini 1245. Vendidit Creutzenachium mille ac centum argenti puri marcis comiti cuidam à Soym: emit his pecunijs bona quædã prædia utiliora Ecclesiæ Spirensi.

50. HENRICVS secundus, comes à Lymingen illustris ac magnanimus: assumitur in antistitem Spirensem, precibus & intercessione Imp. Friderici secundi diligenter clero Spirensi commendatus ac insinuatus.

Præfuit is cum prudentißime tum utilißime uiginti septem annis. Initio statim gubernationis suæ, seditiosos quosdam in arce Starckenbergensi collectos, ac ex ea Spirensi Episcopatui plurimum iniurios, post magna uirtute expugnatam eam arcem, ex tota Dioœsi sua relegauit & proscripsit. Electo in Romanum Imperatorem Hollandiæ comiti Gulielmo fuit Cancellarius Imperij, & à summis consilijs. Obijt decima octaua Decembrium, anni à nato Christo 1272. Sepelitur in media Basilica Cathedrali ante aram S. Annæ, sub albo marmore.

51. FRIDERICVS Baro à Bolanden: Episcopi Henrici è sorore nepos, eligitur ab unanimiter consentiente clero summi collegij Spirensis, in Episcopum statim post mortem Henrici. Præfuit annis triginta, fuit Rudolpho Habspurgio Imperatori imprimis charus: sed cum paucis annis ante mortem Rodolphi, secundam eius coniugem D. Elysabetham Burgundionum ducissam, iussu Rodolphi Spiram uenientem, Episcopus è curru excipiens (forma ipsius inductus) osculatus esset: imperatrix uero talis osculi impaciens apud Imperatorem de Episcopi lasciuia, conquesta esset: iußit Imperator Episcopo nunciari, se sibi solo hoc pacificale osculandum comparasse, quod si ipse quoq; osculari uellet, proprium sibi pacificale quereret, non alienum, & ad se non pertinēs oscularetur. Episcopus relicta Imperiali aula, aliquandiu cessit: donec post non

adeo

adeo multos menses Imperator apud Germersheymium ex hac mortali uita euocaretur, unde Spiram allatus, in Regum choro honorifice depositus ac prope alios Imperatores terræ parenti redditus est, sub marmore, cui talis Epigraphe est superaddita.

Rudolphus de Habspurg Romanorum Rex: anno regni sui XVIII. Obijt anno Domini 1291. in die Diuisionis Apostolorum.

Mortuo iam Rodolpho, Fridericus Episcopus Spiram redijt ad suam gubernationẽ. Sequenti anno, cum interfuisset Synodo Aschaffenburgensi, et inde Spirã redire uellet: captus est non procul à Moguntia, prope pagum Kesterbacensem à Gerhardo comite in KatzenEllenbogen in insidijs ibi collocato: Inde in castrum aliquod abductus, & aliquandiu detentus magna Episcopatus pecunia redemptus est. Reuersus postea ad Ecclesiam suam spirensem, religiosissime uixit ad finem uitæ usq;. Obijt tandem decima octaua Ianuarij, anni à nato Christo 1302. Auehitur in Eusserstalium ordinis S. Benedicti cœnobium, & ibi cum honesto uirtutũ suarum & actæ uitæ Elogio, honorifice sepelitur. Sub eius gubernatione cæsus est, anno 1298 in agro Wormaciẽsi nõ procul ab Alzheim, Adolphus rex, comes Anaxouianus, ab Alberto Austrio. Qui initio in Rosarũ uallis celebri monialiũ cœnobio humatus, postea Imp. Henrici VII. iussu, sequẽtis Episcopi Sibothonis temporib. Spirã delatus & in Regiẽ

choro depositus est, sub insigni marmore, cui talis est superaddita inscriptio.

Anno Domini 1293. Obijt Adolphus de Nassaw, rex Romanorum, VI. Nonas Iulij occisus anno regni sui octauo.

52. SIBOTHO Baro à Liechtenberg, Alsata: successit Friderico legitime electus in Episcopũ Spirẽsem ab uniuerso clero. Præfuit 12 annis laudabiliter: fuit iusticiæ & æquitatis promotor ac defensor acerrimus, iniquitatis uero uiolentiæ ac iniustæ Tyrannidis hostis etiam ac uindex seuerissimus. Pacauit initio status tim gubernationis suæ, ciuili odio ac bello frementem Spiram: deturbato è gubernatione senatu, qui miserè plebi diu multis modis fuerat durus & iniurius. Decessit ex hac mortali uita anno 1314. Sepelitur in Regum choro, fuit enim Henrici VII. Imp. intimus Consiliarius. Præcedente anno tanta grassabatur pestis per uniuersam Europam, ut tertia penè humani generis pars ea absumeretur. Scribit Haugobertus S. Ferrucij apud Bleydenstadium monachus, Coloniæ eo anno triginta milia, apud Treuerim duodecim milia, Moguntiæ sedecim, & wormaciæ sex, Spiræ nouem, Argentinæ tredecim, Basileæ quatuordecim, apud Herbipolin quatuor hominum millia aeris contagio absumpta esse. Totos item pagos, tota oppida (absumptis omnibus incolis) uacua & sine habitatoribus, rura sine colonis & agricolis fuisse. Hanc pestem summa Annonæ difficultas

cultas excepit, ita ut ex tanta clade superstitibus difficilius esset uiuere, quàm illis (qui peste sunt absumpti) fuisset mori. Et fame perijssent, qui peste perire & absumi non potuerunt, nisi è regno Siciliæ frumenta in mediam Germaniam fuissent allata. Sub hoc ipso Episcopo Sibothone Comitia habuit Spiræ Imp. Henricus VII. cuius mandato Spiram allata, et in Regum choro honorifice coram omnibus Imperij proceribus humata sunt ossa, Adolphi Anaxouiani ab Alberto Austrio et Alberti Austrij à Ioanne fratris filio interfectorum & per omnem uitam suam summe inter sese dißidentium Regum: quorum ille è Khunigsfeldo Ergouiæ Monialium cœnobio, alter è Rosarum uallis uirginum monasterio translatus est. In Adolphi tumulo Spirensi, inuenta est capsula plumbea, in qua fuit exiguum corpusculum sericato pallio indutum, in cineres redactum ossibus tamen & crinibus adhuc integris: cum plumbea tabula, cui talis inscriptio inerat.

Octauo Idus Octobris, Agnes filia Friderici Imperatoris obijt.

In hunc tumulum Adolphus positus, cum inscriptione supra in Friderico allegata. In Alberti tumulo inuentum est corpus rubeo serico inuolutum, cum cuprea ac deaurata corona: cum plumbo item cui inscripta erant hæc uerba:

Anno Iesu 1190 decima septima Septembrium, Obijt Beatrix imperatrix. Hæc Friderici Barbarossæ

coniunx fuit. In hunc tumulum positus est Albertus Imperator, cum tali inscriptione:

Anno domini 1308 Calendis Maij Albertus Romanorum rex, quondam Rodolphi Romanorum Regis filius, occisus: Anno sequente, quarto Calendarum Septembris hic est sepultus.

53. EMICHO comes à Leyningen, constituitur Episcopus Spirensis, post mortem Sigebothonis Episcopi, non quidem per legitimam Canonicorum senatus electionem, sed mandato Imperatoris Ludouici Bauari: qui antea etiã Georgiũ comitẽ à Feldentz, contra Arnoldum Baronẽ de Ochsenstein à Friderico Austrio in Episcopum designatũ, Episcopatui præfecerat: cui Georgio mox ex hac mortali uita sublato, Emicho à Ludouico Imp. subrogatur, qui tandẽ (Arnoldo etiam huic mortali uitæ ualedicente) plena & quieta gubernatione potitus est, annis quatuordecim: quibus plurimum profuisset diligenti sua cura & gubernatione, nisi Austriæ duces Spirensem agrum ferro incendijs & rapinis aliquoties miserrime uastantes, summos habuisset hostes eo quòd Imperatori Ludouico Bauaro, & Episcopus & tota Respub. Spirensis, contra Fridericum Austrium Ludouici competitorem adhæresceret. Emit tamen nihilominus plurimos pagos ad Episcopatum Spirensem: Decessit ex hac uita anno Domini 1318 decima nona Aprilis. Sepelitur honorifice in media Basilica Spirensi, ante aram S. Annæ sub uncti, sine Thalassici coloris insigni marmore.

54. BERTHOLDVS comes à Buchegk ex Burgundionibus natus antea Teutonicorum ordinis strenuus heros, sapientia & uirtute præditus insigni: postulatur ad Spirensis Ecclesiæ gubernationem, mortuo Emichone à toto Capitulo. Præfuit undecim mensibus, & ad Argentinensis Episcopatus clauum uocatus, Spirensem Ecclesiam libere & cum summa gratiarum actione Senatui eius loci Canonicorũ resignauit anno 1319. De hoc Episcopo, plura uide in Argentinensibus.

55. VVALDRAMVS comes à Feldentz, eligitur à clero summi collegij Spirensis in Episcopum anno Domini 1319: præfuit sex annis, & aliquot mensibus. Erat homo semper ferè ualetudinarius, quæ caussa adigebat eum ad Episcopatus gubernationem Baldouino Treuerensi ac Moguntino Archiepiscopo resignandam. Obijt autem paucis mensibus post depositum gubernationis onus, anno uidelicet 1336, quinta Septembrium. Sepelitur in Prædicatorum Monasterij choro ante aram summam. Huius Episcopi temporibus habita sunt Spiræ anno Domini 1333 maxima Comicia ab Imperatore Ludouico Bauaro, quibus omnes Imperij status præsentes fuerunt: Ibi de pace per totum Imperium Germanicum, in quo multis iam annis maxime fuisset tumultuatum, constituenda: et de prædonum ac latronum, hinc inde per publicas uias licentiosius grassantium tollenda & prohibenda Tyrannide habitæ sunt cum grauissimæ tum utilissimæ deliberationes.

56. Baldo-

56. BALDOVINVS comes à Lutzelnburg, Imperatoris Henrici VII. Germanus frater, Archiepiscopus Treuerensis, & aliquandiu etiam Moguntinus, Sacri Rom. Imp. princeps Elector, Episcopus etiam Wormacienſis: quibus amplissimis dignitatibus omnibus summa fide & laude, præfuit utilissime. Is, ut afflictæ Spirensis Ecclesiæ administrationem etiam in se acciperet, ab uniuerso Spirensi clero, eius q; admodum ualetudinario Episcopo Waldramo humillime rogatus: preces afflictorum clementer exaudiuit, duobus annis administrationis titulo Ecclesiam Spirensem tanta prudentia & cura gubernauit, ut illa ex omnibus incommodis & miserijs fœliciter liberata, in pristinam dignitatem pulcherrime resurgeret. Moriente uero interim Waldramo, Baldouinus etiam Archiepiscopus, anno 1337 Ecclesiæ Spirensis clauum, Canonicorum eiusdem loci summo collegio libere resignans, eos ad proprium sibi è suo collegio Episcopum eligendum exhortatus est.

57. GERHARDVS nobilis ab Erembergk, Canonicus omnino adhuc iuuenis, sed eximia uirtute præditus: nondũ capitularis aut summo Canonicorũ senatui insertus, eligitur post mortẽ Waldrami, et resignationem Archiepiscopi Balduuini, unanimi consensu totius Capituli in Episcopum Spirensem anno Domini 1337. Præfuit laudabiliter ac utilissime uiginti sex annis, mense uno, diebus quatuor. Decessit ex hoc calamitatis

sæculo

ſæculo, uicesima octaua Decembrium, anni à nato humani generis ſaluatore 1363. Sepelitur honorifice in media Baſilica Cathedrali, ante D. Annæ aram: ſub marmore, cui & gentilitia eius inſignia ſuperaddita ſunt, & uera eius effigies affabre appoſita. Fuit Imperatori Ludouico Bauaro imprimis charus, & conſilijs ſuis ſæpe utilſsimus. Huius fauore & conſenſu, ex pago Vdenheymenſi oppidum mœnibus ac foſsis pulchre munitum fecit. Inſtaurauit Cœnobium Auguſtinianorum, anno Domini 1340 incendio miſere uaſtatum, & in cineres collapſum.

58. LAMBERTVS nobilis à Buren, uel Burnen, Alſata: intruditur ab Imperatore Carolo IIII. & Pontifice Vrbano V, contra Canonicam electionem, in qua unanimi totius cleri conſenſu, Epiſcopus Spirenſis deſignatus iam erat Eberhardus nobilis heros à Randeck, ſummi Collegij Decanus, qui uenienti Lamberto cedere, & Vdenheymenſis oppidi ac aliquorum pagorum & caſtrorum poſſeſsione contentus eſſe coactus fuit. Erat Lambertus iſte homo omnino Polypragmonicus ac ambitioſiſsimus: qui ex Monacho Neuwylerano Abbas Gengenbacenſis: ex Abbate Epiſcopus Brixenſis, & Imp. Caroli IIII Cancellarius ac intimus Conſiliarius factus: nondum quieuit, donec & Spirenſem Epiſcopatum conſequeretur: huic à Carolo IIII (apud quem ſumma erat ipſius authoritas) omnium priuilegiorum ac donationum confirmationem

tionem sub aureo Imperatoris Sigillo consequutus est: id Diploma, Bullæ Carolinæ titulo nobilitatum est, Sub eius gubernatione pericrunt incendio Spiræ, Decimaseptima Septembrium anni à nato Christo 1371 ædes priuatæ sexaginta: id incendium in foro pomario natum, durauit integrum biduum. Præfuit utiliter annis ferè nouem: postea resignata Spirensi Ecclesia, Argentinensi sese intrusit, anno Christi 1371. De quo plura uide in Argentinensibus ac Bambergensibus, nam & his Episcopatibus aliquandiu postea præfuit.

59. ADOLPHVS comes Anaxouianus, eligitur unanimibus suffragijs totius Capituli, in Spirensem Episcopum anno Domini 1371, præfuit nouem annis pene, & à summo Canonicorum Moguntinensium collegio ad Archiepiscopatus gubernationem uocatus, anno Domini 1373, à Romano Pontifice Gregorio XI. Moguntiam uenire & illic sedere prohibitus est, quia Ludouicum ille Misniæ Marchionem, & Episcopum prius Bambergensem Moguntiam destinarat: Interim igitur Spirensem Episcopatum, retinuit Adolphus, donec anno Domini 1381 Ludouicus Archiepiscopus misero fato ex hac uita euocaretur: tum Moguntinam Cathedram occupans Spirensis tamen Ecclesiæ clauum nondum abiecit, etsi Nicolaus aliquis à Romano Pontifice Spirensis Episcopus designatus è Roma in Germaniam missus esset: quem Adolphus adquietam gubernationem peruenire non passus est, nisi

post

post septennium. Præfuit Adolphus Moguntinæ sedi annis octo, ualedixit mortalium hominum conuersationi ac uitæ, anno Domini 1388 in oppido Haylgenstadt. Sæpelitur Moguntiæ. Is initio gubernationis suæ, armis Spiram rebellem & seditiosam auxilijs Archiepiscoporum Colonienſis & Treuerenſis, suaq; amplissimæ familiæ parêre sibi coegit: eijciens urbe in perpetuum exilium authorem eius rebellionis, Henricum à Landow, nobilem & opulentissimum ciuem Spirensem, cuius omnia bona confiscata sunt.

60. NICOLAVS humilis sortis parentibus ex oppido Wysbaden natus: uir eximie doctus ac prudentissimus: succeſsit Adolpho, è Roma (ubi Rotæ annis duodecim auditor fuerat) missus & Ecclesiæ Spirensi, à summo Pontifice Vrbano sexto commendatus. Peruenit ad quietam gubernationem non citius quàm anno dominicæ incarnationis Millesimo trecentesimo octuagesimo octauo, paucis mensibus ante mortẽ Archiepiscopi Adolphi. Præfuit summa cum laude ac utilissime annis quindecim, quibus ita Episcopatum Spirensem instaurauit auxit & locupletauit diligentissima cura & gubernatione sua, ut eius non immerito reparator, et secundarius fundator dici ac celebrari debeat, Erat per omnes totius Episcopatus sui pagos Omniũ templorum aliquo modo collapsorum aut ruinas minantium diligentissimus restitutor ac renouator: uir mitis & humanus erga omnes, præcipue erga

clerum

clerum suum, cui charissimus erat, etsi sine eius consensu Episcopatum satis uiolenter initio inuasisset & occupasset. Obijt Brusellæ septima Iunij anno incarnati uerbi 1396. Inde Spiram uectus, in Cathedralis Basilicæ media area, ante S. Annæ aram sub cæruleo marmore Episcopi Emichonis à Lyningen honorifice est depositus.

61. RABANVS nobilis ab Helmstadt, uir sapientissimus Imperatoris Venceslai Cancellarius: eligitur in Episcopi Nicolai successorem uicesima Iunij, anno Domini 1396: sed tamen per discordiam: aliqua enim Canonicorum pars suffragia sua Godefrido comiti à Leyningen dederat. Præfuit sapientissime ac utilissime annis quadraginta duobus, fuit Imperatorum Ruperti Palatini ac Sigismundi Consiliarius, omnibus circumiacentis terræ principibus eximie charus. Cinxit grauissima obsidione duorum mensium, urbem Spirensem, eò quod ibi Senatus populus q; extra muros, S. Germani Cœnobium propter sceleratam eius loci monachorum uitam & sub religionis specie constupratas ibi ciuium uxores ac filias, zelo ulciscendæ talis impietatis & perfidiæ funditus euertissent soloq; æquassent: totumq; clerum ob hãc caussam urbe expulissent. Id dissidium ac bellum à Sigismundo Imperatore in Comicijs Noribergæ habitis, certis conditionibus transactũ et compositum est: cum magna tamen iactura Senatus populiq; Spirensis grauissime multati. Anno do-

mini

mini 1430, eligitur idem Rabanus in Archiepiscopum Treuerensem, à Pontifice Maximo Eugenio quarto, contra alios duos per discordiam à summi collegij Treuerensis senatu electos, Iacobum uidelicet Baronem à Sireck, & Vdalricum comitem de Manderschiedt: Præfuit Treuerensi Archiepiscopatui etsi in summa inquiete annis nouem, semper interim Spirensis etiam Ecclesiæ possessione retenta: donec anno Domini 1439 utriusq; Episcopatus magistratu se abdicaret, & unanimiter consenciente utriusq; urbis clero, Archiepiscopatum Treuerensem Domino Iacobo Baroni de Sireck: Spirensem uero Episcopatum fratris sui filio Reinhardo ab Helmstadt præposito summi collegij Spirensis resignaret. Ipse uero eiusdem anni decima quarta Nouembrium naturæ debitum absoluens, Spiræ in Basilicæ Cathedralis media parte honorifica sepultura donatus est.

62. REINHARDVS ab Helmstadt, summi templi Spirensis præpositus, uir omnino religiosus, iusti et æqui studiosissimus: peruenit ad gubernaculum Spirensis Ecclesiæ, per resignationem antecessoris & cognati sui, Antistitis Rabani: Confirmatur ab Eugenio quarto, Pontifice maximo. Consecratur in cœnobio Maulbrunnensi. Ingressus est Spiram insigni pompa equestri: comitabantur eum, Ludouicus Palatinus Imperij Elector, Otho dux Bauariæ, Bernhardus Marchio Badensis, ac multi Comites Barones & nobiles

Episcopatus Spirensis Vasalli. Excipitur cum à clero tum à Senatu populoq; Spirensi summo honore ac gaudio. Præfuit sedi Cathedrali laudabiliter annis septendecim, uastauit & solo æquauit Lindelbrunnum & Wasgouiæ castrum, in quo Episcopi quidam hostes tutum aliquandiu habuissent receptum. Sub eius gubernatione, conflagrauit anno 1450 in die S. Ioannis ante portam Latinam: unà cum campanis omnibus, tectum summæ Basilicæ Spirensis, quod totum ex albo plumbo affabre, & maximis sumptibus factum erat. Albi plumbi totus riuus à summa Basilica per plateam fratrum (ut uocant) uersus portam promanabat. Incendium media nocte natum est tantum ex negligenter curato igne eorum qui Organa summi templi reficere, & instaurare debuerant. Sed Episcopus Reinhardus omnia pristinæ formæ maximis sumptibus restituit. Valedixit mortalium conuersationi, decima nona Martij anno 1456. Sepelitur in Spirensi Basilica.

63. SIGEFRIDVS nobilis à Fenningen, eligitur uicesima nona Martij, anno Domini 1456 unanimi consensu totius Canonicorum senatus: fuit incomparabili uitæ bonitate ac morum integritate præditus. Confirmatur à P. M. Calliſto tertio. Præfuit laudabiliter annis tribus, mensibus quinq;, diebus duobus. Peregrinatus est Romam religionis ergò ad P. M. Pium secundum à quo humanissime exceptus & tractatus, ac multis egregijs priuilegijs donatus est. Redemit octo millibus aureorum & Wersouium castrum impignoratum Pala-

tinis. Cum uero anno 1459 Heidelbergam quorundam negotiorum expediundorum ergò eques uenisset: incidens in subitum morbum, post pauculas horas non sine ueneni suspitione, secunda Septembrium expirauit. Inde Spirã reuectus, cũ summo omniũ suorũ luctu in tumulũ Nicolai et Emichonis Episcoporũ collocatur.

64. IOANNES nobilis ab Entzenberg, cognomento Nix eximie doctus: eligitur in Spirensis Ecclesiæ Episcopum decima septima Septembrium, anni 1459, fuit uir eximie doctus & bonus, sed gubernator infœlix: non suo tamen uitio, sed turbulentißimorum temporũ iniquitate meliorẽ fortunã non ferente. Erat eodẽ tempore maximũ Schisma inter Adolphũ Anaxouianũ comitem, & Theodoricũ comitem Eysemburgiũ per discordiã in Archiepiscopatus Moguntini gubernationem electos: ibi cũ Imperatorio et Pontificio mandato coactus, Spirensis Episcopus contra Eysenburgiũ, Adolpho Anaxouiano suppetias ferret: Palatinus Fridericus, uictoriosus ille Vlrici comitis &wirtẽbergensis, Caroli Marchionis Badensis & Georgij Episcopi Metensis, Adolphum Anaxouianũ iuuantiũ debellator, Theodorici Eysemburgij parti adhærens, Episcopatũ Spirensem etiã inuasit, oppidũq; et castriũ Rotenburgense et arcẽ &wersouianã cum adiacente territorio occupauit, et in suã ditionẽ ac potestatẽ redegit: cœnobiũ uero S. Germani extra Spirẽses muros à Dagoberto olim fundatũ, et nuper à Spirẽsib. solo æquatũ

iamq; egregie restitutum incendio uastauit, de iterum funditus euertit totum, eò quod receptum ibi suum habuissent, qui nomine Adolphi Anaxouiani, Palatinas prouincias rapinis ferro & igni populati fuerant. Hoc ipsum infortunium, summo animi dolore excipiens Episcopus, de resignando Episcopatu, alicui (qui acceptum damnum reparare & resarcire posset) cogitauit. Cum haberet autem eodem tempore Fridericus ille Rheni Palatinus Cancellarium, uirum eximie doctū, sapientem ac bene de se meritum, Mathiam à Ramungen: putauit Episcopatui afflicto non posse se melius subuenire & consulere quàm si isti Mathiæ gubernationem Spirensis Ecclesiæ, quam ipse per triennium iam gesserat, commendaret: quod fecit consensu totius Canonicorum summi collegij senatus, octaua Augusti, anno redempti orbis 1461, reseruata Grunbacensis arcis sibi possessione: in qua cum per annum sedisset, accepta annua sua pensione in promptis pecunijs Pforzenheymium ad cognatos suos commigrauit, ubi cum sex adhuc mensibus uixisset, sexta Septembrium anni à nato Christo 1464 ex hac mortali uita euocatus, Pforzenheymij in Franciscanorum templi choro ante summam aram honorifice depositus ac terræ omnium parenti redditus est..

65. MATHIAS nobilis hæros à Ramingen, Bauarus: Friderici Palatini Cancellarius, eximie doctus, eloquens ac sapientissimus, principiq; Friderico uictorioso

rioso longe charißimus: cuius precibus obtinuerat nuper Canonicatum Spiræ. Idem nunc afflictis Ecclesiæ Spirensis rebus per resignationem Episcopi Ioannis ad gubernationem postulatur, unanimi consensu totius Canonicorum senatus: cogitantis, Fridericum Palatinum ita citius placari posse: & hunc Mathiam aliquando ad Episcopatus possessionem amissum territorium etiam recuperare posse, ut qui de Palatinis bene meritus, omnibus q; longe esset charißimus. Præfuit Mathias iste summa cum laude omnium, cum maxima item Episcopatus utilitate annis quindecim. Sub eo ædificarunt S. Germani cœnobitæ, aut Canonici, iam toties expulsi toties incendijs uastati, intra urbis muros sibi sedem & domicilium ac magnificum templum, ex S. Mauricij Parrochia: Hi migrarunt in urbem, & cum summo honore excepti sunt tertia Ianuarij, anno Domini 1468. Aedificauit Episcopus iste Mariætrautum, arcem præclaram in agro Spirensi, non procul ab urbe sitam. Cathedralem uero Basilicam quatuor egregijs sacellis, auxit & illustrauit: in quorum priore sepulturam sibi uiuus constituit ac adornauit. Fuit Imperatori Friderico tertio, & omnibus Imperij principibus eximie charus, & in existimatione apud omnes longe maxima. Emigrauit ex hoc mortali ac lugubri sæculo in ipsis Augusti Calendis, anno incarnati uerbi 1478. Sepelitur in D. Virginis sacello à se constructo.

66. LVDOVICVS nobilis uir ab Helmstadt, Ma-

thiæ Episcopo unanimi totius Capituli consensu subrogatur: uitæ integritate, pacis studio ac plurimis alijs summis uirtutibus nemini mortalium secundus: Oeconomus omnium optimus. Præfuit optime ac utilissime annis 17, Maximiliano Imp. imprimis charus. Decessit ex mortali hac uita Vdenheimij decima octaua Augusti, Anno Domini 1505: Inde Spiram uectus in Rabani ac Reinhardi antecessorum suorum tumulum est honorifice collocatus. Conspirarat in eum ac omnem magistratum tota plebs Spirensis Episcopatus: sed cum ea conspiratio per quendam plebeium Lucam Rapp (cui hæc impia consilia displicebāt) Episcopo innotesceret: captis & è medio sublatis seditiosæ istius conspirationis authoribus, omnia fœliciter Dei opt. Max. beneficio ac Philippi Palatini Electoris consilijs composita ac pacata, pulchre subsederunt.

67. PHILIPPVS nobilis heros à Rosenbergk, Ludouici Episcopi è sorore nepos: summi collegij Cantor, & ad S. Germanū præpositus, uir doctus & Doctor Ticinensis Gymnasij: successit Ludouico, communibus omniū Canonicorū suffragijs accitus ac electus. Præfuit annis octo, semper aduersa laborans ualetudine. Sub eius gubernatione incomparabile Oliueti fanū in ambitu maioris Basilicæ constructū est. Redemit à Palatino Philippo Elector 14. aureorū millibus, oppidum & castrum Rotenburgum, prius ab Episcopo Ioanne Entzenbergensi amissum. Obijt Vdenheimij tertia Fe-

tia Februarij, Anno 1513, Inde Spiram reuectus prope Ludouicum auunculum suum honorifice sepelitur.

63. GEORgius Rheni Palatinus et Bauariæ dux, Philippi Electoris filius: præpositus Moguntinus et Canonicus Spirensis postulatur ad gubernationẽ Episcopatus Spirensis 13. Februarij, anno 1513, ætatis suæ anno 17. Huic, electionem etiã impetrauit Imp. Maximilianus, qui tũ in oppido Landow erat, & ut Georgium iuuaret, à Palatino Friderico facile exorabatur. Eiusdẽ igitur anni, 11. Iulij, in Cathedrali Ecclesia Spirensi, ab Alberto Cardinale ac Archiepiscopo Moguntino, præsentibus Ludouico Palatino fratre, multis q̃; Episcopis ac Abbatibus insigni põpa consecratur. Præfuit Episcopatui Spirẽsi laudabiliter annis 16. Sedit frequens Vdenheimij. Emit castrũ Madenburgum cum adiacente territorio ab Vlrico duce Wirtembergensi: id à seditiosis rusticis anno 1525 uastatũ ac solo æquatũ, pulcherrime postea reædificauit. Cœpit ex fundamẽtis ædificare arcẽ Vdenheimensem, natura loci egregie munitã, & propter uicinitatẽ Rheni, et quod in loco palustri sita esset: ut insurgẽtibus bellicis tumultibus haberet Episcopus Spirẽsis tutũ ac firmũ aliquod receptaculũ. Multa passus est à seditiosa rusticorũ suorũ coniuratione, q̃ summa sapiẽtia, sine multo sanguine (erat enim natura clemẽs, mitis et misericors) pacauit, fuit pacis lõge studiosiss. inter priuatos etiã hoĩes uel cõseruãdæ uel resarciendæ. Idcirco acerrimi dissidij et totius maximæ

turbæ (quam Ioanni Reuchlino doctißimo uiro, Hochstratus quidã excitarat) unà cum ſucceſſore ſuo Domino Philippo à Flersheim tunc temporis adhuc ſummi Collegij Cantore, diligentißimus compoſitor & tranſactor. Deceßit ex hac mortali uita, longiore digniſſimus, ſpe & expectatione æternæ uitæ, in arce Kißlow, uiceſima ſeptima Septembrium, anni à nata ſalute ſempiterna 1519: Anglico ſudore correptus, quod morbi genus per totam tum graſſabatur Germaniam. Reuehitur Spiram, & ibi in media Cathedrali Baſilica honorificentißime ſepelitur: cui poſtea à ſequente Epiſcopo egregium monumentum cum tali inſcriptione poſitum eſt.

Reuerendo ac illuſtri Principi ac Domino, Domino GEORGIO Epiſcopo Spirenſi, ac Comiti Palatino Rheni, ducíq; Bauariæ: admiranda clementia, prudentia & pietate undiq; conſpicuo: ac demum flagranti Anglico ſudore immatura morte defuncto: eius in Epiſcopatu ſucceſſor PHILIPPVS à Flersheym, hoc monumentum conſtituit. Obijt anno ſalutis 1529, die uiceſima ſeptima Septembrium. Qui æterna luce fruatur.

69. PHILIPPVS, nobilis heros à Flersheym: primum Cantor, poſtea præpoſitus ſummi Canonicorum ſenatus Spirenſis, eligitur uiceſima ſecunda Octobriũ anni à nata ſalute ſempiterna 1529 unanimi conſenſu totius ſummi Collegij, in ſucceſſorem Georgij Epiſcopi.

Con-

Consecratur Aschaffenburgi ab Alberto Cardinale ac Archiepiscopo Moguntino, uicesima quinta Martij, anni à nato Christo 1530. Ingreditur Spirã insigni pompa, nona Decembrium, Electus fuisset in Episcopum statim post mortuum antistitem Philippum (nam & eximia eruditione ac doctoratus titulo, & summa prudentia ac sapientia præditus fuit semper) nisi Palatinis ac Maximiliano Imperatori, Georgio Palatino patrocinantibus, ac pro Georgio intercedentibus, Senatus Canonicorum, eam petitionem censuisset omnino non esse denegandam. Fuit enim simili modo ad Wormaciensem Episcopatũ administrandum accitus: sed et ibi singulari modestiæ laude Palatino Henrico cessit. Quod uero tum Collegium Spirense distulit, id non itidem abstulit, sed postea copiosiore beneuolentia dignissimo heroi impertiuit. Præfuit uiginti annis laudabiliter, concionando ac alijs pietatis officijs: utiliter item diligenti Oeconomiæ gubernatione: summa clementia & mansuetudine erga omnes omnium ordinum ac conditionum homines, omnibus bonis charissimus, ad hæc nostra usq; tempora. Præest adhuc prudentissime hoc anno Dominicæ incarnationis 1549.

Incolumem pater Omnipotens conseruet & ornet,
Ac tandem ad cœli gaudia ducat eum.

AD INCLYTAM VRBEM VVORmaciensem in Vangionibus Schediasma Casparis Bruschij Poëtæ Laureati.

Vangionum uetus Vrbs gelido contermina Rheno,
VVerdomagum priscis dicta aliquando uiris:
Vel quod ab illustri quadam esses condita nympha,
Nympha uel ad Rhenum nobilis ipsa fores.
Turrigeris etenim surgentes mœnibus urbes,
Quid sunt, uirginei pars nisi pulchra chori?
Accipe Vangionum urbs laudum decora alta tuarum,
Accipe templa, aras Pontifices q; tuos.
Quos prius haud ullo cantatos tempore, dono
Vitæ immortalis munere primus ego.
Accipe te clemens, si tu te diligis ipsam,
Res odisse equidem non potes ipsa tuas.
Quod si nos aliquid tali pietate meremur
Si grata est Musa hæc officiosa tibi.
Qua te ex obscuro eurauimus esse redemptam:
Ereptos medijs è tenebris q; tuos.
Si tali nos inquam aliquid pietate meremur:
Hanc à te suplici uoce precamur opem.
Vt commendatos & toto pectore charos,
Temporibus tibi nos omnibus esse sinas.

Septi-

SEPTIMVM CAPVT
de VVormatiensis Cathedræ Archiepiscopis ac Episcopis omnibus.

VANGIONVM, &werdomagensis uel &wormaciensis, olim Archiepiscopatus, nunc Episcopatus tantum, totius olim Germaniæ maximus ac opulentissimus, qui possedit olim quicquid hodie regionum habent Palatini Rheni, Landtgrauius Hassiæ & Archiepiscopus, Moguntinus, cui item sedecim alij Episcopatus, suffraganeatus titulo suberant: scribitur uulgo cæpisse, annum Christi circiter quingentesimum ex liberali constitutione ac munificentissima donatione Clodouæi Galliarum primi illius regis, qui Christianam professionem accipiens, se & suos à S. Remigio Metensium Episcopo baptisari passus est Argentorati. Sed longe eum uetustiorem esse, Concilium Coloniense satis testatur & probat, in quo uictor Vangionum Archiepiscopus, Anno Domini 398 aut ut aliqui uolunt anno 348, unà cum alijs totius Europæ Episcopis, Euphraten Archiepiscopum Colonienſem exauthorauit & Ecclesiæ gubernatione exuit, propterea quod Arrianorum Hæreseos labe infectus & erroribus pertinaciter inhærens, ad unionem Ecclesiæ Christi redire nollet. Vrbem autem Vangionum uetustissi-

uetustißimam esse, hoc testatur, quod mille & quingentis annis ante natum Christum, præclaram ciuitatem & urbi Treuerensi cum alijs quatuor Rhenensibus urbibus, Basilæa uidelicet, Spira, Moguntia & Colonia tributariam fuisse, in uetustißimis Treuerensis urbis monumentis, Chronicis uidelicet, saxis ac peristromatibus inuenimus, ut in Treuerensis Archiepiscopatus descriptione copiose ac luculenter ostendemus. Quando igitur Archiepiscopatus Vangionum ceperit, aut quibus temporibus urbs ad Christum conuersa sit, id uetustate intercidit, & ex hominum memoria in obliuionem uenit. Gubernatores uero eius Ecclesiæ & Cathedralis sedis (qui literis mandati inuenimtur) ad nostra usq; tempora tali serie & ordine numerantur.

1. VICTOR primus eligitur Vangionum urbis & Ecclesiæ Archiepiscopus: is interfuit Synodo Colonienſi, in qua Euphrates Arrianam hæresin contumaciter defendens, exauthoratus & Episcopali officio exutus est. De hoc Episcopo extant uetustißimi uersiculi, ex quibus primus urbem ad Christianismi cognitionem ac professionem ab Ethnicis erroribus conuertisse, liquido deprehenditur.

Victor Vangionum uictricia signa triumphi
Erexit præsul non sine laude, pij.
Semper in ætherea quapropter gaudeat aula,
In qua nec fletus nec dolor ullus adest.

2. Amana

2. AMANDVS, *pius Ecclesiæ Vangionum pastor, concionando ac docendo fideliter præfuit: Ad hunc è Roma uenit S. Seruatius, Tungrorum Episcopus. Extant de hoc Episcopo Amando ueteres uersiculi, uitam eius Episcopalem egregie depingentes.*

Præsul amauit oues proprias & pauit Amandus,
Ideirco superis semper amandus erit.
Ille Deum docuit ardenter Amandus amandum.
Et nobis igitur semper amandus erit.

3. CAROLVS.

4. *Quarti nomen intercidit, quòd eo tempore ab Attyla euersa esset Wormacia, quæ iterum à Rege Galliarum Clodoueo instaurari cæpta, & postea à Brunhilde Regina pulchre illustrata est.*

5. *Quinti nomen ignoratur: etsi scribat Franciscus Irenicus, primos decem Archiepiscopos Wormacienses celebratos esse à Ioanne quodam Monacho, in Moguntinensium Catalogo: sed quis ille scriptor sit, aut in qua Vtopia ille istum Catalogũ inuenerit, ego ignoro.*

6. S. CROTOLDVS *pius ac religiosissimus præsul, præfuit Wormacienſi sedi Cathedrali adhuc circa annum Christi saluatoris 503. Vastarat ante ista tempora Attyla Hunnorum rex ut omnes ferè urbes ad Rhenum sitas: sic urbem etiam Corneliam hodie Wimpinam, ad Neccharum sitam: ubi non solum omnes uiri misere ab Hunnis trucidati sunt, sed grauissime etiam in imbelles fœminas sæuitum est, quibus uitiatis, ubera etiam*

etiam abscissa sunt. Ab his fœminarum tormentis nouum urbi nomen contigit, nam Weibpeina, quasi fœminarum pœna & tormentum appellata est, quæ antea Corneliæ nomine nota erat. Ad huius urbis in Wormaciensi diœcesi sitæ ruinas cum uenisset S. Episcopus Crotholdus, & locus ei egregie placuisset, ac studijs piorum hominum maxime uideretur esse idoneus: cæpit uenerandus senex egregiũ ibi templũ condere, & habitationẽ satis amœnã pro duodecim monachis ac corũ informatore et gubernatore præposito, cõstruere. In eo tẽplo adhuc hodie apparet imago eius parietibus appicta & diademate ornata: in eodẽ, terræ etiã mandatus esse creditur. Extat de eo tale adhuc Epigrãma:

Ponc iacet sanctus Crotholdus in urbe sepultus,
Cuius fama patet, laus quoq; uera Deo.
Spargere qui studuit diuini semina uerbi,
In cœli regno semina læta metet.

7. Septimi nomen ad meam notitiam nõ peruenit.

8. S. RVPERTVS præfuit Vangionum Ecclesiæ, temporibus Hilderici Galliarum regis: à quo proculdubio isti officio ac dignitati præfectus est, cum et ipse ex nobilissima Franciæ Regum ac Scotiæ ducũ prosapia ortus esset. Fuit quoq; insigni uitæ integritate & sanctimonia præditus: populi sibi commissi, cum doctrina tum exemplo uerissimus Episcopus, qui et concionando & docendo, corripiendo ac monendo officium ueri pastoris nunq; intermisit. Cum uero admodum impares habeat doctrinæ Christi auditores, pius etiã Epi-

scopus Rupertus Regi Hilderico charus, præfecto ue ro cuidã Regio, comiti Beringero insigni Tyranno ad= modum inuisus fuit. Is, mortuo Hildeberto Rege, S. Ru pertum acriter repræhendentem peccata non populi so lum, sed & magnatum uirgis, & flagris primum mi= sere cæsum, urbe postea & Episcopatu cum summa ignominia eiecit. Ibi Ratisbonam secedens à Theodone Bauarorum duce (apud quem clementißimus Deus, doctori & Apostolo suo bonum iã hospitium præpa= rarat) clementer & cum summo gaudio exceptus: & Theodonẽ & totã eius familiam ad Christum conuer sam baptisauit anno 580, quo libere nemine prohibente non in Bauaria tantũ, sed & Austria, Styria, et toto Norico doctrinã de Christo Deo et homine, uno et so= lo humani generis liberatore, intrepida uoce concio= nans, egregie propagauit: unde totius Norici primus Apostolus dici meruit. Eodẽ anno Iuuauiam etiã ueni= ens, quæ olim Bauaricarũ urbiũ nobilißima, sed ab At= tyla Hunnorũ rege misere euersa, iam iterũ mediocri= ter surgebat: is locus cũ uiro Dei iã uarijs peregrinatio nibus defatigato imprimis præ cæteris placuisset, et po pulus Christi doctrinã nõ grauatim acciperet: cæpit ibi consensu etiã & auxilijs ducis Theodonis pro se ac so cijs suis Monasterium S. Petri construere, & sedem Ar chiepiscopalẽ auspicari: docere, concionari, baptisare, ac cætera pietatis Christianæ officia summo studio face re. Præfuit sic Episcopatui Salisburgensi aut Iuuauia= no & Monasterio S. Petri (in quo ut in pia schola

sacras scripturas diligenter explicans, plures educabat uiros pios & doctos, qui Ecclesiæ præesse, seruire & prodesse aliquãdo possent) summa cũ laude annis quadraginta quatuor. Obijt plenus dierũ in ipsa dominica Resurrectionis Christi, Anno Domini 623, sub Papa Honorio primo, Imperatore Heraclio, Francorum rege Clothario Dagoberti patre. Sepelitur honorifice in Ecclesia S. Petri.

9. De nono Vangionum urbis Episcopo nihil habeo, ac ne nomen quîdem.

10. S. AMANDVS, præfuit Archiepiscopatui &wormacienſi temporibus Dagoberti Galliarũ Regis Christianissimi, ac omniũ ad Rhenum sitorũ Episcopatuum benefactoris ac instauratoris munificentissimi: qui sedem suam Regiam extra muros urbis Vangionum eo ipso loco habuit, ubi nunc est Neohusium celebre Canonicorum Collegium. Huius Archiepiscopi temporibus obtulit ac dono dedit Dagobertus iste Galliarum Rex, in præsentia Arnolphi Metensis, & Huniberti Colonienſis Episcoporum S. Petro Apostolo &wormacienſis Episcopatus patrono comitatum Laudenburgensem cum toto adiacente territorio, sexto regni sui anno: cuius memorabilis donationis Originale diploma habetur adhuc integrum in Archiuis Episcopi &wormacienſis, Moguntiæ datum. Iste Episcopus Amandus tanta Religione ac tantis miraculis etiam claruit, quibus doctrinam Christianam confirmauit

Deus

Deus: ut ei senatus populus q; urbis Vangionum mortuo templum gratitudinis ac pietatis ergò statuerent, quod hodie adhuc in suburbio situm, S. Amandi Parrochia appellatur. Extant de eo sequentes uersiculi, non omnino infœlices:

Pacis amatorem feruenter Amandus amauit,
Ergo pacificus cœlica regna colit.
Vota, preces, gemitus, lachrymas, suspiria, planctus
Fer pater ad superos: Te Deus audit enim.

De undecimo Archiepiscopo Epigramma Bruschij.

II. Vndecimi nomen priscis intercidit annis
Præsulis: at pater hunc nouit habet q; Deus.
Inde uidemus, ut omnia sint humana caduca,
Et quod mors rebus omnibus atra uenit.
Quam tamen Aonidum remorantur numina regni:
Ac aliquo possunt impedijsse modo.

12. GEROLDVS designatur duodecimus Archiepiscopus Wormaciensis à Carolomanno ac Pipino fratribus, qui ei Moguntinensem etiam Episcopatum inter sedecim illos (qui tum Vangionibus suberant) amplißimum, gubernandum commiserant. Erat uir prudens, callidus, ac ad maximas res, magis tamen ad ciuiles quàm Ecclesiasticas gerendas, summe appositus & idoneus: corporis statura insigni, animo uero preditus intrepido ac longe maximo: Aulicæ uitæ studiosior, quàm Ecclesiasticarum Ceremoniarum, quas pa-

rum aut omnino non curabat, iccirco Aulicis etiam & utriq; Regi admodum charus. Cum itaq; Saxones, irruptione facta Thuringiam ferro & igni popularentur: missus est à Rege Pipino ad defendendam Thuringiam, Episcopus iste Geroldus, cum magno exercitu. Ibi cũ strenue ac fortiter dimicaret, fortiter etiam in acie à Saxonico quodam Regulo cæsus occubuit: de quo facto natum est Epigramma:

Ense Geroldus obit Præsul, qui dimicat ense:
Perplacet ergo chorum, non adijsse forum.

13. GERVILIO Geroldi Archiepiscopi legitimus filius, patri per omnia similimus, semper fere à primis annis in aula Pipini Regis educatus: euectus est post mortem Gerholdi patris ad utriusq; etiam sedis, & Wormacien sis uidelicet ac Moguntinæ gubernationem à Rege Pipino, cui admodũ charus erat: quod indicium minime fallax est, non humili eos genere natos fuisse. Accidit autem, ut huius etiam Archiepiscopi tempore, Saxonia iterum seditiosa grassaretur in Regias Prouincias: Pipino ergo conscribenti exercitum, qui uim Saxonum à Thuringia arceret ac depelleret, operam suam inter alios offert iste etiam Archiepiscopus Gerui lio, gaudens se nactum esse occasionem ulciscendæ cædis paternæ. Missus igitur, in Saxoniæ aditu ad Visurgin castra locat, ubi audiens Saxonico exercitui inesse hostem, patris sui Geroldi trucidatorem, misso ad eum honesto Legato, datáq; insuper summa fide sub specie amicitiæ

emici alicuius colloquij eum ad se uocat: Ille mali nihil metuens, ac Episcopi Geroldi hunc filium esse ignorans, publica item fide fretus ac nitens uenit. Quem cum ad se uenientem uideret Geruilio, uicit eum ira, uicit in charissimum parentem pietas, ut oblitus pacti promissi ac datæ fidei quasi cæcus in eum irrueret, ac gladio eum traijceret, addens hoc Schediasma, quod dolor & indignatio forte extorsit.

Accipe nunc ferrum, quo patrem uindico charum.

De hoc homicidio natum est tum tale Epigramma, ad ipsum Geruilionem.

Quid Laicus faciet, cum pergat ad arma Sacerdos,
Geruilio patris uindicat ense necem.
Antistes baculo, gladio non utitur, unctus:
Hostem Geruilio cur precor ergo necas?

Audiens uero Rex Pipinus Geruilionem tale facinus designasse contra datam fidem, grauissime in eum accensus, habita prius deliberatione cum Pontifice Maximo Gregorio tertio, ex utriusq; dignitatis fastigio eum deiectum, Monasterio cuidam intrusit, cui perpetuis temporibus inclusus, pœnitentiam ageret de commissa cæde & uiolata publica fide. Ibi inter alias querelas quas scripsisse legitur, hoc Tetrastychon extat, quo factum suum excusat Geruilio, & calamitatem suam recenset ac pacienter sese ferre testatur.

Patrius affectus me mouit ad arma cruenta,
Pœnam quam merui dignius ergo tuli:
In claustro latui pro crimine tempore uitæ,
At licet hic lateam, spero salutis opem.

Vt autem exemplum etiam omnium temporum hominibus statueretur, & grauissima animadeuersione testarentur Rex Pipinus ac Pontifex Gregorius tertius tale facinus summe sibi displicuisse: Wormaciensis Ecclesia Archiepiscopali dignitate exuitur, & ea ipsa Moguntina induitur, & ad honores (quibus hodie adhuc coruscat) euehitur. Sic Moguntinus Episcopatus, Archiepiscopatus factus: & Wormaciensis Ecclesia ei subdita est, quæ sedecim prius Episcopatuum amplissima Domina ac gubernatrix erat. Etsi Pipinus Archiepiscopalem dignitatem ac sedem, libentius Erfordiam transtulisset in Cœnobium D. Petri, cui tamẽ uoluntati & consilio refragabatur summus Pontifex. De hac translatione (quæ incidit in annum Domini 719) extat tale distychon.

Ecce Moguntinis almæ dat Episcopus urbis
Culmen, Metropolis, quod erat tibi Guarmaciensis

Hactenus de Archiepiscopis Wormaciensibus: quicquid nunc de Wormaciensis Ecclesiæ gubernatoribus sequetur, id de Episcopis ac Moguntinæ sedi subditis Suffraganeis dicetur omne.

14. Vuerne

14. VVERNHARIVS primus Episcopus &wormaciensis, à Pipino Galliarum Rege constituitur: præfuit temporibus Caroli Magni, cui ab intimis fuit consilijs, & à quo Romam aliquoties in grauibus Ecclesiæ negotijs ad Pont. Max. Leonem tertium missus est. Erat Episcopus sapientia & doctrina insigni præditus. Sub eius gubernatione, conflagrauit anno Domini 791 Imperatoris Palatium &wormaciense, eadem fori parte situm, qua nunc noua Curia &wormaciensis conspicitur. Migrauit Episcopus iste ex hoc mortali sæculo, imperante adhuc Carolo Magno, cum præfuisset laudabiliter uiginti tribus annis, sepelitur in Virginum cœnobio montis S. Andreæ, qui est in suburbio &wormaciensi, cum longo uirtutum suarum elogio. Extant de eo & hi sequentes uersus:

Fœlix qui curæ non est subiectus inani,
Fœlix qui mundi spernere nouit opes:
Fœlix qui summo nouit seruire Tonanti,
Fœlix &wernharius iugiter ergo manet.

Item hi:

Hic curis multis subiectus, rege uolente:
Hic cumulauit opes, hic mage sparsit opes.
Hic studuit regi terreno subdere corpus,
Hic Domino cœli pectora pura dedit.

15. FOLCVVICVS succeßit Bernhario, constitutus ab Imperatore Carolo Magno. Sed quam diu ille

præfuerit? ignoratur. Sepelitur apud Sanctum Andræam prope anteceſſorem ſuum, cum Tetraſtycho omnino barbaro.

16. EHRENBRECHTVS alijs Ehrenbrandus: legitur Vangionibus præfuiſſe anno Chriſti 798, quo donatio Dagoberti Galliarum Regis S. Amando Epiſcopo facta, à Carolo Magno confirmata eſt. Huno antiſtitē aliqui Catalogi &wernhario anteponentes, primum eum Epiſcopum &wormacienſem fuiſſe affirmāt. Aliud de eo inuenitur nihil, niſi omnino rude ac barbarum quoddam Hexaſtychon, quod nolui huc apponere, cum Rhytmi uerius eſſent quàm uerſus.

17. SAMVEL eligitur ex Abbate Lauriſſenſi in &wormacienſis Eccleſiæ antiſtitem anno Chriſtianæ redemptionis 838, imperante Ludouico Pio. Fuit ſacrarum literarum & aliarum etiam honeſtarum diſciplinarum eximie doctus Megiſter. Huius Epiſcopi temporibus, conſtruxit Imp. Ludouicus Pius in ſuburbio &wormacienſi Virginum Deo & æternæ caſtitati dicatarum puellarum ſub Regula D. Benedicti uiuentium cœnobium: quod Monialium Monaſterium uulgo dici ſolet: de eius cœnobij fundatione extant ibi ſaxo inciſi ſequentes uerſiculi.

Clauſtri fundator Ludouicus induperator,
Princeps egregius, cui dat Deus arce poli IVS.

Conſecrauit Epiſcopus Samuel anno Domini 847 decimaquinta Octobrium, Neohuſij templū S. Dionyſij

à Dago-

à Dagoberto Rege fundatum, in honore S. Ciriaci Martyris illic requiescentis. De qua dedicatione extant in eius templi saxo quodam tales uersiculi.

Regalis quondam solij memorabilis Aula
Iam Cyriace noua sum tibi digna domus.
Qua fœlix celebris recubas rectur us habenas
Hîc tranquilla tuis ossibus esto quies.
Te prior anteibat Areopagita patronus,
Nunc ambo ætherea plaudite rupe patres.

Summæ aræ talis inscriptio est superaddita.

Ara stat insignis, insignibus inclyta signis,
Præmia dans dignis condigna, maligna malignis.

In introitu templi sub Paradyso astat Saluator cum tali inscriptione uetustißima.

En mare, terra, poli suberunt mihi subdita soli,
Tempora trina rego trinus & unus ego.
Est noua digna domus, regit hanc sanctus Cyriacus,
Qui regit, is regitur: sed rego solus ego.

Impetrauit idem Episcopus Samuel confirmationem omnium suorum priuilegiorum et præsertim donationis illius splendidæ, quam Wormacienſi Ecclesiæ fecit Dagobertus Rex Galliarum: ab Imperatore Ludouico secundo. Præfuit laudabiliter 18 annis. Decessit ex hac lachrymarum ualle, septima Februarij, Anno Domini 856: Reuehitur Lauriſſam in Cœnobiũ, cuius ille primus fuit Abbas. Sepelitur ibi honorifice cum tali inscriptione:

Hæc loca fundauit Samuel, gratumq; parauit
Ipse gregem Christo, tumulo qui clauditur isto.

Cum uero postea multis labentibus annis mutatio quædam fieret in hoc Monasterio per Sigefridum ab Eppenstein Archiepiscopum Moguntinum, qui ex Benedictina schola Præmonstratensium cœnobium faciebat: transtulit huius Samuelis ossa plumbeæ capsulæ inclusa Episcopus Wormaciensis Eberhardus, in Neuhausense S. Cyriaci cœnobium anno Domini 1174: cum quieuisset Lauriss æ annis 417. Tum positum est ei tale monumentum:

Sum Samuel natus, sed non sum corpore totus,
Nam sum translatus, nobilitate satus.
Antistes dignus, syncera mente benignus
Vangioni populo: nunc requiesco solo.

Sed cum anno Domini 1460 Neuhausense templum funditus euerteretur à comite quodam Gleichensi, qui Diethero Eysemburgio contra Adolphum Anaxoniannum, in Schismate, quod erat in Ecclesia Moguntina acerrimum tunc temporis, adhærebat: & iam reædificari inchoaretur collapsum ac incendio uastatum cœnobium: ibi iterum inuenta est urna in qua ossa Samuelis Episcopi condita iacebant: de qua inuentione anno Domini 1479 facta nati sunt hi uersus:

Cum Sathan Ecclesiam combusit filius istam,
Alma renudantur Samuelis & ossa leuantur.
Hic colitur digne quia mansit inustus in igne.

18. GVNCZO uir sanctißimæ uitæ, eligitur anno Domini 856, præfuit annis sedecim. Obijt anno Christianæ redemptionis 872, decima octaua Nouembrium. Huius Episcopi temporibus coactæ sunt duæ Synodi Wormaciæ ab Imp. Ludouico secundo, unà anno Domini 858: altera anno Domini 868. Acta harum Synodorum extant in Decreto. Paucis diebus ante huius Episcopi mortem tactum est fulmine maius & Cathedrale templum Wormaciense. Extant de hoc antistite tales uersiculi, tumulo ipsius inciſi.

Gunczo sepultus humo concluſit lumina fumo,
Non iacet in dumo, Gunczo sepultus humo.
Gaudia Gunczo capit cœlestia, presul honestus
Viuit, & haud mestus gaudia Gunczo capit.

19. ADELHELMVS & parentum imaginibus & eruditione eximia clarus Episcopus, eligitur anno Domini 872, præfuit undecim saltem mensibus. Euocatur ex hac mortali uitâ anno 873 septima Ianuarij. Sepelitur honorifice in Basilica Cathedrali cum tali Epigraphe.

Nil sub Adelhelmo Wormacia presule damni
Passa fuit, lucro sed fuit aucta magis.
Nil sed Adelhelmus præsentia commoda fecit,
Idcirco cœli commoda summa tenet.

20. DIETLACVS uel Theodolachius succeßit Adelhelmo: præfuit uno & quadraginta annis summa cum uirtute ac laude: fuit Imperatoribus Arnol-

pho & Ludouico tertio charißimus, à quibus multa consequutus est Episcopatui suo. Obijt subito morbo correptus in cœnobio Neuweyler, cum in Alsatiam proficisceretur, prima Septembrium, anni à nato Christo 914. Inde decima eiusdem mensis die Wormaciam reuectus, honorifice ibi humatur cum tali Epitaphio.

Vita Diethlaci contenta est perpetis oci,
Regula non sanis fuit optima Wormacianis.
Hic modo uilescit, dum sub tellure quiescit,
Tempus erit rursum cum surgunt corpora sursum,
Tunc instar florum redolebit in arce polorum,
Accipiet morum quo premia grata suorum.

11. RIGO Wo alijs Rigonno, alijs Richouicus eligitur ab aliqua parte cleri sui anno Domini 914. Ab alia uero dissentiente, postulatur ex Laurissensi potentißimo cœnobio, Abbas Lintherus ad Wormaciensis Cathedræ gubernationem. Sed Rigowo confirmationem obtinuit cum à Pontifice tum ab Imperatore Conrado primo, Præfuit laudabiliter ac utilißime annis triginta sex, sub Imperatoribus Romanis Conrado primo, Henrico Aucupe & Othone magno, Wormaciensis Ecclesiæ liberalißimo benefactore. Obijt tandem decima Octobrium anni à nata salute sempiterna 950. Tumulo eius hi uersus leguntur inciſi.

Ad superos eiues Richgowo pectore diues,
In tumulo, lapidis mole grauante, iacet.

Qui

Qui pastoris opus uenerandum &wormaciani
Exegit, populis ergo colendus erit.

22. ANNO, Hessus patria: uir sanctæ & innocentis uitæ, euocatur ab Othone Magno, primũ è S. Maximini Treuerensi cœnobio ad gubernationem Abbatiæ nouæ Pergensis, quam unà cum coniuge sua Domina Editha Eduardi Angliæ Regis filia nuper fundarat, & magnifice construxerat extra Muros Magdenburgensis urbis prope Albim fluuium. Vbi cum decem annis summa uirtute ac uitæ sanctimonia uixisset: præfecit eum Imperator Otho Vangionum Episcopatui, anno Domini 950. Ibi laudabiliter ac utilissime præfuit uiginti quatuor annis, Imperatori Othoni summe charus. Obijt 24 Decembrium anni Christianorum 974. Sepelitur honorifice cum tali Elogio:

ANNO uir iustus, Primo dilectus Othoni:
Ergo uirum multa concumulauit ope.
ANNO magis Regi summi sed amatus Olympi,
Quocirca cœli regna beata colit.

Sub huius Episcopi gubernatione magna uirtute uicit ac prostrauit Imperator Otho prope Augustam Vindelicorum, ad Lycum amnem maximas Hunnorum copias: in qua pugna, cum occubuisset pro patria, pro aris & focis, honestissimus princeps, Conradus Francorum dux, Sapiens ac &wormaciensis cognominatus, delatũ est corpus eius mortuũ cũ honorifica pompa funebri &wormaciã: id Episcopus Anno multis lachrymis

sepeliuit

ſepeliuit in choro ſummæ Baſilicæ &wormacienſis ante S. Crucis aram: annum Chriſti circiter 958.

23. HILDEBOLDVS germanus frater Epiſcopi Annonis, eximia uirtute, pietate ac eruditione præditus, conſtituitur Vangionũ Epiſcopus ab Othone II. quinta Ianuarij Anno 975. Fuit Othonis ſecundi ſupremus aulæ Cancellarius, omnibus Imperij principibus uehementer charus. Deceßit ex hac momentanea uita, quarta Auguſti, anno Domini 993 cum præfuiſſet laudabiliter & optime annis octodecim. Sepelitur in collegio Neuhauſenſi ante aram S. Petri, cui multa munera impetrauit ab Othonibus ſecundo & tertio. Tumulo eius hi uerſus ſuperadditi ſunt:

Hildeboldus amat fratri ſuccedere charo
Sicut & officio, relligione pari.
Haſſo prior natus fuerat: fuit alter & Haſſo.
Cultores ueri firmiter ambo Dei.

24. FRANCO, & ipſe patria natione Heſſus, maiorum imaginibus clarus, uitæ uero ſanctimonia uirtutisq; uera nobilitate longe clariſſimus: ſucceßit Hildeboldo Epiſcopo, fuit Othonis tertij intimus conſiliarius, qui & aulam Imperatoris ſemper ferè præſertim in Italiam ſequebatur: cumq; præſentia & conſilio ſuo diu profuiſſet Othoni Imperatori, donatus eſt ab eo liberaliſſime. Inter cætera uero dedit Epiſcopatui &wormacienſi Imperator Otho Abbatiam Lauriſſenſem opulentiſſimam. Cumq; iſte ſe non diu uictu-

rum

rum Othoni Imperatori aliquando diceret, quæsiuit Imperator, cui digne deberet aut posset committere gubernaculum &wormacienſis Ecclesiæ: Ibi cũ Episcopus Franco pro Germano fratre suo Burcardo, sancto uiro intercederet: pollicitus est ei Imperator, se certo Episcopatum nulli alteri nisi huic Burcardo conferre uelle. Paucis diebus post tale colloquium, emigrauit ex hoc sæculo Episcopus Franco, quarta Septembrium anni à nato Christo 996, cum præfuisset non integris tribus annis. Sepelitur Romæ in præsentia & cum summo luctu Cæsaris Othonis tertij: Tumulo eius tale inscribitur Epitaphion.

Romam Franco pater cum Rege meauit Othone
Tertio, ubi soluit iura suprema neci.
Germanus sancti Burcardi qui fuit: Ambo
Pontifices plebis Vangionensis erant.

25. ERPHO designatur Episcopus Vangionum ab ipso Imperatore Othone tertio, Romæ: etsi pollicitus esset Episcopo Franconi, fratrem eius Burcardum se ad talis dignitatis fastigium euecturum. Sed oportuit Imperatorem petenti Pontifici gratificari, qui pro Erphone isto interceſserat: electus autem Erpho, tantum triduum adhuc uixit, & subitanea morte decedens, prope Franconem Romæ sepelitur cum tali inscriptione.

Præsulis Erpho capit fastigia summa probati,
Officium moriens liquit & illud onus.

Tres

Tres uix ipse dies gauisus munere tali,
Cœlestis patriæ munera læta subit.

16. RAZO uir nobilis & genere & uirtute, qui etiam aulam Imperatoris sequutus erat in Italiam, & de Othone tertio optime erat meritus, subrogatur Erphoni Episcopo, iterum iam Imperatore non cogitante, quid morienti Franconi esset pollicitus. Parat se igitur Razo, & è Roma Wormaciam proficiscitur ad gubernandam Ecclesiam sibi ab Imperatore ac Pontifice commendatam. Sed nec illum fata diu Episcopali dignitate frui uoluerunt: Cum enim in itinere & profectione esset uersus Wormaciam, & Churam uenisset, subito ibi morbo correptus decimo quarto die post primã electionis confirmationẽ Churæ in urbe Episcopali apud Rhætos moritur, ubi terræ parenti, honorifica pompa funebri est redditus. Tumulo eius tale Epitaphion inciſum, inuenitur.

Pontificis baculum portauit Wormaciani
Bis septem uiuens non nisi Razo dies.
Razo sequens ternũ Romam properantem Ottonem:
Qui tunc dives erat, uix modo pauper eget.

17. S. BVRCARDVS uel ut gratianus in Decreto suo appellat Brocardus: natione Hessus, Franconis supra celebrati Episcopi germanus frater: Monachus primum in Labacensi cœnobio: unde à Vuilligiso Moguntino Archiepiscopo euocatus, præpositus tandem

ab eo

ab eo noui Monasterij S. Victoris designatus est: cui cum aliquandiu sapientissime ac utilissime præfuisset, ita id ædificijs ac structuris egregijs illustrauit, ut omnibus esset admirationi, qui tenuis fortunæ id cœnobium fuisse antea sciuerant. Cum uero hæc illius prudentia etiam ad Imperatoris Othonis tertij notitiam peruenisset: & rediret iam ei in mentem, quid Franconi Episcopo in Italia mortuo pollicitus esset, accersiuit ad se in Saxoniæ arcem quandam Kirchbergum, cum Vuilligisum Archiepiscopum tum Burcardum præpositum, quem statim præsente Vuilligiso Episcopum Vangionum urbis & Ecclesiæ constituit. Consecratus igitur in reditu Hailgenstadi ab ipso Archiepiscopo Vuilligiso octaua Martij, anno Dominicæ incarnationis noningentesimo nonagesimo septimo: mox præesse sedi Vangionensium cæpit, cui summa cum laude ac utilissime præfuit annis uiginti nouem. Othonem tertium, Imperatorem in Italia mortuum à Vuilligiso Archiepiscopo missus, ex Italia in Germaniam transportauit, & in Vindelicorum Augusta honorifice sepeliri curauit. Vuormaciensem urbem pene collapsam ac ruinosos eius ab omni parte muros denuo instaurauit ac egregie muniuit fossis ac turribus ac propugnaculis. Ex insigni palatio Francorum ducis, Conradi sapientis ac Vuormaciensis, fecit Henrici secundi, Claudi, Imperatoris subsidijs magnificum Canonicorũ collegium S. Pauli. Inchoauit etiam S. Andreæ collegium,

ad quod

ad quod contulit redditus Monialium cœnobij, in eius dem nominis monte siti, ac tum penitus collapsi. Fuit summus benefactor & illustrator collegij etiam Neuhausensis. Episcopus longe doctissimus cum in sacrarum scripturarum mysterijs explicandis, tum in legum pericia, qui & ipse libros conscripsit de prudentia Iuris, qui hodie adhuc extant in Wormacienſi Bybliotheca, & à doctis commendantur. Fuit Pædagogus Imperatoris Conradi secundi, cui per omnem uitam fuit charissimus. Decessit plenus dierum, uicesima Augusti, anno Domini 1015: sepelitur in summæ Basilicæ Cryptæ quæ est sub chori Laurentiani ara summa. Extant de eo tales Versus:

Robora Burckhartus ex nomine denotat artis:
Et quod nomen habet, maxima facta probant.
Vangio nam per eum fossas & mœnia turres,
Aedificat rursus depopulata prius.

28. HAZEGO uel Azecho comes Anaxouianus eligitur & consecratur in Episcopum Wormacienſem quinta Decembrium anni à nato Christo 1015. Donatus est liberalissime ab Imp. Conrado secundo & eius coniuge Domina Gisela. Præfuit annis nouendecim summa cum laude ac utilissime. Fuit religiosissimus princeps. Obijt anno Domini 1044 septima Ianuarij. Sepelitur honorifice cum tali Epithaphio:

Sobrius Azecho sua pocula miscuit unda,
Nam fuit à Nassaw nobilitate satus.

Vangio-

Vangionensis apex titulum cum nomine prodit,
Illustris mundo, talis in æde poli.

29. ADELGERVS nobilis genere, sed nobilior uirtute: Imperatoris Henrici tertij (cuius diu fuerat cum Cancellarius tum supremus Consiliarius) precibus obtinuit Episcopatum &wormaciensem. Præfuit quinq; saltem mensibus, et qui in Martio electus erat, in Augusto ex hac uita emigrauit anno Domini 1044, quo anno, sub hoc Episcopo cessauit in clero &wormaciensi uita monastica, prorsus iam in sæcularem conuersa. De eo tales extant uersiculi.

Nobilis esse uolens uestigia sancta sequatur
Semper Adelgeri, nomine talis enim est.
Nobilitatis habens nomen, re nobilitatem
Maiorem exhibuit. Ergo beatus erit.

30 ARNOLDVS successit antistiti Adelgero, anno Christi 1044. Præfuit laudabiliter annis uiginti, mensibus octo. Decessit ex hac caduca & momentanea uita anno Domini 1065 prima Iunij. Sub eius gubernatione fuit unà cum Imperatore Henrico tertio, pluriimisq; Germaniæ Episcopis ac Principibus &wormaciæ præsens Pontifex Maximus, Leo Nonus, Alsata: comes à Dagspurg, celebrans natalem Domini. De quo conuentu nati sunt, & ad nostram cognitionem conseruati hi uersiculi:

Præsul ut Arnoldus partes pastoris agebat,
Nonus Papa Leo te Vangio sanctificabat.

Natalem Domini cultu celebrans ſacriori:
Ergo Deus tribuit ſat tempore te meliori.

31. ADELBERTVS uel Adelherus alijs Adelbero comes ab Habſpurg: germanus frater Rodolphi Sueuorum ducis, Rheinfeldiæ & Habſpurgi comitis, eius uidelicet, qui contra Imperatorem Henricum quartum, deſignatus fuit ab aliquibus Imperij ſtatibus Imperator. Is Adelbertus ex Monacho Sangallenſi, & wormacienſis Epiſcopus factus, & electus eſt uiceſima tertia Octobrium. Anno Domini 1065: præfuit quinq; annis utiliſſime & ſumma cum uirtute tum omnium laude. Corpore monſtrũ uerius quàm homo, teſte Lamberto Schaffnaburgenſi. Obijt anno domini 1070 ſexta Auguſti: ſuffocatus ſtupenda corporis pinguedine, tanta enim craſſitudine fuit, ut aſpicientibus horrorem magis incuteret, quàm admirationem injceret. Sepelitur honorifice in ſummo templo &wormacienſi, cum tali Epitaphio:

Firmus Adelbero, ſyncero pectore ciues
Vangiones docuit corde tenere fidem.
Sic ſe curauit, populi ſic pectora pauit,
Vt ſuperi moriens iret ad aſtra poli.

32. ADELBERTVS in ueteri quodam Peristromate, quod adhuc pendet in ſumma Baſilica &wormacienſi, Adelbrandus dictus: Saxoniæ dux. Conſtituitur Vangionum Epiſcopus ab Imperatore Henrico quarto, contra quem cum ſex annis poſt adeptam dignitatem

tem Episcopalem, incitatus à Rom. Pontifice, ipse quoque Imperatorem Rodolphum elegisset, deturbatus est & urbe Vangionum eiectus ab Henrico quarto: sed non trucidatus in bello, ut aliqui uolunt. Extat enim in collegio Neuhausensi diploma donationis cuiusdam, ipsius manibus scriptum, anno Domini Millesimo centesimo sexto: in cuius initio testatur se pagum Botesheymensem offerre S. Cyriaco Neuhausensi, tricesimo septimo suæ Episcopalis gubernationis anno. Est autem pristinæ dignitati post longum exilium restitutus ab Henrico quinto. Obijt anno Domini Millesimo centesimo octauo, sexta Iulij, cum à prima electione 38 annis nomen ac titulum Episcopi Vangionensis gessisset. Sepelitur in Nouenhusensis collegij templo ac media parte chori. Tumulo eius inscripti sunt tales uersus.

Præsul Adelbertus Christi memor, & bene certus,
Messis quæsitæ, post huius semina uitæ:
Prædia cum pace dedit ista tibi Cyriace,

Botesheymium.
Sarlesheymium.
&warumbdesheymium.

Inclyta nobilitas non infima fama parentum,
Nobile Adelbrechtum nomen habere facit.
Viuat in ætherea qui regni perpetis aula,
Ad faciem uideat qua sine fine Deum.

33. DIETMARVS *succeßit Adelberto, præfuit duobus tantum annis. Obijt penultima Octobrium. anni à nato Christo* 1109. *Tumulo eius inciſum eſt tale Epigramma:*

Præſul Dietmarus præclaro dogmate charus,
Cleri ſuauis odor, non nego, plebis honor.
In mundo gnarus, uiuo ſuper æthera clarus,
Iam requieſco ſolo uel rutilante polo.

34. EBBO *Monachus primum Lauriſſenſis, poſtea Canonicus Goslarienſis: conſtituitur Vangionum antiſtes anno Domini* 1110 *ab Imperatore Henrico V. Sequente anno dedicari fecit à Brunone Treuerenſi Archiepiſcopo in comicijs &wormaciæ ab Henrico V. habitis, ſummum Templum &wormacienſe, in honore S. Trinitatis, D. Virginis & Petri Apoſtolorũ principis: præſentibus Imperatore, ac Epiſcopis & principibus plurimis. Præfuit Ebbo annis quinq; ſumma cum laude, fuit enim ſapientia & doctrina & uirtute non uulgari præditus. Obijt anno Domini* 1115. *De eo tale extat Epigramma:*

Lorchonum conſors prius Ebbo, poſt tamen exors,
Goslarias ſedes acceptas liquit & ædes:
VVormaciam uenit, populi quo ſcandala demit,
Præſulis & partes ſanctas q; exercuit artes.
Vnde beatorum ceſſerunt regna polorum
Ebboni patri: dilecto credite fratri.

35. BVGGO *nobilis ab Achorn, Bambergæ à teneris*

teneris educatus ac liberaliter institutus, ab Imperatore Henrico V. præpositus Aschaffenburgensis constituitur: ubi cum summa laude præfuisset, & iam potestas eligendi & constituendi Episcopos Imperatoribus subtracta, ac cuiusq; Episcopatus Canonicorum senatui à Rom. Pont, concessa esset: cæperunt Canonici &wormacienses amisso Episcopo Ebbone de eligendo alio Episcopo cogitare. Fuit autem prima ista eorum electio discors ac Schismatica: aliqui enim Buggonem istum, laude eius accensi, præficiendum Episcopali Vangionum Ecclesiæ censebant, alij paucíores tamen Arnoldo cuidam &wormacienſi Canonico datis suffragijs patrocinabantur. Disceptatum est super hac electione cum summo &wormacienſis Episcopatus damno annis quinq;, lite interim semper pendente in Romana Curia, at ita tandem composita, ut cederet Arnoldus, Buggo uero Episcopatui præficeretur, à Romano Pontifice confirmatus: consecratur ergo Buggo ab Adelberto Archiepiscopo Moguntino: insigni põpa. Sed nouis interim inter Imperatorem & Romanum Pontificem subortis certaminibus, factum est, ut Henricus V. (qui antea Buggonem summe amarat) cõfirmationi isti pontificiæ medium ostendens digitum, Arnoldum contra Buggonem foueret ac in &wormacienſem Cathedram ac sedem introduceret: qua potitus est sedecim annis, exulante interim Buggone apud Archiepiscopum Moguntinum. Tandem anno Domini

1321 resignauit Arnoldus, gubernationis forte pertæsus, totam gubernationem libere Buggoni è Moguntia &wormaciam reuocato, quærens senectuti suæ uitam tranquilliorem. De hoc Arnoldo extant tales uersiculi.

Arnoldus baculum nondum pastoris adeptus,
Buggoni cessit dans sua iura pio.
Pacis amatores cœlesti pace fruantur,
Ambobus clemens sit genitorq; Deus.

Buggo summa cum laude Vangionensi Ecclesiæ præfuit, post Arnoldi resignationem annis uiginti, in quibus diligenti Oeconomiæ administratione plurimum profuit non urbi & Ecclesiæ tantum &wormacienſi, sed alijs etiam locis, multa enim ruinosa Monasteria fœliciſsime refecit, ex quibus sunt Lebenfeldum & Mulnhagium. Aedificauit autem de nouo Schonouien se Cistercienſis instituti cœnobium, in quo sibi ipsi sepulchrum adornari curauit. Sub eius gubernatione fundatum est Henouiense cœnobium ab Emichone comite de Leyningen: item utrunq; Franckentalium ab equite quodam aurato Eckenbrechto Episcopi Buggonis Camerario, uetustiſsimæ familiæ &wormacienſis ciue opulentiſsimo. Passa est sub eo & propter eum antequam ad plenam Episcopatus possessionem perueniret, grauiſsimam obsidionem urbs Vangionum anno Domini Milleſimo centeſimo uiceſimo quinto ab Henrico V. qui misere sæuijt in euocatos ad se ciues.

Deceſsit

Decessit Episcopus iste Buggo ex hac mortali uita, quinta Decembrium anni à nato humani generis saluatore Millesimo centesimo quinquagesimo primo, cum iam à prima electione triginta quinq; anni effluxissent. Euehitur ex Wormacia in Schonouiense Monasterium à se fundatum ac liberalissime dotatum, ibi honorifice cum tali inscriptione, terræ omnium parenti & exceptrici commendatus est.

Buggo pater fastum quemuis uitauit & astum,
Buggo pie lator legumq; & pacis amator:
Buggo sacrans aras, mentes correxit auaras,
Buggo reformauit Monachos & corda rigauit.
Buggo fugans enses, ditauit Schonogienses,
Buggo Dei cultor, inimicorum fuit ultor.
Buggo ferens palmam, sedem conscendit ad almam.
Buggo Deum laudans, lætatur Tartara fraudans.
Buggo Deum cœli, placato corde fideli.
Buggo pios ultus, pia murmura suscipe cultus.

36. CONRADVS nobilis à Steynach, eligitur mortuo Buggone concordibus totius Capituli Wormaciensis suffragijs, anno Dominicæ incarnationis Millesimo centesimo quinquagesimo primo. Præfuit prudenter ac utiliter annis duodecim. Obijt decima nona Martij, anno Domini Millesimo centesimo sexagesimo tertio. Sepelitur honorifice in summa & Cathedrali Basilica Wormaciensi, cum tali Elogio.

Conradus ſpecimen præclarum nobilitatis,
Commiſſas domini quàm bene pauit oues.
Nunquid oues Præſul pauit ratione carentes?
Non: ſed Vangiones uoce docente uiros.

37. CONRADVS ſecundus, ſucceßit Conrado Steynachiano, anno Domini 1163 ab unanimiter conſentiente toto clero, Vangionum Eccleſijs præfectus. Præfuit in magnis temporum difficultatibus, cum prudenter tum laudabiliter, annis uiginti quatuor, fuit Epiſcopus Martius ac bellicoſus: ſtrenue pugnauit pro Friderico Barbaroſſa, contra Gwelphonem Henricum. Miſſus eſt ab eodem Imperatore in magnis regni negocijs ad Imperatorem Conſtantinopolitanum: à quo munificentißime uarijs Eccleſiarum ornamentis donatus eſt, quæ ſecum &wormaciam attulit. Deceßit ex hoc mortali ſæculo, decima octaua Ianuarij, anno Domini 1187, ſepelitur in ſummæ Baſilicæ choro Laurentiano. Tribus annis antequam ex hac uita emigraret iſte Epiſcopus, fuit &wormaciæ quemadmodum antea etiam ſæpe, Imperator Fridericus Barbaroſſa: is urbis ac populi Vangionum amantißimus, inſigne ei dedit priuilegium, quod cupreæ tabulæ inſcriptum meridionalibus Summæ Eccleſiæ portis appenſum eſt. In ambitu eius priuilegij leguntur hi ſequentes uerſiculi:

A cenſu capitum ſis libera munere noſtro,
Te libertate digna fruaris ea.

Sit

Sit tibi &wormacia laus hinc & fructus honoris,
Quod pia, quod prudens, quod bene fida manes.

Huius Episcopi temporibus multa abstraxit per uim Ecclesiæ &wormacienſi, Palatinus quidam Rheni Conradus: quæ tamen Episcopus magnanimiter recuperauit. De qua re nati sunt postea tales uersiculi in Conradum ita uiolenter grassantem in bona Ecclesiastica.

Dux Pallatina Conradus stirpe suborta
Abstulit à sacris non bona pauca locis.
Quæ manus inde pij Conradi larga redemit
Præsulis, ac sacris ædibus illa dedit.
Aufert Conradus, Conradus restituit res:
Hic petit ergo stigem, sed petit ille polum.

38. HENRICVS primus, ex Vltraiectino Episcopatu natus: subrogatur Conrado secundo: præfuit bene ac prudenter annis nouem. Consequitur priuilegia ab Imp. Henrico VI. Obijt uicesima tertia Decembriũ anni à nato Christo 1196. Sepelitur in medio choro summæ Basilicæ. Extant de eo tales uersiculi:

Quis locus Henricum nobis præfecit amicum,
Traiectum mirum tradit honore uirum.
Pontificis partes an talis obibit & artes,
Iugiter ille boues & bene pascet oues.

39. LEOPOLDVS eligitur à toto Canonicorum &wormacienſium senatu, anno Domini 1197 ex præpositio Neohusiano in Episcopum: Erat insigni cum corporis tum animi robore præditus. Præfuit uiginti annis ua-

nis uaria fortuna. Deceßit ex hac mortali uita decima ſeptima februarij, anno Domini 1117. Tertio gubernationis ſuæ anno, mortuo Conrado Archiepiſcopo Moguntino, à maiori parte Capituli, & à Philippo Imp. ad Archiepiſcopatus Moguntini gubernationem uocatur. A minori uero numero ſenatus Canonicorum, & à Romano Pontifice, conſtituitur & confirmatur, Sigefridus Baro ab Eppenſtein, Moguntinus Archiepiſcopus. Ibi Leopoldus coacto exercitu Archiepiſcopatum miſere & incendijs & rapinis uaſtat, nec monaſterijs nec templis parcens, tam diu, donec Sigefridus è Moguntia cederet: qui in Italiam profectus, à Romano Pontifice clementer exceptus eſt. Leopoldus potitus eſt quieta gubernatione utriuſq; Epiſcopatus, quamdiu Rex Philippus eſſet ſuperſtes. Hoc uero per Othonem Palatinum de &wittelshach trucidato, & Othone quarto iam dominium obtinente: mutata eſt fortuna Leopoldi, deijcitur ab utroq; Epiſcopatu, ut qui extremo Pontificio Anatheniati diu iam obnoxius fuiſſet: redit ex Italia Moguntiam Sigefridus. Leopoldus nondum abijciens animum, collecta manu Italiam ingreditur, & bellum Romano Pontifici infert. Sed cum deeſſent tandem nerui rerum gerendarum, Pontifici ſupplex factus, non ſolum abſolutionem, ſed & Epiſcopatus &wormacienſis gubernaculum denuo impetrauit. Sic anno Domini 1209 &wormaciam reuerſus, octo adhuc annis fœliciter ac laudabiliter præfuit. Extant de eo tales adhuc uerſiculi:

Bel-

Bellicus antistes pugnace cohorte Lupoldus,
Imbelli mouit bella cruenta Papæ:
Auxilio fretus Regis quandoq; Philippi:
Qui lupus ante fuit, deniq; factus ouis.

40. HENRICVS secundus, comes Sarburgensis: eligitur unanimi totius cleri consensu ex Nouenhusiano præposito in antistitem Wormaciensem anno Domini 1217. Præfuit septendecim annis summa cum laude: seditiosam Wormaciam compescuit, & diruta Curia senatoria, consensu Imp. Friderici secundi, totam suæ iurisdictioni subiecit. Legit senatum ex quindecim tantũ præcipuæ nobilitatis ciuibus, exauthoratis quadraginta personis, quæ ad hæc usq; tempora urbi præfuerant. Fundauit monialium cœnobium instituti Cisterciensis Kirßgarten, non procul ab urbe. Obijt duodecima Septembrium, anni 1234. Sepelitur honorifice in medio choro maioris Basilicæ Wormaciensis, cum tali Epitaphio:

Vangionum Henricus generosa à stirpe subortus,
Hac comes à Sarbruck dormio præsul humo.
Ac tamen euerti (quia conspiratio facta est)
Funditus ipse meis ciuibus ante domum.

41. LANDOLPHVS nobilis ab Hobeneck, prope Keyserslutern natus: eligitur unanimibus totius Canonicorum senatus suffragijs, anno Domini 1234, ex Decano summi collegij in Episcopũ: confirmatur à Sigefrido Archiepiscopo Moguntino: inuestitur regalib.

Haga-

Haganoæ, ab Henrico rege Imp. Friderici secundi filio. Præfuit tredecim annis. Obijt in die S. Medardi, anno Domini 1247. Sepelitur in choro Monialium cœnobij, quod uulgo Nonnarum Monasterium uocant: & quod ipse reformauit, ac electis Benedictinæ professionis non admodum castis monialibus, Bernhardini instituti sororibus habitandum dedit. Sub hoc Episcopo, & Wormacia grauissima obsidione cincta est, anno Domini 1235 ab Henrico rege, Imperatoris Friderici secundi seditioso filio, sed liberata ab Imperatore Friderico, ex Italia redeunte: qui & Wormaciam uenicns Henricum filium ueniam petentem in gratiam non recepit, sed captum Heydelbergam abduci ac iterum inde ad Alzheymiũ deduci curauit: ubi cum per annũ fere detentus fuisset, tandem in regnum Siciliæ abductus, ac ibi in arce quadam perpetuæ custodiæ mancipatus est: Episcopus Landolphus (quod Henrico Regi in proprium parentem seditioso adhæsisset) ex urbe & Episcopatu ab Imperatore Friderico deiectus est, sed interuenientibus multorum principum, & ipsius etiam Reipub. Wormaciensis precibus post pauculos menses restitutus. Imperator eodem anno, ducta Domina Elysabetha Angliæ Regis sorore, & Wormaciæ nuptias celebrauit. Sub eodem Episcopo perijt incendio media fere pars urbis & Wormaciensis cum hominibus trecentis in ipso die Palmarum anni à nato Christo 1241: quotempore Sigefridus Moguntinus Archiepiscopus sum-

mus

mus erat hostis, & persequutor cum urbis tum Episcopi Wormaciensis.

42. CONRADVS tertius, nobilis à Turckheym Decanus summi Collegij Moguntini, eligitur unanimi consensu totius cleri in Vuormaciensem Episcopum, fuit uir sapientia & eloquentia insigni præditus, sed summus hostis Episcopi Landolphi, quod is contra Romanum Pontificem & urbi Vuormaciensi & Imperatori Friderico secundo, coniunctior esset: is tricesimo à prima electione die, descendit per Rhenum Nouesium, ubi sciebat esse Legatũ quendam Pontificium, à quo confirmatus & consecratus est. Cum uero inde reuerteretur, incidit apud Laureacum in grauissimum morbum, ac ibi sexta Octobrium, quæ erat tricesima prima dies post adeptam à Legato Pontificio consecrationem, in Domino obdormiuit: anno quo antecessor Landolphus etiam ex hac uita emigrarat. Reuehitur Moguntiam, ac ibi honorifice sepelitur in summa Basilica ante aram D. Petri.

43. RYCHARDVS nobilis heros à Thaun, uir eximie doctus ac prudentissimus, eligitur ab una summi collegij Canonicorum parte in successorem Episcopi Conradi: confirmatur mox à Legato quodam Pontificio, anno Domini 1247. Contra hunc eligitur ab alia ac maiori parte Canonicorum, præpositus Nouenhusianus, Eberhardus Hirsutus comes de Bayenburg uel Bomenburg Hessus, is ab Archiepiscopo Moguntino Sige-

no Sigefrido confirmatur. Eberhardus iste, Imp. Friderico secundo bene propicius, hoc solo nomine, cæpit inuisus fieri, & Romano Pontifici & Gulielmo Hollandiæ duci in Imperatorem iam contra Conradum Friderici filium electo. Richardus uero Gulielmo Regi fauens, ab eodem etiam fortiter adiutus ac defensus est. Hoc Schismate cum misere affligeretur &wormacia, & electorum neuter cedere uellet: mandat Gulielmus Imperator serio &wormaciensi Reipublicæ, ut Richardum intromittat, quod etsi primum negaret se illa admissuram, tamen Richardus in Vigilia Cathedræ Petri, anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo tertio, &wormaciam insigni equitatu ingressus, postero die totum senatum ac maiorem ciuium partem ad se inuitans, humaniter excepit conuiuio lautissimo, concilians sibi tali humanitate animos ciuium, quos nullus antea Episcopus sic inuitarat: facta postea conuentione cum Eberhardo præposito (cui cedenti annuam pensionem numerabat) quieta sic gubernatione potitus est. Recuperauit ad Episcopatum &wormaciensem, &wimpinam præclarum oppidum ad Necharum situ. Obijt septima Nouembrium anni à nato Christo Millesimi ducentesimi quinquagesimi septimi, cum iam à prima electione decennium effluxisset, sepelitur ante aram Sanctæ Crucis in summa Basilica &wormaciensi.

44. EBERHARDVS Hirsutus comes de Bayen

Bayenburg uel Bomenburg: præpositus Nouenhusianus antea per discordiam etsi à maiori Canonicorum parte electus, sed tamen à Pontifice ac Cæsare non confirmatus: iam mortuo Richardo anno Dominicæ incarnationis Millesimo ducentesimo quinquagesimo septimo: iterum ad clauum Episcopatus Vuormacienſis repetîtur, ac ne nunc quidem sine discordia, nam aliquibus Burcardus quidam summæ Ecclesiæ Vuormacienſis Decanus, Episcopatui præficiendus censebatur, qui considerans quàm noxia essent rebus publicis ac Ecclesijs Schismata, exigua pensione annua contentus, facile pacari potuit. Sic Eberhardus uiginti annis laudabiliter præfuit. Sub eius gubernatione dimidia penè urbis pars, bis calamitosissimo incendio conflagrauit, incomparabili urbis iactura. Primum anno Domini Millesimo ducentesimo quinquagesimo nono, in die Apostolorum Philippi & Iacobi. Deinde anno salutis Millesimo ducentesimo sexagesimo nono. Obijt uicesima secunda Februarij, Anno Domini 1277 apud montem Pessulanum, cum iter faceret missus à Rudolpho Imperatore in Gallias: reuehitur inde in suam dioecesin, & sepelitur in Otternburgo Cisterciensis instituti Monasterio.

45. FRIDERICVS Hirsutus comes de Bayenburg Hessus: germanus frater Eberhardi Episcopi, eligitur post mortem fratris unanimi consensu totius Canonicorũ senatus anno 1277: præfuit 5 annis 4 mensib.

Obijt

Obijt anno Domini 1183 uicesima Maij, sepelitur in Ecclesia Cathedrali. Huius Episcopi temporibus fundatum est cœnobium Hochẽheymense, monialium Cœli Coronæ à Tirolpho Smiczelio nobili ac strenuo uiro, & equite aurato.

46. SIMON nobilis heros de Schoneck, ita insigni uirtute ac uitæ morumq; honestate præditus, ut uulgo Religiosorum omnium speculum appellaretur. Eligitur anno Domini 1183, præfuit laudabiliter ac utiliter annis octo, mensibus tribus, diebus quatuordecim. Obijt uicesima prima Nouembrium anni à nato Christo 1191. Sepelitur in Monasterio Franckental. Sub eo misere uastant ciues Vuormacienses Nouenhusium.

47. EBERHARDVS secundus, nobilis heros à Stralenberg: præpositus Nouenhusianus, eligitur ab aliquibus summi collegij Canonicis in Episcopum, ab alijs uero postulatur Gerhardus Hirsutus comes à Bayenburg, Germanus frater superiorum duorũ Episcoporum Eberhardi ac Friderici, præpositus ad Sanctum Paulum. Ex hoc etsi non diu durante schismate magnum etiam uulnus accepisset Ecclesia Vuormaciensis: nisi res composita fuisset per Archiepiscopum Moguntinum Gerardum ab Eppenstein, qui interposita sua authoritate, Gerhardo exiguam pensionem numerari debere, Eberhardum uero gubernationi præficiendum censuit, quem & confirmauit. Post hanc conciliationem uixit Gerardus duobus tantũ mensibus. Eber-

hardus

hardus uero septimanis una & uiginti, diebus tribus. Obijt in die S. Othmari, anno Domini 1193. Sepelitur honorificè in Schonouiensi Cisterciensis instituti cœnobio.

43. EMYCHO comes Hirsutus à Bayenburg, summi Canonicorum collegij præpositus, eligitur concordibus suffragijs totius Capituli in uigilia S. Thomæ Apostoli, anno Domini 1193. Confirmatur à Gerardo Archiepiscopo Moguntino, in festo trium Regum sequentis anni, consecratur in uigilia resurrectionis dominicæ, uir admodum pius in pauperes, & benignissimus Eleemosynarum distributor: honestate uitæ & morum innocentia clarissimus. Liberalissime donarat adhuc præpositus, Collegium D. Virginis, cuius merito secundus fundator dici & celebrari debet. Præfuit optime annis quatuor, septimanis 13, diebus tribus. Obijt in uigilia S. Iacobi Apostoli, anno dominicæ incarnationis 1299. Sepelitur monastica ueste indutus cum publico omnium ciuium luctu, in Cathedralis Basilicæ choro ante pulpitum. Sub eo iam iterum anno Domini 1198 miserrime conflagrarat, dimidia ferè urbis pars in die Sanctorum Apostolorum Philippi & Iacobi.

49. EBERVVINVS nobilis à Kronenberg, eligitur unanimi totius summi collegij consensu, in Episcopum Vuormaciensem, anno Domini 1299 confirmatur in die S. Thomæ. Præfuit tribus annis & septendecim septimanis. Obijt uicesima Maij, anno salutis 1303: sepe

litur in summo Wormaciensi templo ante pulpitum ad sinistram: post eum propter maxime discordes Canonicorum sententias ac perpetuas de dominio altercationes uacauit sedes Vangionensis quinq; pene annis. Huius Episcopi Eberwini temporibus cõstruxit Wormaciæ, non procul à Nouenhusiano Collegio, ciuis quidam opulentus Iacobus Engelman cum consensu coniugis suæ Liebæ uel Charitatis totius q; familiæ ex domo quadam sua, quam Columbarũ domum uulgus appellabat, monialium cœnobiũ, Liebenouium, quasi Liebæ uel Charitatis agrum cognominatum: cum uero Engelmannus morte præuentus absoluere ipse non posset, datis Episcopo Eberwino pecunijs eum ad id strenue absoluendum, ac pijs tandem sororibus commendandum, summe obtestatus et exhortatus, ex hac mortali uita concessit. Episcopus Monasteriũ inchoatũ feliciter absoluit, multa de suis etiam liberalissime adijciẽs.

50. EMERICVS nobilis heros à Schönegk, germanus frater Simonis Episcopi supra celebrati: constituitur Episcopus Wormaciensis post longas summi collegij Canonicorum altercationes, quorum quisq; libenter Episcopatui sese præfici passus esset, ab ipso Romano Pontifice. Ingressus est Wormaciam egregio equitatu & honorifice, cum à clero tum senatu populoq; exceptus in die S. Gregorij: Anno Domini 1308. Præfuit laudabiliter ac prudentissime annis decem, & clero & omnibus ciuibus suis longe charissimus.

Obijt

Obijt decima Februarij, Anno Domini 1318. Sepelitur in anteriore choro ſummæ Baſilicæ ante aram maximam, ſub marmore, cui hi uerſus Orichalcinis literis affabre inſerti ſunt.

Præſul Emericus, uigil in prece: pacis amicus,
Subiectis gratus: ſtuduit tamen eſſe beatus.
Mens ſibi deuota fuit & ſacra lectio nota,
Dat uitæ mores ſenij uenerabilis ætas.

51. HENRICVS tertius huius nominis: nobilis heros à Thaun, præpoſitus ſummi collegij &wormacienſis, eligitur in Epiſcopum ultima Aprilis unanimi conſenſu totius cleri. Confirmatur in die S. Bonifacij ab Archiepiſcopo Moguntino. Gubernauit Eccleſiam &wormacienſem per unum tantum annum et dies tres. Obijt octaua Iunij in ipſa die S. Bonifacij, anni Chriſtianorum Milleſimi trecenteſimi decimi noni: ſepelitur in ſummæ Baſilicæ choro D. Martino dicato, ante eiuſdem nominis aram.

52. CHVNO nobilis heros à Schoneck, Simonis ac Emerici Epiſcoporum ex fratre nepos, Decanus ſummi collegij, uir eximie doctus: eligitur in &wormacienſis Eccleſiæ præſulem ac antiſtitem poſtridie Diui Laurentij, anno Domini 1319. Ingreditur &wormaciam inſigni equitatu in uigilia omnium Sanctorum. Conſecratur anno ſequenti ab Epiſcopis Godefrido Mindenſi & Emichone Spirenſi. Præfuit annis decem. Sub huius Epiſcopi gubernatione corruerunt, anno

Domini 1325. in die Simonis & Iudæ Apostolorum, impetuoso quodam turbine maxima quædam urbis Vuormacienſis ædificia: inter quæ ita prorſus laceratum fuit Dominicaſtrorum templum, ut in totius triennij ſpacio uix poſſet reſtitui & inſtaurari. Poſtea deceßit ex hac lachrymarum ualle Epiſcopus Chuno, uiceſima quinta Iunij, anno Domini 1329. Sepelitur in ſummæ Baſilicæ anteriore choro, ante ſummam aram, in medio aliorum duorum Epiſcoporum.

53. GERLACVS pincerna ac Dominus de Erbach, mortuo Chunone ſeipſum intruſit, fretus familiæ ac gentis ſuæ potentia: cum Capitulum Epiſcopatus gubernationem commendaſſet Baldouino Archiepiſcopo Treuerenſi ac Moguntino. Præfuit tribus annis, deceßit ex hac mortali uita anno 1332, decima octaua Ianuarij, ſepelitur in S. Martini choro ante aram in ſiniſtra poſitam. Tumulo eius tantum gentis inſignia ſuperaddita ſunt.

54. SALOMANNVS Vualdboto cognominatus, ex ueteri ac honeſta Moguntinæ urbis familia natus, ſucceßit antiſtiti Gerlaco, à Pontifice Maximo Iohanne uiceſimo ſecundo Epiſcopatui Vuormacienſi præfectus, ſine ſenatus Canonicorum conſenſu. Confirmatur à Pontifice Maximo Benedicto duodecimo: erat uir præclare doctus, & prudentia præditus ſingulari. Venientem autem Salomonem uel Salomannum iſtum clerus ſummi Collegij recipere nolens, contra eum elegit Ste-

git Stephanum quendam, qui cuias fuerit uel ex qua familia ortus, ignoratur. Sic nouum Schisma in Ecclesia Vangionum natum, totum Episcopatũ misere exhausit, & pene irrecuperabilibus damnis affecit: durauit enim hoc Schisma & ista duorum de Episcopatus possessione certantium, ac Episcopatus bona misere dilapidantium infesta gubernatio decem annis: in quibus excommunicauit Rom. Pont. totum clerũ & wormacienſem. Tandem res composita est anno Domini 1342. Salomon mansit Episcopus, Stephanus cedere coactus fuit. Pont. Max. Clemens sextus Salomoni Episcopo potestatem dedit absoluendi clerum & wormacienſem à Pontificio anathemate: hanc absolutionem si clerus consequi uoluit, oportuit eum Episcopo magnam pecuniarum summam persoluere. Præfuit Episcopus Salomon post factam Schismatis compositionem annis adhuc septem. Obijt anno Domini 1349.

55. THEODORICVS nobilis heros à Poppar-ten, Bauarus cognominatus: eligitur ab unanimiter consentiente clero & wormacienſi anno Domini 1349: Imperante Carolo IIII. Præfuit prudenter & utiliter annis sedecim. Erat Episcopus honestißimæ ac optimæ uitæ. Consequutus est omnium priuilegiorum suorum confirmationem ab Imp. Carolo IIII, anno Domini 1366: quo anno ad Metenſis Episcopatus gubernationem auocatus, & wormacienſem postea libere resignauit. Contra hunc Episcopum bis seditiosa fuit & wormacia

matia, supra plurimas antea factas transactiones & de perpetua pace ac fide conuentiones honestißimas.

50. IOANNES cognomento Schadlandius, ordinis Prædicatorum & sacrarum scripturarum magnificus doctor, Legatus Pontificius, cuius plurima extant scripta: constituitur à Rom. Pont. Episcopus Culmiensis, ubi eum non diu fuisset, Hildesheymensi Episcopatui à Gregorio decimo præficitur anno Domini 1362, cui cum duobus saltem annis præfuisset & inquietam uideret esse gubernationem illam, propter quotidianos ferè Brunsuicensium principum tumultus suisq; studijs minus conuenientem: resignata gubernatione tota, Romã redijt, ubi post pauculos annos à Romano Pontifice quietiorem locum petens, utramq; Augustanam uidelicet & &wormaciensem Ecclesiam consequutus est, anno Christianorum Millesimo trecentesimo sexagesimo octauo. Sed cum Augustæ inter senatum clerum ac populum tumultus essent grauißimi, non diu Augustæ mansit, sed ablatis inde secum multis Ecclesiæ climodijs &wormaciam concessit, ubi cum etiam non esset admodum gratus, uarij in eum tumultus excitati sunt: quibus tamen à Palatino Ruperto compositis Augustanum Episcopatum, anno Dominicæ incarnationis 1371 libere resignauit, &wormaciensi contentus. Obijt postea anno Domini 1373: sepelitur apud Confluentiam in Prædicatorum cœnobij templo ad dextram aram, cum tali inscriptione:

Hic

Hic iacet Dominus Ioannes Schadland de Colonia, Magister Theologiæ: inquisitor Hæreticorum, Episcopus Ecclesiarum Culmensis, Hildesheymensis, &wormaciensis & Augustensis: ordinis Prædicatorum, qui obijt anno Domini 1378 Calendis Aprilibus.

57 EGKARDVS nobilis à Dersch, eligitur à Capitulo &wormaciensi anno Domini 1377, cum sedes Episcopalis uacasset penè quatuor annis. Sedit plerunq; Ladenburgi, nusquam prodiens quàm in templum. Pacis studiosissimus & amantissimus, sed qui pacata gubernatione propter perpetuas &wormaciensium seditiones, & cum clero digladiationes non diu potitus est. Præfuit annis uiginti octo inter maximas turbas ac summos ciuium suorum tumultus, qui à Ruperto Rheni Palatino, postea in Imperatorem electo, aliquoties compositi & conciliati, semper renouati sunt. Obijt decima quarta Maij, anno Christi 1405 quo anno totus clerus secessione facta è &wormacia discesserat. Episcopus Eckardus &wormaciam reuectus & in summæ Basilicæ anteriore choro, ante pulpitum, in medio duorum aliorum Episcoporum honorifice depositus & terræ mandatus est.

58. MATHAEVS Cracouianus ex Poloniæ regno natus, doctor sacrarũ scripturarum, Academiarũ Parisiensis ac Bragensis rector: multa scripsit, quæ in Franckentalẽsi monasterio adseruantur & ostendũtur,

fuit Cancellarius Imperatoris Ruperti Palatini, cuius interceßione consequutus est Episcopatum &wormaciensem: cui summa prudentia ac utilißime præfuit quinq; annis. Sub hoc Episcopo redijt clerus post triennale exilium in urbem &wormaciensem, compositis & conciliatis omnibus prioribus dißidijs authoritate cum Imp. Ruperti, tum Ioannis Archiepiscopi Moguntini: id factum est anno Domini 1407. Postea cum adhuc tribus annis præfuisset, ualedixit huic mortali uitæ, quinta Martij, anno salutis 1410. Sepelitur in medio choro &wormaciensis Basilicæ.

59. IOANNES secundus, nobilis uir à Fleckenstein, subrogatur Mathæo antistiti anno Domini 1410: præfuit annis sedecim. Obijt Ladenburgi decima octaua Maij, anno dominicæ incarnationis 1426. Reuchitur &wormaciam, & ibi in Cathedralis Ecclesiæ anteriore choro honorifice sepelitur. Anno Domini 1433 iterum seditiosa fuit &wormacia in Episcopum & clerum, ex quo graues ac pernicioßi tumultus orti essent, niß sequenti anno à Palatino Ludouico, & Conrado Archiepiscopo Moguntino omnia composita sopita & pacata fuissent.

60. FRIDERICVS secundus, nobilis à Domenegk: eligitur in Episcopum &wormaciensis Ecclesiæ, unanimi consensu summi Canonicorum senatus, ipsa die S. Agathæ, anno Domini 1427. Præfuit nouendecim annis. Renouauit ac illustrauit Kirßgartense Monaste-

nasterium in agro Wormaciensi, non procul ab urbe situm: in quo cum omnes Moniales peste essent absumptæ, dedit id Canonicis Regularibus S. Augustini habitandum. Absoluit naturæ debitum Calendis Iulijs anni Christianorum 1445. Sepelitur in summi templi Wormaciensis anteriore choro, ante aram summam in medio aliorum duorum Episcoporum. Sub hoc coorta et iterum Episcopi prudentia & circumiacentis nobilitatis uirtute pacata est, ingens seditio populi in Agro Wormaciensi habitantis: anno Domini 1440. His perpetuis seditionibus ac discordijs & Vrbs & Ecclesia Wormaciensis summe exhausta, semperq; afflictior ac pauperior facta, ad pristinam dignitatem et potentiam peruenire difficile potuit.

61. LVDOVICVS ab Ast, uir nobilis & ita eximie doctus, ut doctoratus etiam titulo insignitus fuerit: Præpositus ad S. Martinum Wormaciæ, Palatini Ludouici præcipuus Consiliarius. Subrogatur Episcopo Friderico unanimibus totius Capituli sententijs: sed cum is quietem amaret, & uideret officium Episcopale plenum esse periculi, post sex hebdomadas oblatam dignitatem cum summa gratiarum actione senatui Canonicorum libere resignauit, suis fortunulis pulchre & cum summa laude contentus.

62. REINHARDVS nobilis heros à Sickingen, eligitur anno Domini 1446: præfuit periculosis et difficilimis temporibus prudentissime, annis triginta sex.

Obijt Ladenburgi in uigilia S. Mariæ Magdalenæ anni à nato Christo humani generis redemptore 1483. Reuehitur &wormaciam & honorifice ibi conditur in sacello S. Egidij à se extructo. Extat de eo tale distychon, in cuius literis numeralibus est annus & dies quibus Episcopus ex hac lachrymarum ualle emigrauit.

VangIoReInharDI PraXeDIs LVCe LICenter
A SICkIng pLangat fata sVpreMa patrIs.

63. IOANNES tertius, nobilis à Dalburg, eximia uirtute ac doctrina longe præstantissimus, trium linguarum egregie peritus, renascentium in Germanijs humanitatis ac Philosophiæ studiorum summus fautor ac Mæcenas: uir sapientissimus, & Ludouici iccirco Palatini Electoris præcipuus consiliarius. Eligitur in antistitem &wormaciensis Ecclesiæ anno Christi 1431: Habuit summum amicum ac præceptorem etiam Rodolphum Agricolam, qui primus ferè barbariem undiquaq; oppugnans, latinarum ac Græcarum literarum studia in Germanijs excusitauit: Reuchlinum item qui Hæbræas literas primus in germania professus est, & Latinas Comœdias huic ipsi Episcopo exhibitas ac dedicatas scripsit, egit, ædidit & publicauit. Præfuit Episcopatui honestissime ac optime annis uiginti. Vidit sua etiam ætate tumultuantem ac grauiter ferocientem in clerum, & in templa &wormaciam, anno dominicæ incarnationis Millesimo quadringentesimo

tesimo nonagesimo nono, quo clerus ex urbe Ladenburgum secessit, & non nisi post completum decennium redijt. Obijt reuerendissimus & omnium sæculorum memoria dignissimus antistes uicesima septima Iulij anno dominicæ incarnationis 1503. Vide de eo Paralipomena Vrspergensis Abbatis Chronicis addita.

64. REINHARDVS nobilis à Rieppur, eligitur Ladenburgi in Wormaciensem Episcopum, à toto summi Collegij Canonicorum senatu, decima nona Augusti, anno Christianæ redemptionis 1503. Secundo anno gubernationis uidit undiquaq; irruptiones fieri in suum Episcopatum ab his qui confecto bello Bauarico Philippum Palatinum à Diuo Maximiliano Imperialis Banni fulmine tactum ferro & igni persequebantur: Ex quo numero erant Ericus dux Brunsuicensis, Vlricus dux Wirtenbergensis & Gulielmus Hassorum Landgrauius. Hæc calamitas tali uersiculo tum compræhensa & posteritatis memoriæ ac notitiæ commendata est, in quo numerus anni etiam ex literis numeralibus deprehendi potest, millesimus uidelicet quingentesimus & quartus.

Hasso CreMat trIstI faCe: flens perIt aCCoLa rheni.

Reconciliatur Reipub. Wormaciensi anno domini 1509 in Comicijs à Diuo Maximiliano illic habitis, studio ac diligentia Iacobi Archiepiscopi Treuerensis & Friderici Saxoniæ Electoris: ita ut eodem anno totus clerus in urbem rediret. Hæc Amnistia & recon-

reconciliatio utrinq; exulceratißimorum animorum non diu durauit, ſed mox eam noui tumltus excepe-runt, qui cauſſam præbuerunt bello Sickingenſi, quod anno Domini 1515., uiuente adhuc Diuo Maximiliano cæpit. Hi tumultus iterum pacati ſunt per Palatinum Ludouicum Electorem ac uiceregem anno Domini 1519. Sequente anno ingreditur inſigni pompa equeſtri Vuormaciam, ſeptingentorum equitum, ac decem principum (qui iam ad coronationem noui Imperatoris Caroli V. Aquiſgranum deſcenſuri erant) multorum item comitum ac Baronum ſplendidißimo comitatu. Poſtea itum eſt Aquiſgranum, unde omnes principes cum coronato Imperatore mox Vuormaciam reuerſi ſunt ad comitia. Effluxerant iam ſeptendecim anni à prima electione, uſq; ad ingreſſum: Sperabat bonus princeps deſituros iam & quieturos omnes ueteres tumultus, & rediturum optimæ ac placidißimæ pacis aureum tandem aliquod ſæculum: ſed longe fefellit eum iſta ſpes, Iam enim propter mutatum doctrinæ genus in Germanijs nouæ & uehementißimæ turbæ orieban tur undiquaq;. Hæc omnia effecerunt, ut Epiſcopus de gubernatione Epiſcopatus reſignanda iam cogitans, initio coadiutorem peteret, prudentißimum heroa Philippum à Flersheym Vuormacienſem ac Spirenſem Canonicum, excellẽti uirtute præditum: Hæc Epiſcopi uoluntas & petitio à Rom. Pont. & approbata & confirmata eſt. Videntes autem principes Palatini peti

coadiu-

coadiutorem Vuormaciensis Ecclesiæ gubernationi, de qua ipsi optime essent meriti: commendarunt fratrem suum, Palatinum Henricum senatui Canonicorum, additis precibus, ut huic gubernatio traderetur, tum se etiam operam daturos quàm maxime, ut Episcopatus dignitas ac res conseruarentur, & ad pristinum decus aliquando redirent. Etsi uero ad eam dignitatem non solum à Vuormaciensi clero postulatus esset Flersheymius, sed Pontificia etiam authoritate confirmatus: tamen qua erat incomparabili morum ac uitæ dexteritate uirtute ac modestia præditus, parato cessit animo principum Palatinorum consilio ac uoluntati, nihil dubitans, quin esset authoritas tantæ familiæ multum profutura Ecclesiæ Vuormaciensi. Sic Henricus Palatinus in coadiutorem assumptus est, anno Domini 1513, cui summam spem de sese pollicenti, sequente anno Reinhardus totam etiam gubernationem commendabat, reseruata exigua sibi pensione & monasterij Ramsensis Episcopatui nuper incorporati possessione: in qua tranquille iam se uicturum sperabat, Sed nec ista spes satis tuta aut firma fuit. Nam proximo anno sequuta est incomparabilis illa seditiosorum agricolarum coniuratio, quæ per totam Germaniam non aliter q̃ improhibile aliquod incendium grassata est: nec uero iam in agro solum, sed in urbe quoq; crudeliter tumultuabatur, & quemadmodum clauus clauum trudit, ita alius furor alium peperit; Erat tum in Vltraiectina Ecclesia

Henricus

Henricus Palatinus, ubi etiam grauissimi motus ei sedendi ac paeandi erant. Reinhardus interim in cœnobiolo suo non tutus, in fortiorem locum, castri & oppidi Nouileyningensis sese recipiens, tãdem undiquaq; grassantibus ac impune adhuc ferocientibus agricolis suplex factus, pacem quidem impetrauit, sed non admodum diuturnam, nam post pauculos dies Ramsense cœnobium (in quo hactenus habitarat) à seditiosis agricolarum cohortibus direptum ac spoliatum est.

Apostrophe ad Henricũ Palatinũ.

Non, mihi si linguæ centum sint oraq; centum,
Agricolarum omnes possem recitare furores.
Et quas Vangionum Reinhardus Episcopus urbis
Sustinuit curas, & quantas uiderit iras:
Quàm uarios motus. Nec, si mihi ferrea sit uox:
Possem omnes Henerice illos narrare tumultus
Qui te exceperunt & sunt tam longa sequuti
Tempora. Mæonijs opus esset uiribus atq;
Mæonio calamo, haud humili exiliq; Camæna:
Non ita simplicibus numeris breuibusq; libellis
Quales nostra ædit lugubri hoc tempore Musa
Tempore quo Musis lugubrius haud fuit ullum.
Parcite semidei iccirco uos, parcite nobis
Quod breuiter uestras ita res percurrimus illas
Magnificas, & non nisi summis uatibus aptas:
Quas nobis breuiter saltem tetigisse, sat esto.

Reinhardus uidens nouorum tumultuum ac seditionum nullum esse finem, Henrico Palatino (qui iam Vltra-

iectina

iectina Ecclesia exciderat) totam gubernationem Vuormaciẽsis sedis cõmendat, acsese quietis ergò in familiæ ac gentis suæ castrum Riepur (quod in Marchionatu Badensi situ̇ est) recipiens, post pauculos menses ibi naturæ debitum, annorum & dierum plenus, absoluit 19 Aprilis, anno Domini 1533, cum à prima ipsius electione triginta anni efluxissent. Reuchitur ex arce Riepurensi Vuormaciam, & ibi in summa Basilica & in media superioris chori area honorifice deponitur ac terræ mandatur.

65. HENRICVS quartus: Palatinus Rheni, & utriusq; Bauariæ dux, Philippi Electoris filius, Ludouici ac Friderici optimorum principum ac Electorum frater: eximia uirtute, iustitiæ et clemẽtiæ studio ac laude, sapientia itẽ et humanitate summa præditus. Præpositus primum summi templi Argentinensis, Canonicus Colonienſis: præpositus item Aquisgranensis & Elephancensis, quas dignitates omnes Pontificia authoritate habebat confirmatas: quarum item Regalibus, & feudis inuestitur ab Imperatore Diuo Carolo V. anno Domini Millesimo quingentesimo uicesimo primo. Assumitur in coadiutorem gubernationis & Ecclesiæ Wormacienſis anno Domini 1523. Cumq; sequente anno Dominicæ incarnationis 1524 decessisset ex hac lachrymarum ualle Philippus Burgundio, Episcopus Vltraiectinus: uocatus est ad eius etiam Episcopatus gubernationem, unanimi totius cleri consensu.

Confir-

Confirmatur à Rom. Pont. in utriusq; diocœseos antistitem ac gubernatorem. Sed qualis eum fortuna exceperit Vuormaciæ, dictum est breuiter supra: qualis uero Vltraiecti, id studiosus lector petat ex bello Traiectino, quod ab Henrico Bomelio quodam eleganter descriptum, Marburgi superioribus annis æditum est. Defatigatus tandem tumultibus Vltraiectinis cum aduersa ualetudine etiam impeditus labanti Ecclesiæ subuenire aut consulere tantæ rerum difficultati non posset: totam eam gubernationem Romano Pontifici ac Imperatori Diuo Carolo V. resignauit: Vuormaciam concedens, ubi mox arcem Dirmstein à seditiosis agricolis antea euersam, pulchrius quàm unquam fuerat, & fortius instaurauit. Habebat fratrem Germanum, Philippum Palatinum Episcopum Frisingensem ac Mammillensem: qui cum anno Christianæ salutis Millesimo quingentesimo quadragesimo rebus mortalibus exemptus, uitæ huic ualedixisset, successit ei anno gratiæ Millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, iste etiam Henricus antistes Vuormaciensis. Frysingi igitur in Bauaris residens, hodie adhuc utriq; Episcopatui summa cum laude præest.

Christus ab æthereo spectans mortalia templo,
Incolumem & mente & corpore seruet eum.
Ac post emeritos longæui Nestoris annos.
Aurea præstantem ducat in astrasenem.

Ad ins

AD INCLYTAM VRBEM AVGVstanam, in Sueuis, Schediasma Caſparis Bruſchij Poëtæ Laureati.

Vrbs Auguſta potens, Vrbs Auguſtiſsima ſalue,
Vindelici decus & gloria prima ſoli.
Accipe Pontificum laudes Vrbs clara tuorum,
Atq; auide ueterum perlege facta patrum.
E tenebris qui te in lucem eduxere coruſcam,
Noſcere & æternum te docuere Deum.
Illum nempe Deum qui ſolus trinus & unus,
Per gnatum eſt clemens propicius q; ſuum.
Qui uerbo nos hac regit ipſa in paupere uita,
Quod uerbum eſt ſummi filius ipſe Dei.
Ad regni donec ſuperi nos colligat aulas,
In quibus æterna eſt uita futura pijs.
Hos inquam ſi Pontifices patres q; duces q;,
Vis collectores forte uidere tuos.
Illuſtratores q; tuos in paupere uita hac,
Qui fecere tibi mœnia, templa, domos:
Hunc lege quem latio damus hic ſermone libellum,
Res te equidem uarias ille docere poteſt.
Quem clementer ut excipias Vrbs inclyta, te per
Aeternas laudes teſtor & oro tuas.

OCTAVVM CAPVT de omnibus Episcopis Ecclesiæ Augustanæ in Sueuis.

DE AVGVSTANI in Sueuis uetustißimi Episcopatus, initio ac origine prima, propter uarias eas q; non adeo bene consentientes diuersorũ narrationes, uix certi aliquid Lectori polliceri possum. Narrabo tamen bona fide ac breuiter, quæ hac ipsa de re in uetustißimis chartis ac monumentis inueniuntur. Aiunt annum Domini circiter 196 ex Hißpanijs in Germaniam et ad Augustam Vindelicorũ uenisse sanctum quendã Episcopũ Narcissum, plantandæ ac propagandæ ibi Christianæ doctrinæ ac relligionis ergò. Nã etsi S. Lucius Churiensis Rhetiæ Apostolus Christum antea etiam Augustanis ac circumiacentibus Vindelicis cõcionatus esset, tamen à gentilicijs suis superstitionibus abduci tum non potuerunt. At Episcopo Narcisso idem Christi Euangelium maiore fortaßis spiritu ac zelo annunciante, & luculentius populo rudi proponente, cæperunt emolliri tandem:

Sæua Sueuorum et Mauortia & effera corda.

Conuersos igitur ad Christi cognitionem ac profeßionem

nem multos Vindelicos baptisauit S. Narcissus, imprimis uero Dominam Hilariam eius q; filiam, Afram: quas Cypri Reginas fuisse affirmant, ac Dominæ Hilariæ fratrem Sosimum: quem præstanti ingenio eloquentia item ac mediocri doctrina præditum, ut ipse etiam Christum Dei filium rudi adhuc Alemannorum populo prædicaret, pie & grauiter aliquoties exhortatus facile persuasit. Hunc Sosimum S. Narcissus non iam amplius Sosimum, sed S. Dionysium appellans, Dionysij Ariopagitæ conterranei ac compatriotæ ferè sui uirtutem ac uitæ sanctimoniam uel imitari eum uel etiam superare uolebat. Sic Sosimus ille uel Dionysius, aliquandiu præsente adhuc, & postea redeunte in Hispanias suas Sancto Narcisso Augustanis & Vindelicis Christum intrepida uoce duobus penè annis concionatus est: Cum autem reprehenderet acriter Idolomanias gentilicias, & contra statuas Ethnicorum Deorum solum & unum Deum, illum uidelicet qui trinus & unus esset, adorandum concionaretur: irruit in eum ac totam eius familiam, in pias item ac Christianismo nuper initiatas puellas Afram, Dignam, Eunomiam ac Eutropiam, & in harum omnium Dominam ac formatricem Hylariam Gaius Tyrānus, Diocletiani Imp. ac Ecclesiæ Christianæ summi persequutoris præfectus: Hanc totam inquam Sancti uiri Sosimi nouam adhuc scholam & Ecclesiam ad suplicium rapiens, primum exquisitissimis

tormentis misere cruciauit, postea cum nulla spes esset Tyranno, redituros istos Christi Confessores ad gentilicias abominationes: statim ut interficerentur etiam omnes, apparitoribus suis præcepit. Hoc factum legitur annum Christi circiter trecentesimum: & hunc Sosimum uel Dionysium sanctum Dei Martyrem suum primum Episcopum tota Augustensis Ecclesia iactat, prædicat, & unanimi consensu confitetur. Post quem uacasse sedem Episcopalem aliquandiu non dubiũ est, propter summam Tyrannidem & crudelitatem Diocletiani Imperatoris in Christianos pariter omnes sine ullo uel sexus uel ætatis discrimine exercitam. Habitarunt S. Sosymus & eius soror Hylaria extra urbẽ Augustanam eo loco, ubi nunc est templũ S. Vdalrici: in eadem uicinia, & agros & hortos etiam habuerunt. Vnde hodie adhuc eius tractus ædes ferè omnes S. Vlrici cœnobio uectigales ac tributariæ sunt. Est hodie adhuc in Augustani cuiusdam Canonici ædibus lapis cum hac inscriptione, SOSYMVS primus.

2. BERVVELPHVS, alijs & wernolphus, Sueuus: secundus Vindelicorum & Augustanorum Christum confitentium Episcopus fuisse, & ueris pij Episcopi officijs quinq; annis præfuisse legitur, sed quando Episcopus constitutus aut quando mortuus, ignoratur.

3. TAGENBERTVS alibi Dagobertus pius ac sanctus Dei uir, ueritatis Christianæ diligentißimus doctor & assertor, præfuit Augustanis concionando

ac do

ac docendo, baptisando ac alijs pietatis Christianæ officijs annis sedecim. Post eius mortem propter summam Ecclesiarum Christum profitentium persequutionem, iterum aliquandiu sine gubernatore fuit Ecclesia Augustana.

4. MANNO, gente Sueuus: fideliter præfuit Augustanæ Ecclesiæ, pure docendo Christianos, annis 19. Quando uero præesse cœperit, aut quando eum Deus ex hac mortali uita euocarit, non inuenitur.

5. VVICHO præfuit Augustano Episcopatui octodecim annis.

6. BRICO alijs Perichus, comes Brigantinus, eligitur post mortuum Swichonem, præfuit annis uiginti, summo studio Arrianam hæresin oppugnans docendo & concionando, qua tota tum Germania etiam infecta & contaminata erat.

7. ZAYSO præfuit Augustanæ Ecclesiæ annis uno & uiginti, uixit temporibus Iustiniani Imperatoris, ac Bonifacij secundi, P. M. Inchoauit Cathedralem Basilicam D. Virginis, quam hodie adhuc summum templum Augustani habent & appellant. Post huius Episcopi ex hac mortali uita egressum, iterum uacauit aliquandiu Ecclesia Augustana, sed ob quas causas, aut quàm diu: id omne ignoratur.

8. MARCOMANNVS præfuit Augustanis concionando ac docendo 19 annis. Post hunc aliqui ponunt tres Episcopos, Fortunatum uidelicet, Philippum

& Cyriacum: sed illi Augustanæ Ecclesiæ non præfuerunt. Fortunatus enim in Galliam peregrinans ad S. Martinum, paucis aliquot diebus saltem Augustæ commoratus est. Philippus aliunde etiam Augustam adueniens ibi martyrio est coronatus. De Cyriaco nihil prorsus legitur. Ante uero ista tempora, circiter annum Christi 400 legitur S. Ambrosius Episcopus Mediolanensis ad Augustam Vindelicam ab Arrianorum hæresi repurgandam S. Albanum ac Episcopum quendam Philippensium Theonestum misisse: quibus seuere reprehendentibus ac acriter confutantibus Arrianos errores, Arriani in eos magno tumultu consurgentes, ac fremẽtes pijs doctoribus grauiter insidiati sunt, Vrsumq; comitem quẽdam eorũ captum trucidarunt. Albanus & Theonestus inde Moguntiam profecti, ibi etiam contra Arrianorum furores acerrime pugnarunt concionando ac docendo: donec uterq; Martyrij coronam acciperet.

9. S. VICTERBVS alijs Victerpus primum Monachus ac Monachorum Pædagogus, postea Abbas Elefancensis cœnobij, ab Hariolfo quodam Lingonensi Episcopo fundati: eligitur tandem in Augustanum Episcopum, à Rege Galliarum Pipino: Præfuit ibi laudabiliter ac summo Christianæ pietatis promouendæ & ampliandæ studio annis sedecim. Ad hunc Victerpum uenit Sanctus Magnus, Sancti Galli discipulus petens ab eo ueniam ac potestatem ædificandi

pro

pro se ac discipulis suis cœnobij, quod sumptibus Regis Pipini, & huius Episcopi auxilijs construxit magnificum ad Lycum amnem in Alpium Sueuiæ faucibus: unde faucense, & hodie adhuc parum immutata uoce fussense cœnobium ac oppidum id appellari solet. Obijt Victerbus decima octaua Aprilis anni à nato Christo Septingentesimi quinquagesimi secundi. Conseerauit templa Monasteriorum Cambidonensis, S. Magni, & Benedicti Purrhensis.

10. S. THOSSO parrochus Waldhofensis, cõstituitur Augustanæ Ecclesiæ Episcopus à Rege Galliarũ Pipino S. Magni precibus ac commendationibus moto, anno Domini septingentesimo quinquagesimo tertio, præfuit 11 annis. Obijt decima sexta Ianuarij anno 765. Sepelitur apud S. Afram, ubi hodie est tẽplum S. Vlrici, quo loco omnes eius antecessores cubare creduntur. Post hunc Thossonem diu uacauit sedes Augustani Episcopi propter uarios tumultus qui tum inter Germaniæ Principes ac Reges, Odilonem ac Thassilonem Bauaros, Godefridum Sueuum, & Carolum Magnum, aliosq; exarserant.

11. S. SYMBERTVS dux Lotharingiæ patre natus Amberto, matre uero Symphoriana Caroli Magni sorore, religiosissimis coniugibus: educatur in pietatis & literarum studijs in Maurbacensi peruetteri ac præpotenti Alsatiæ Cœnobio instituti Benedictini, cuius loci tandem est designatus

Abbas: ubi sic pie & honeste uixit, ut toti suo Conuentui exemplum honestæ ac innocentis uitæ præferret. Tandem cum uacasset multis iam annis Augustanus Episcopatus, propter ciuilia bella Bauariæ & Suæuiæ ducum: quæ Carolus Magnus, nondum tum Imperator, deuictis potentissimis principibus fœliciter confecerat, cœpit idem ille potentissimus Galliarum Rex, non solum Augustanam urbem egregie ampliare, sed de instaurando etiam Episcopatu diligentissime cogitare. Euocato igitur ad sese è Maurbacensi Abbatia S. Symberto nepote suo, constituit eum ex Abbate Episcopum urbis & Ecclesiæ Augustanæ anno Domini 779. Ibi cum præfuisset ille laudabiliter ac utilissime cum concionando ac docendo tum collapsa templa pulchre reparando annis triginta, euocatus est ex hac tandem lachrymarum ualle plenus dierum, decima tertia Octobrium, Anni à nata salute humani generis sempiterna 809, Imperante Carolo Magno. Sepelitur honorifice in S. Afræ templo à sese post factam ab Odilone seditioso Bauarorum duce uastationem pulchre instaurato.

12. HAVTO alijs Hanto comes de Andechs Bauarus maximus Episcopatus Augustani locupletator & donator, successit S. Symberto. Præfuit adhuc anno Domini 840 sub Ludouico Pio. Somnia igitur sunt, quæ eum septem tantum annis præfuisse affirmant. Habuit fratrem religiosissimæ etiam uitæ, Rathardum

Canonia

Canonicum, qui Damasiani insignis Monasterij apud Bauaros fundator esse legitur.

13. VVALTHERVS subrogatus est Hautoni, sed quo anno id ignoratur: præfuit laudabiliter & optime decem annis: fuit optime meritus de Imperatore Lothario, cui cum à legationibus tum à consilijs fuit intimis. Legitur in concordiam redegisse acerrime inter se de prædiorum quorundam possessione certantes Odogarium Archiepiscopum Moguntinum, & Abbatem Hirßfeldensem. Quando uero huic mortali uitæ ualedixerit, nusquam inuenio.

14. ADELGERVS succeßit antistiti &walthero: præfuit pie ac laudabiliter annis sedecim: Obijt anno Domini 864.

15. NEODEGARIVS uir sanctæ & innocentißimæ uitæ, succeßit Episcopo Adelgero, præfuit annis quatuor. Fuit primum Monachus, posteactiam Abbas magnificentißimi Monasterij Vttenburrhani, in Sueuis, à Silacho Francorum duce ac Ilergouiæ comite eiusq; coniuge Domina Ermensuinda fundati. Constructe cæpit de nouo templum S. Magni in fæucensi cœnobio. Obijt anno Domini 869. Sepelitur in templo S. Afræ, cum tali inscriptione:

Beatißimæ memoriæ.

Requiescit hîc Nidgarius Episcopus: Omnes legentes orate, ut pius Deus illi misereatur. Obijt beatus decima septima Calendarum Maij.

16. LANTHO alijs Dancko & iterum alijs Lancko dictus: constitutus est Augustanæ urbis & Ecclesiæ Episcopus, anno Domini 870, præfuit annis sex, et aliquot mensibus. Fuit magnus benefactor & illustrator monasterij Faucensis. Canonisauit & in Diuorum numerum retulit cum consensu Rom. Pont. S. Magnum, cuius uitam etiam Emerico Monacho cuidam Elefancensi eximie docto describendam & posteritati commendandam commisit. Obijt anno Domini octingentesimo septuagesimo septimo.

17. VDELMANNVS nobilißimis parentibus in Suevia natus, eligitur in Augustanum Episcopum anno Domini 880. Præfuit annis septem, mensibus octo. Decessit ex hac mortali uita anno Domini 888. Legitur dedicasse & consecrasse templum pagi Herberdißhofensis, ubi nomen ipsius aræ maximæ adhuc inscriptum inuenitur, paucis literis uetustate omnia immutante consumptis.

18. VVIDGARIVS uel Widogerus Abbas prius insignis Monasterij Vttenburrhani, eximie doctus & humanißimus, constituitur in Episcopum Augustanum, post defunctum Vdalmannum, anno dominicæ incarnationis 888, præfuit annis decem laudabiliter: proficiscitur anno redempti orbis 898 ad Heluetios ut eos ab erroribus gentiliciarum Idolomaniarũ in uiam Christianæ ueritatis ac fidei pijs concionibus ac admonitionibus abducat, hinc Heluetiorum Apostolus dici meruit.

meruit. Moritur & sepelitur apud Heluetios circa annum Domini 902.

19. S. ADALBERVS comes à Dillingen, genere egregie quidem nobilis, sed uirtute, sapientia & uitæ morumq; integritate longe nobilior, factus est ex Monacho Elsangensi Episcopus Augustanus, & Abbas Elsangensis, anno Domini 904, præfuit cum Episcopatui, tum Abbatiæ annis septendecim. Obijt anno Domini 922. Sepelitur apud S. Afram in sublimi ac de terra eleuato tumulo. Fuit Arnolpho Imperatori (cum adhuc esset in Elsancensi cœnobio) charissimus: eius baptisauit & postea etiam pietate literis ac bonis moribus eruditiuit & informauit filium, Regem Ludouicum, qui tertius huius nominis patri in Imperij gubernatione successit. Fuit uir eximie doctus, excellens Musicus: Sangallensis Monasterij liberalissimus benefactor. Sancti Vlrici alumnus & informator. Assumpsit sex annis antequam moreretur coadiutorem Hildinum: eximia uirtute ac uitæ integritate præstantem uirum.

20. HILDINVS assumitur primum in Coadiutorem à S. Adelbero, cum quo sapienter Episcopatui præfuit annis sex, & mortuo Adelbero, electus unanimi totius cleri cõsensu, præfuit mensibus adhuc quindecim, & ex hac mortali uita fœliciter emigrauit: anno 923. Sub his duobus Episcopis simul gubernantibus Obijt anno 912 Imperator Ludouicus tertius,

Arnol

Arnolphi filius apud Lauriſſam honorifice ſepultus. In huius Epiſcopatus diuerſis (quos uidimus) Catalogis plurimum huc uſq; uariant annorum numeri: nos tamen ex illa uarietate ea ſelegimus, quæ maxime uiſa ſunt certa & ad ueritatis normam proxime accedere, et cũ alijs Chronicis ac Hiſtorijs optime cõuenire.

11. S. VDALRICVS patre Hugobaldo comite Kiburgenſi ac Dillingenſi, matre uero Gerbirga (alij Dietbergam uocant) comitiſſa Veringenſi æditus: in Monaſterio Sangallẽſi ab eximiæ doctrinæ & ſapientiæ monacho quodã Vuanningo, liberaliter cum in Grammaticis tum in ſacris literis inſtitutus eſt. Poſtea S. Adelbero Epiſcopo Auguſtano commendatus, illi à legationibus & conſilijs fuit: à quo Romam aliquando ad Pont. Max. Marinum miſſus, ita pontifici ſapientia, doctrina & uirtus eius placuit, ut ſtatim eũ Adelbero Epiſcopo uellet in gubernatione Epiſcopatus ſuccedere: quem honorem ſumma humilitate deprecatus eſt. Domum reuerſus apud parentes pie uixit: donec anno Domini 923 ab Imperatore Henrico Aucupe, Auguſtanæ urbis conſtitueretur Epiſcopus: Ibi ſapienter, pie, fideliter ac utiliſſime præfuit annis penè quinquaginta. Henrico Aucupi in Imperatorem electo, oppoſuit ſeſe Arnoldus quidam ſeditioſus Bauarorum dux: hunc ad pacem & publicam tranquillitatem conſeruandam exhortatus eſt S. Vlricus, qui uiſionem uiderat, in qua oſtenderat Deus S. Vlrico, Arnoldum

ducem

ducem, armatum quidem, sed ita ut gladio deesset Capulus: quo significatum est, non gesturum eum gladium, hoc est, Imperialem dignitatem, quam ambiret, & seditiose appeteret. Anno Domini 954 adfuit Imperatori Othoni Magno pugnanti contra Hunnos, qui iam totam Bauariam incendijs ac rapinis uastarant: horum innumeræ copiæ fœliciter propè Augustam ab Othone Magno cesæ ac profligatæ sunt. In hac pugna amisit S. Vlricus fratrem, Theobaldum, alijs Reginobaldum dictum, comitem Dillingensem, strenuum bellatorem: cuius filium Richouinum Imperator Otho feudis ciusdem comitatus Dillingensis inuestiuit. Postea S. Vlricus urbem Augustanam ampliauit, includens mœnibus templum S. Afræ misere uastatum ab Hunnis, quod ipse eleganter instaurauit, & in eo sibi uiuus adhuc sepulturam elegit. Id templum, hodie S. Vlrici templum appellant: quod in summitate urbis est longe maximum & augustißimum. Aedificauit eo loco, ubi cœsi essent ab Othone Magno Hunni, in perpetuam eius uictoriæ memoriam: Monialium cœnobium S. Stephani, cuius loci Abbatissam primam constituit cognatam suam, Dominam Eleysiniam comitissam Dillingensem, pudicißimam ac honestißimã puellam. Appellauit hoc Monasterium S. Stephani cœnobium, quod Regem Hunnorum captum, eodem loco sacro baptismate abluisset, eumq; Stephanum nominasset. Construxit idem S. Vlricus Sancti Iohannis

etiam

etiam Basilicam. Obijt plenus dierum anno ætatis suæ 83: quinta Iulij, anni à nato Christo humani generis redemptore 973, quo anno Otho etiam Magnus ex hac uita emigrasse legitur, in Memlebenio Thuringiæ cœnobio ad Vnsterũ amnem sito. Sepelitur honorifice à S. Vuolffgango Episcopo Ratisponensi agnato suo, in Sanctæ Afræ à se postea cognominato templo. Præfuit aliquandiu Vttenburrhano etiam cœnobio.

22. HENRICVS comes à Geysenhausen, natus patre Burcardo, matre uero Adelheyde, Othonis Imperatoris ex fratre Henrico Bauarorum duce nepte: constituitur Episcopus Augustanus ab Othone primo & Magno. Præfuit laudabiliter octo annis: Dedit uniuersum comitatum suum, cuius ille iam factus erat ultimus hæres, Augustanæ Ecclesiæ. Profectus est cum Imperatore Othone secundo patruo suo, in Apuliam & Calabriam, ubi contra Saracenos, fortiter pugnans occubuit cum alijs multis Germaniæ Principibus, Othone secundo capto, sed tamen linguæ Græcæ auxilijs liberato & fuga elapso. Occubuit autem in Iulio anni à nato Christo humani generis redemptore noningentesimi octogesimi secundi.

23. EVTYCHVS uel Ethico comes ab Altorff, ex Guelphonum familia natus: subrogatur Henrico Episcopo Augustano, præfuit annis quinq; mensibus sex: Deceßit ex hac lachrymarum ualle anno dominicæ incarnationis noningentesimo octogesimo octauo.

Sub

Sub huius Episcopi gubernatione Obijt Romæ anno Dominicæ incarnationis 983 laudatissimus Imperator Otho secundus, non sine ueneni suspicione: Sepelitur ibi honorifice apud D. Petrum. Hunc Episcopũ alij Stuchonem uocantes, nobilem de Altenmunster fuisse dicunt.

24. LVITHOLPHVS alibi Luitholdus, eligitur in Episcopum Augustanum anno Domini 988, præfuit laudabiliter annis septem, mensibus sex. Obijt uicesima septima Iulij, anno Domini 996. Subleuauit de tumulo & Diuorum numero adscripsit S. Vlricum Episcopum Augustanum, cum consensu Pont. Max. Ioannis decimiquinti. Sub huius antistitis gubernatione concidit Augustæ anno incarnati filij Dei 994 summa D. Virginis Basilica: eam auxilijs Dominæ Adelheydis Imperatricis, Othonis Magni relictæ uiduæ, Burgundionum Reginæ, magnifice iterum instaurans, & fortiorem ac illustriorem, quàm fuisset unquam antea, fecit: iterumq; Diuæ Virgini matri dedicauit.

25. GEBHARDVS S. Vlrici antea Sacellanus & summi Canonicorum collegij præpositus, qui uitam Sancti Vlrici descripsit: Abbas postea Elefancensis Monasterij in Rhiæsa siti factus est. Vbi cum sex annis laudabiliter uixisset, ad gubernationem Episcopatus Augustani accersitus, eidem etiam officio summa uirtute ac prudentia præfuit annis sex: resignans

Abba-

Abbatiam Elefancenſem Hartmanno cuidam anno Dominí 998. Deceßit ex hoc mortali ac lugubri ſæculo, anno redempti à filio Dei orbis 1001. Septima Iulij.

26. SIGEFRIDVS ſucceßit Gebhardo, præfuit annis ſex, menſibus totidem: Obijt anno Domini 1009. Non laudatur in Catalogis Auguſtanorum. Sepelitur in Baſilica Cathedrali D. Virginis prope ueterem chorum, iuxta Luitholphum ac Gebhardum Epiſcopos, anteceſſores ſuos: cum tali inſcriptione.

Omnia ſubſidunt, ater cinis omnia fiunt,
Omnia nata ruunt, omnia prætereunt.
Ecce Luitholphum, Gebhardum, tum Sigefridum,
Non uetuere mori forma genus q; ſui.
Vrbis prælati requieſcunt hîc tumulati,
Qui docuere greges, ordine pontifices:
Mundo ſublati uiuant in pace beati,
Qua ſine nocte dies, qua ſine fine quies.

27. BRVNO dux Bauariæ & Saxoniæ, germanus frater Imperatoris Henrici ſecundi, fundatoris Bambergenſis: eligitur, mortuo Sigefrido, in Epiſcopum Auguſtanum, unanimi conſenſu totius cleri. Præfuit prudentißime & utilißime annis uiginti duobus: fecit ex Canonicorum S. Afræ Collegio cœnobium S. Vlrici, ordinis D. Benedicti: conſtituit ibi primum Abbatem, doctum & ualde relligioſum uirum Reginobaldum, qui poſtea ad Spirenſis Epiſcopatus gubernationem uocatus, ibi octo annis cum ſumma laude

præfuit

præfuit. Omnia autem ornamenta & omnes thesauros ditissimi templi S. Afræ, transtulit in D. Virginis Cathedralem Basilicam: Circa huius Episcopi gubernationem Otho tertius Rom. Imperator, in Italia prius mortuus Augustam allatus, ibiq; exenteratus, & (uisceribus in Cathedrali eius loci Basilica sub honorifico marmore depositis) inde Aquisgranum auectus ac insigni pompa funebri, magnifice sepultus est. Sub eodem Episcopo S. Henricus Imp. plurima donauit cœnobio S. Vlrici insignia prædia, multos etiam ampliss imos pagos: Eiusdem Imperatoris sumptibus & expensis ædificatum est à Brunone Episcopo templum S. Mauritij Augustanum, quod ab eodem Henrico munificentissime donatum est. Anno Domini 1016 eunte Imperatore Conrado secundo in Italiam, Guelpho interim Bauarorum dux, bellum Brunoni Episcopo filium Imperatoris Henricum tertium apud se habenti, & bonis literis ac uirtutibus erudienti, infert: Augustam obsidet, obsessam expugnat, expugnatum diripit. Sed Imp. ex Italia reuersus Guelphonẽ seditiosum egregie ultus, ad condignam satisfactionem ac restitutionem omnium bonorum Augustanæ & urbi & Ecclesiæ sublatorum eum compulit. Decessit Episcopus Bruno ex hoc sæculo, octaua Maij, Anno Domini 1031 Ratisbonæ in Comicijs ab Imp. Conrado secundo celebratis. Reuehitur inde Augustam, & ibi honorifice sepelitur in S. Mauricij tẽplo: insigni Mausolæo, quod

anno Christianæ salutis Millesimo quingentesimo quadragesimo sexto è medio sublatum est.

28. EBERHARDVS à quibusdam Eppo, ab alijs Gebhardus dictus, successit Episcopo Brunoni, præfuit annis octodecim. Fuit magnus benefactor cœnobij S. Vlrici. Obijt in Vigilia ascensionis dominicæ, anno Domini 1048. Sepelitur honorifice præsentibus Henrico tertio, Rege: & omnibus Imperij principibus ac proceribus.

29. HENRICVS secundus, uir eximie doctus, robustus & formosus, subrogatur Episcopo Eberhardo, ab ipso Imperatore Henrico tertio, cuius iamdiu fuerat Cancellarius & intimus Consiliarius. Præfuit annis sedecim. Instituit Henricum quartum. Aedificauit palatium Episcopale, Cathedrali D. Virginis Basilicæ contiguum: Falckensteinium item arcem in Alpibus Algouiæ sitam. Fuit inuisus Henrico Regi et Episcopis omnibus eo quòd Agneti Imperatrici, Henrici tertij coniugi, non sine adulterij suspicione ab intimis esset consilijs, & quod superbius æquo usurparet gubernationem. Quod cum animaduerteret & subolceret ille, commode sese subducens in arcem suam Falckensteinensem munitissimam recepit, quam Henricus quartus obsidione cinctam tanta ui oppugnauit, ut ad deditionem Episcopum cogeret, cuius uitæ tamen se parsurum pollicebatur Rex, longe aliud animo uoluens, quàm ore polliceretur: Descendentem uero ex arce

cum

eum quingentis uiris, & ueniam commiſsi petentem, in tentorium ſuum Rex duxit, ubi coleis eius ligneo palo pertuſis, miniſtris ut Auguſtam eum abducerent, reddidit. Sed mortuus eſt Epiſcopus antequàm Auguſtam perferretur, in uigilia S. Barbaræ, anno dominicæ Incarnationis 1063.

30. EMBRICVS, Imbricus uel Emicho comes à Leyningen Præpoſitus ſummi tẽpli Moguntini, conſtituitur in Epiſcopum Auguſtanũ ab Henrico 4 Rege, anno dominicæ Incarnationis Milleſimo ſexageſimo quarto in ipſo feſto purificationis. Præfuit laudabiliter annis quatuordecim. Conſtruxit Monaſterium S. Martini, & Sacellum S. Gertrudis: ampliauit cœnobium S. Vlrici, & magnificum templum eiuſdem cœnobij pulchre abſoluit & conſecrauit, anno Domini Milleſimo ſeptuageſimo primo. Author fuit nobili ac illuſtri comiti de Baltshauſen & Schwabegk Swiggero, ut is templum S. Petri ac fœlicis conſtrueret. Fuit munificentiſsimus pater omnium pauperum, orphanorum & uiduarum: Imperatori Henrico quarto ita charus, ut ab eo ſingulis annis ſemel inuiſeretur. Erat omnium diſcordiarum & controuerſiarum inter principes Germaniæ ſuo ſæculo ortarum diligentiſsimus tranſactor & fœliciſsimus compoſitor. Miſſus aliquando ab Imperatore ad Longobardos, ibiq; captus, eloquentia ſua ſe facile ipſe liberauit. Deceſsit ex hac lachrymarum ualle, tertia Auguſti,

anno Domini 1077. Sepelitur in Cathedrali eius loci Ecclesia ante sacram crucem.

31. SIGEFRIDVS secundus, comes à Dornberg, etsi sint qui Marsallum à Dornsperg fuisse credant: eligitur anno Domini 1077 à maiori parte Canonicorum summi Collegij in Episcopum Augustanum. Contra illum ab alia parte constituitur Episcopus Øwigoldus quidam, qui quis fuerit ignoratur. Sigefridus Augustæ, Øwigoldus fussenij residebat: ubi uterq; sibi ex circumiacentibus ac uicinis Regulis querebat auxilia & præsidia, quibus se sperarct gubernaculum Episcopatus retinere posse. Sic per septennium disceptatum est acerrime, cum summa Episcopatus rerum iactura: Accidit autem, ut anno Domini 1084 Henrico IIII in Italiam profecto, urbs Augustana per proditionem à Leopoldo Austriæ Marchione & Hermanno Sueuorum duce capta, diriperetur tota & magna eius pars incendijs etiam uastaretur una cum Episcopali palatio ac plurimis templis. Discedentibus uero his primis hostibus mox uenit ex faucensi oppido Øwigoldus etiam Episcopus, rapiens quicquid inueniret reliquum, misere etiam tractans Canonicos, qui ipsi non dedissent sua suffragia. Tandem & ipse præda onustus sese ad faucense suum oppidum recepit. Redeunte Imperatore Henrico quarto in Germaniam, dederunt pœnas suæ audaciæ grassatores illi principes. Imperator Augustam uenit, & cum eo etiam Episcopus Sigefridus:

qui

qui iam quietem se habiturum sperans, cœpit omnia iterum instaurare, quæ erant collapsa & uastata. Vix abierat quadriennium: cum noui hostes ueniunt, Guelpho uidelicet Bauarorum dux summa ui urbem Augustanam mediocriter tum munitam oppugnans, quam cum aperta uirtute uincere non posset, ad fraudes dolos & proditiones confugit: quibus post pauculos dies urbe potitus est. Is urbem diripuit, incendit ac uastauit miserrime, muros omnes disiecit ac solo æquauit: Episcopum Sigefridum cæpit & Rauenspurgum abduci & in carcerem conijci mandauit. Habebat Episcopus apud se fidelem quendam ministrum, uirum nobilem Vdalricum pincernam de Blanckenberg: is defensurus Dominum suum, & se hosti pro eo obijciens, ut Clytus olim pro Alexandro, à Guelpho trucidatus est. Qui in summa Basilica D. Virginis terræ mandatus, postea ab Episcopo Sigefrido Augustam redeunte tali monumento donatus est.

Pontificis fidi uitam tego dum Sigefridi,
Vdalricus ego, sic tibi notus ero.
Welpho ferens aciem, gladio me strauit inermem:
Ne patiar gladios (tu pete) Tartareos.

Cæperat Guelpho Episcopum non aliam ob caussam, quàm quod nollet ille Guelphones habere pro aduocatis ac defensoribus Episcopatus Augustani, cum semper antecessores Episcopi aduocatum suo arbitratu sibi constituissent quem uoluissent. Capto autem Sige-

frido, uenit Augustam ex faucensi oppido Vuigoldus, is Guelphonem pro aduocato libentissime se habiturum ultro pollicetur: sed cum uideret urbem non direptam solum, sed totam pene miserrime uastatam ac laceratam esse: Fussenium redijt, ubi animi mœrore confectus, post pauculos menses obijt: cum iam à prima electione utriusq; duodecim anni effluxissent. Sepelitur in cœnobio S. Magni. Guelpho audiens & Vigoldum naturæ debitum absoluisse, constituit & vernherum quendam, ut is Episcopatui Augustano post hac præsit: sed & ille moritur, antequam Augustam ingreditur. Accersiuit igitur Guelpho ex diuitis Augiæ cœnobio, Eckenardum Abbatem & comitem Nellenburgensem, qui dictæ Abbatiæ laudabiliter iam præfuerat annis septendecim. Is cum Augustam proficisceretur, in itinere læthali morbo correptus, se ad Monasterium suum iubet reuehi & ibi post pauculos dies etiam huic uitæ mortali & Episcopatui ualedicit. Guelpho nondum uidens diuinitus repeti ad Augustanæ Ecclesiæ gubernationem Sigefridum, alium querit, quem Episcopatui deserto præficiat. Ibi prosilit Abbas quidam Campidonensis, qui ipse in Italiam profectus, ut apud Pontificem & apud Cæsarem pro Episcopatu consequendo laboraret, in eadem etiam profectione ex hac mortali uita est euocatus. Sic tribus annis post secundam urbis uastationem elapsis, Sigefridus tandem magna pecunia à Guelphone redimi-

dimitur, qui domum reuersus non diu postea superstes mansit. Valedixit autem mortalium hominum conuersationi ipsa die S. Barbaræ anni à nato Christo Millesimi nonagesimi sexti, cum à prima electione octodecim anni effluxissent, quibus non erat admodum diuturna quiete aut tranquillitate potitus: uir dignus certe meliore fortuna, & uita fœliciore.

31. HERMANNVS comes à Wittelsbach ex Bauaris natus, luscus ex oculorum uitio appellatus, alijs tamen monoculus: successit Sigefrido, anno dominicæ incarnationis Millesimo nonagesimo sexto, Non legitime electus, sed Simoniacis artibus Episcopatum ab Henrico quarto per fratrem Vlricum à Wittelsbach uerius emens, quàm precibus uel authoritate obtinens. Præfuit sed non admodum laudabiliter annis triginta octo. Restaurauit mœnia & dirutos uastatosq; à Guelphone muros, urbem longe faciens, quàm fuisset antea, ampliorem ac munitiorem. Commutauit hanc uitam, anno Incarnati filij Dei Millesimo centesimo tricesimo tertio. Huius Episcopi temporibus præfuerunt aduocatiæ Episcopatus Augustani Conradus & Wernherus fratres, illustres ac generosi comites à Balzhausen & Schwabegk, fundatores Præmonstratensium magnificentissimi cœnobij Vrspergensis in Sueuis, medio ferè itinere inter Vlmam & Augustam ad Mindulam amnem siti.

Cui præest hac tempestate, & præfuit iam uiginti sex annis ita laudabiliter, ut secundus sui cœnobij fundator dici possit Reuerendus in Christo pater ac Dominus, Thomas cognomento Magnus, Magister Colonicnsis, Abbas optimus ac humanissimus. Sub hoc ipso Episcopo, constructum est in hac ipsa uicinia, ab eorundem comitum à Schwabegk sorore, Domina Gisela, laudatissima puella: magnificum cœnobium nobilium Virginum, quæ ibi ut in domo disciplinæ & honestissimorum morum sub Abbatissa liberalissime educatæ, postea prodire & nubere solent. His præest nunc & præfuit septem iam annis laudabiliter, Nobilis ac magnifica Heroine, Reuerenda D. REGINA à Rorbach cum corporis tum ingenij bonis præstantissima: & wolffgangi à Rorbach ac Dorotheæ à & wilden & wart omni laude dignissima filia.

33. VVALTHERVS Palatinus Tubingensis, eligitur in Episcopum Augustanum unanimi totius cleri consensu anno Domini 1134, decima nona Aprilis. Præfuit fideliter & utiliter annis sedecim. Fundauit & construxit cum fratre suo monasterium Brentianæ uallis Anhusium, ordinis D. Benedicti. Ab hoc ipso Episcopo fundatum & constructum est anno Domini 1135 & absolutum anno Domini 1142 monasterium S. Georgij ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, quod est intra muros urbis Augustanæ. Resignauit Episcopatum libere anno Domini 1150: & profectus

in ma

in Monasterium orientalis Franciæ Selgenstadium, ibi reliquum uitæ absoluit. Obijt anno Domini 1153, nona Septembrium. Sepelitur in templo Selgenstadensis cœnobij honorifice. Post eius ex Augusta discessum, magna pars urbis miserabili incendio deleta est.

34. CONRADVS comes à Lutzelnstein, Alsata: eligitur unanimi consensu totius cleri anno Domini 1152. Præfuit laudabiliter annis quindecim. Obijt anno Domini 1167. Sepelitur honorifice apud S. Vlricum in loco capitulari: habitauit enim quatuor tantum annis in palatio Episcopali, reliquum uitæ, undecim uidelicet annos in S. Vlrici cœnobio relligiosissime transigens, & sub instituto Benedictino nihilominus tamen Episcopatum sapientissime gubernans.

35. HARDOVIGVS uel Hardowicus, nobilis heros à Lierheim, ex Rhiæsa natus: ex monacho & priore Cœnobij S. Vlrici constituitur Augustanæ urbis Episcopus anno Domini 1167. Præfuit annis septendecim in summa inquiete ac temporum difficultate. Assumpsit in aduocatos ac patrones defensoresq; sui Episcopatus, mortuis iam omnibus comitibus à Schwabegk, bono studio fridericum Barbarossam Imperatorem, & eius filios: cum autem arbitrarentur Guelphones Rauenspurgi residentes id ius ad se meliori titulo, quàm ad Sueuiæ duces pertinere, multas turbas mouerunt Episcopo, sua natura omnino pacifico ac bono principi. Obijt anno Domini 1184, uicesima quinta Ia-

nuarij, sepelitur honorifice in Cathedrali D. Virginis Ecclesia, ante aram S. Gregorij. Præcedente anno perijt calamitosißimo incendio totum Monasteriũ S. Vlrici cum multis adiacentibus priuatorum ciuium ædibus in die S. Alexij decima septima Iulij: Anni à nato Christo Millesimi centesimi octuagesimi tertij.

36. VDALSCALCVS comes à Thennenlohe, etsi sint qui eam familiam non Thennenlohe sed Eschenlohe uocant. Eligitur ex præposito summi templi Augustani, in eiusdem antistitem ac Episcopum uicesima sexta Ianuarij anni à nato Christo Millesimi centesimi octogesimi quarti. Præfuit laudabiliter ac utilißime annis octodecim, mensibus quatuor: decessit ex hoc mortali sæculo in ipsis Iunij Calendis, anno Domini 1202. Sepelitur in Cathedrali Basilica, ante crucem maximam: ubi etiam Embricus Episcopus terræ mandatus est. Huius Episcopi subsidijs reædificatum, & ab eodem etiam, anno Domini 1187 denuo consecratum est Cœnobium S. Vdalrici, præsentibus Imp. Friderico Barbarossa eius q; filijs: & Episcopis, Conrado Moguntino, Othone Frysingensi, Hermanno Monasteriensi, Othone Aystatensi, & Bertholdo Tulnensi. Ab eodem Episcopo dedicatum & consecratum legitur denuo cœnobium Benedictinum S. Crucis in Danubiana uel Sueuica Swerdea: quod anno Domini 1100 à Mangoldo comite Dillingensi ac Kiburgensi pro monialibus constructum ac fundatum erat, quibus co-

mes

mes ipse suam filiam, Dominam Gunderadin præfecerat primam Abbatissam, sed cur sexus ibi mutatus sit, non inuenio. Idem ille Episcopus legitur primus fuisse fundator cœnobij Augustani, ad S. Crucem: in quod transtulit ille Canonicos ordinis S. Augustini ex Hamelbergo, loco non procul ab urbe sito: in quem eosdem nuper adeo Conradus Episcopus ex Muterhosensi cœnobio (ubi primum iste conuentus cæperat ex liberalitate Marsallorum à Biberach) transtulerat. Hæc secunda eius cœnobij translatio facta est, anno Dominicæ incarnationis 1194. Indictione duodecima.

37. HARDOVVICVS secundus huius nominis successit Episcopo Vdalschalco, electus concordibus totius Augustani cleri suffragijs, anno Domini 1201. Non consequutus est confirmationem propter maximos tumultus, qui tum erant in Germania. Præfuit tamen laudabiliter ac prudenter annis sex. Obijt in Vigilia S. Apostolorum Philippi & Iacobi, anno 1208.

38. SIGEFRIDVS nobilis à Rechberg, præpositus summi templi Augustani, constituitur ac designatur eiusdem loci summus antistes ac Episcopus anno Dominicæ Incarnationis 1208. Erat Regi Philippo eximie charus, in cuius aula habebat fratrem Hildebrandum à Rechberg, strenuum uirum, & ut Imperatori fidelissimum, ita etiam charissimum: qui Bambergæ ea ipsa hora unà cum Dapifero quodam à Walburg, & alio nobili uiro à Caledin (à quo

Marsalli

Marſalli Bappenheimenſes deſcendere dicuntur) apud Regem Philippum præſens fuit, & ut cæteri quoq; inermis, cum irrueret in optimum ac pijſſimum Imperatorem ſeditioſus Sicarius Otho Palatinus à Vuittelsbach: quem indigniſſimum homicidam paucis diebus poſt, idem ille nobilis heros à Caladin ſibi obuium factum interfecit. Præfuit Epiſcopus Sigefridus annis nouendecim. Obijt anno Domini 1227 Brunduſij in Italia cum ſequeretur Imp. Fridericum ſecundum, proficiſcentem Hieroſolymam.

39. SYBOTHO Baro à Gundelfingen, eligitur in præſulem Auguſtanum anno Chriſtianæ redemptionis 1227, præfuit ſumma cum laude ac utiliſſime annis uiginti quinq;: fuit Epiſcopus eximia uirtute, & uitæ integritate præditus. Tranſtulit monialium Ciſtercienſis inſtituti collegium ex oppidulo Birckheim, in amœniſſimum locum, in quo Lycus influit in Danubium: appellans nouum illud Monaſterium Schonenfeldum: id factum eſt anno Domini 1241. Reſignauit libere Epiſcopatum Auguſtanum, Canonicorum ſenatui cũ ſumma gratiarum actione: anno Domini 1252: & in Cæſarienſe monaſterium, in quo fratrem habebat Henricum Baronem à Gundelfingen, ſeſe Relligionis ergò conferens, in eo decem adhuc annis, ueſte monaſtica indutus, ſub Bernhardini inſtituti profeſſione honeſtiſſime uixit. Obijt anno Chriſti Milleſimo ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, ipſa die aſſumptionis, Beatæ uirginis

ginis Mariæ, sepelitur in choro Cæsariensis monasterij: sub Wolwico nono eius loci Abbate.

40. HARTMANNVS comes, natus patre Hartmanno comite à Kiburg et Dillingen, matre uero Wilburga comitissa à Kelmuntz in Seflingensi monialium cœnobio à se fundato sepulta: subrogatur antistiti Sibothoni consensu totius Capituli anno Christi 1252. Præfuit laudabiliter ac utilissime annis triginta tribus: fuit princeps mitis, benignus & clemens, ac iccirco bonis omnibus charissimus: breuiter, omni uirtutum genere mortalium nemini secundus, gentis & familiæ suæ ultimus. Dedit iccirco Ecclesiæ Augustanæ ciuitatem & arcem Dillingensem, & uniuersum comitatum Wittislingensem perpetuis temporibus possidendum, & omnes ferè pagos usq; ad Werdeam Sueuicam sitos. Fundauit & construxit de suis proprijs facultatibus Xenodochium Augustanum ad S. Spiritum, & Xenodochion etiã Dillingense. Fundauit cum patre Hartmanno & matre Wilburgi adhuc superstitibus Medingense monialium cœnobium in agro Dillingensi situm. Eiusdem Episcopi subsidijs constructum & fundatum est cœnobium etiam S. Catharinæ intra muros Augustanos. Decessit tandem optimus aclongiore uita dignissimus præsul, ex hac mortali ad immortalem, ex momentanea ad æternam uitam, in die S. Vlrici anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo sexto. Sepelitur in Basilica Cathedrali ante crucẽ Maximam.

Potest

Potest non inconuenienter secundus fundator Episcopatus Augustani appellari.

41. SIGEFRIDVS nobilis ab Elrichshausen Ostrofrancus: successit Hartmanno antistiti Canonice electus anno Domini 1186, præfuit optime annis duobus, emit Episcopatui castrum Pfersheym uicinum urbi Augustanæ. Obijt anno Domini 1188 in die S. Martyrum Iouinis & Pauli, mense Iunio. Sepelitur in Basilica Cathedrali ante crucem maximam prope alios suos antecessores.

42. VVOLHARDVS nobilis à Rodt, Sueuus: Sigefridi Episcopi antecessoris sui uterinus, eligitur in inspectorem ac gubernatorem Episcopatus Augustani 16 Augusti, anno Domini 1188. Fuerat antea diu Canonicus summi Collegij Moguntini, ubi cum multa collegisset, ea omnia iam liberalissime dedit ad restitutionem Episcopatus Augustani. Præfuit laudabiliter annis duodecim. Obijt in octaua trium Regum, anno reparatæ salutis 1300. Multas dedit arces Episcopatui, plures in Marchionatu Burgouiensi emit. Transtulit in urbem Augustanam, monialium cœnobium S. Margaridos, ordinis S. Dominici: fundatum antea tribus miliaribus ab urbe ad Mindulam amnem, à suis maioribus nobilibus à Rot.

43. DEGENHARDVS Baro ab Helenstein & Heydenheim, Hartmanni Episcopi & Dillingensis comitis è sorore nepos, præpositus S. Mauricij: eligi-

tur an-

tur anno Domini 1300. Præfuit annis septem: Obijt 15 Nouembrium, anni à nato Christo 1307.

44. FRIDERICVS Speet, nobilis à Faymingen Sueuus: eligitur cõcordibus totius summi Canonicorũ Augustensium senatus sententijs in Episcopum Augustanum, anno reparatæ salutis 1307. Præfuit summa cum laude, & pari Episcopatus utilitate ac commodo annis uiginti duobus. Ampliauit urbem Augustanam maxime. Fundauit cœnobium Dillingense minoris congregationis (ut uocant) monialium. Author etiam fuit quatuor Prouisorũ, summæ Basilicæ Augustanæ, qua fundatione pigritiæ fortassis Canonicorum summi collegij consultum fuit. Obijt tandem anno salutis 1330, sepelitur in Basilica Cathedrali.

45. VLRICVS nobilis heros à Schoneck, successit Episcopo Friderico, Canonice ac legitime electus, anno Domini 1330, præfuit laudabiliter sex annis, Obijt anno dominicæ Incarnationis 1336. Fuit Imperatori Ludouico Bauarorum duci charissimus, cui cum fideliter adhæreret, confirmationem à P. M. Ioanne uicesimo secundo impetrare non potuit: quam tamen postea à Benedicto undecimo Ludouici Bauari amico facile est consequutus. Vendidit quædam castra & quosdam pagos Imperatori Ludouico, quos tamen ille uicissim contulit, & donodedit Cœnobio Benedictino Ebetal, recens à se condito, in honorem beatæ Virginis Mariæ, in quo duodecim comites uel Barones

ad pau-

ad pauperiem redacti cum coniugibus sub Abbate uiuere, & Deo seruire, & honeste tractari deberent. Est id cœnobium in Frisingensi Episcopatu situm.

46. HENRICVS à Schoneck, germanus frater Vdalrici: eligitur Canonice intercedentibus precibus Imperatoris Ludouici Bauari, anno Domini 1357: fuit antea summi collegij præpositus, præfuit duodecim annis: & quia adhæreret Imperatori Ludouico Bauaro, excommunicato, deiectus est & exauthoratus à Pontifice, anno Domini 1349, & in eius locum assumptus & constitutus Marquardus nobilis à Randeck, qui iam confirmationem impetrarat à Clemente sexto, Pontifice Maximo. Videns autem Henricus nihil se posse efficere in tali rerum statu, reseruata sibi annua pensione, quam facile obtinuit, cessit Marquardo: reliquum uitæ in Sueuorum Gamundia transigens, ubi omnibus ciuibus charus, decessit ex hac mortali uita, & honorifice sepelitur in D. Virginis parrochia anno Domini Millesimo trecentesimo sexagesimo octauo.

47. MARQVARDVS nobilis à Randeck, Neidlingus cognominatus, natione Sueuus: intruditur in Ecclesiam Augustanam, à Pontifice Maximo Clemente sexto, contra Henricum antistitem excommunicato Imperatori adhærentem. Confirmatur anno Domini 1349: præfuit uiginti annis, raro Augustæ, sed semper ferè Imperatoris Caroli quarti aulam sequens, cuius etiam aliquandiu Vicarius fuit siue Locum tenens in

Italia

Italia: ubi à Mediolanensibus semel captus, mox tamen à Carolo Imperatore liberatus est. Impetrauit inter alia à Carolo quarto potestatem cudendæ monetæ: Designatus anno Domini 1368 Patriarcha Aquileianus, Augustani Episcopatus gubernationem summa gratiarum actione resignauit senatui Canonicorum. Præfuit Patriarchatui annis adhuc tredecim, & obijt anno 1381. Cumq; paucis annis ante suam mortem audiret, esse grauissimas controuersias, inter senatum populumq; & Episcopum Augustanos unius, ac duces Bauariæ, alterius partis: uenit Augustam, & post uarias ibi habitas deliberationes ac grauissimas actiones pius arbiter & conciliator, omnibus dissidijs compositis, & è medio sublatis, in optimam gratiam ac concordiam, cum urbem & Episcopum, tum Bauariæ duces fœlicissime reduxit.

48. VVALTHERVS patre nobili heroe ab Hohenschlitz, matre uero illustri Domina à Randeck in Sueuis natus, auxilijs Marquardi antecessoris sui non tantum Episcopatus Augustani gubernationẽ, eo adhuc præsidente etiam consequutus est, sed Imperatori Carolo quarto etiam ita ab eodem insinuatus, ut & ipse Imperatoris fuisset aliquot iam annis Vicarius ac Locum tenens in Italia: cui dignitati ac officio ita præfuerat, ut apud omnes homines laudem facile sibi comparasset maximam. Ad gubernationem uero Episcopatus infœliciter accessit: id ita accidit. Emerant ante

aliquot annos maiores ipsius, nobiles ab Hohenschlitz, oppidum et castrũ Mindelheymense in Sueuis, cũ adiacẽte territorio: quod quia Duces Deccenses ui illis occupassent ac aliquãdiu iã per uim tenuissent, sperabant se ad auxilio huius Episcopi, cognati sui facile recuperaturos. Instant ergo Episcopo precibus tam diu, donec ad arma sumenda eum incitarent, conscripto igitur exercitu Mindelheymium obsidione cingit, & adactis arietibus oppugnat. Sed quia Deccensis dux ad uim omnem sustinendam instructus esset, ut qui uaria haberet subsidia ex &werdenbergensi, Veringensi ac Zollerano alijsq; pluribus comitatibus, Episcopi obsidionem non admodum curauit. Cum autem aliquãdo incautius obambularet Episcopus in castris ad oppidũ positis, tactus lethali telo Alberti comitis &werdenbergensis, ex arce Mindelheimensi misso, illico occubuit, ipsa die S. Francisci, anno Domini 1369 cũ non diu Episcopatui præfuisset. Sic belli ac obsidionis Mindelheymensis iam finis erat. Episcopus mortuus Augustam reuectus, in summæ Basilicæ sacello D. Agneti sacro & à nobilibus ab Hohenschlitz olim fundato sepultus ac terræ parenti cum summo omnium luctu redditus est. Sub huius Episcopi gubernatione cæperunt Augustæ Vindelicorum Tribus aut Curiæ, hoc est, summa Imperij ad plebem translata, & ex Aristocratia facta est Dimocratia.

49. IOANNES cognento Schadland, ordinis

prædica-

Prædicatorum Monachus, & sacræ paginæ doctor: constituitur à Rom. Pont. (cui diu Romæ seruiuerat) Episcopus Hildesianus, cui cum duobus annis præfuisset, & uideret eam gubernationẽ contentionum ac periculorum esse plenissimam: resignata ea, Romam redijt: ubi anno Domini 1368, & Augustanum & Wormaciensem Episcopatum consequutus est. Augustam autem ueniens anno 1369 cum uideret ibi parum esse quietis, corrasis Ecclesiæ clinodijs Wormaciam se contulit: tandem anno 1371 Augustana Ecclesia resignata, soli Wormaciensi post uarios etiam habitos ibi tumultus quiete tandem præfuit. Vide de eo Catalogum Wormaciensem.

50. BVRCARDVS nobilis heros ab Ellerbach, eligitur unanimi consensu totius summi Canonicorum senatus, in Episcopum Augustanum, anno Domini 1373, præfuit utilissime triginta annis: obijt anno 1404. Sepelitur in Cathedrali Basilica Augustana. Habuit grauissimas contentiones cum senatu populoq; Augustano, tãdem anno Dominicæ incarnationis 1397 post utrimq; acceptã cladem fœliciter compositas.

51. EBERHARDVS comes à Kirchberg, designatur Episcopus Augustanus ab unanimiter consentiente Canonicorum summi collegij senatu, anno 1404. Præfuit septem annis non admodum utiliter, semper Dillingi habitãs. Obijt anno 1411. Sepelitur in Wiblingen Benedictini instituti cœnobio, non procul ab Vlma ad

Ilerum amnem sito, & anno Domini 1099 ab Othone & Hartmanno fratribus comitibus à Kirchberg fundato, ac liberatißime donato.

52. ANSHELMVS nobilis heros à Nenningen, Sueuus: eligitur ex Custode Cathedralis Ecclesiæ, unanimi consensu totius cleri in Episcopum Augustanum, anno Domini 1411. Quem cum maxime odisset senatus Augustanus, facile apud Imperatorem Sigismundum obtinuit, ut is alium quendam Episcopatui Augustano præficeret: habita uero deliberatione cũ Pontifice Maximo Bonifacio nono, elegit ille Fridericum quendam nobilem à Grafenegk, Abbatem cuiusdam cœnobij Vngarici, sibi imprimis charum: is Augustam anno sequenti ingressus, clementer exceptus est à senatu populoq;, ab aliqua item cleri parte, quæ Fridericum aræ impositum, Episcopum agnoscebat. Inter hos duos disceptatum est annis nouem: coram & Imperatore & Pontifice. Senatus Augustanus tandem anno Domini 1420, auro sententiam à Pontifice Martino quinto impetrauit, talem uidelicet ut uterq; cederet. Anshelmus uidelicet & Fridericus: assumeretur uero in Episcopum Petrus Schaunbergius, nobilis Ostrofrancus, Pontificius tum minister. Sic Anshelmus Blabyram secessit, & ibi reliquum uitæ in eiusdem oppidi Monasterio transegit, in quo mortuus ac terræ mandatus est, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quadringentesimo uicesimo secundo. Fride-

ric

dericus ad suam Abbatiam in Pannonias redijt, & si sint qui eum Brandenburgensem Episcopum designatum esse affirment: quem ego tamen in Brandenburgensium Episcoporum Catalogo non inuenio.

53. PETRVS nobilis à Schauenberg, Ostrofranc⁹: Canonicus Bambergensis ac Herbipolensis, constituitur Episcopus Augustanus à Pontifice Maximo Martino quinto, anno Domini 1410. Confirmatur & consecratur anno Domini Millesimo quadringentesimo uigesimo quarto. Erat uir eximie doctus, eloquentia ac prudentia summa nemini secundus: dederat operam literis in Academia Bononiensi: Interfuit Concilio Basilienſi. Fuit Imperatori Friderico tertio imprimis charus, qui eius utebatur opera & consilio in maximis Imperij negotijs expediundis. Præfuit post consequutam confirmationem, Episcopatui summa cum laude ac utilissime annis quadraginta quinq;. Ornatur Cardinalitio Galero & titulo. S Vitalis Romæ in anno Iubilæo, à Pont. Max. Nicolao quinto. Composuit et redegit in gratiam ac concordiã disceptantes inter se Galliæ & Angliæ Reges & Burgundionum ducem, missus ab Imperatore Friderico tertio: Composuit duces etiam Bauariæ grauissime inter sese discordes. Erat liberalissimus erga pauperes. Paucis mensibus antequàm ex hac mortali uita emigraret, assumpsit cum totius Capituli sui consensu coadiutorem, Iohannem comitem à Werdenberg. Obijt plenus dierum

& senio maxime confectus in arce Dillingensi, duodecima Aprilis, anni à nato Christo 1469. Reuchitur Augustam & ibi in Cathedrali Basilica ante aram S. Victoris honorifice sepelitur, cum tali inscriptione.

Petrus eram Schawnberg quondã de stirpe creatus,
Pilea rubra tuli quæ mihi Roma dedit.
Cardineos titulos sancti Vitalis habebam,
Vindelicam rexi Præsul hic Ecclesiam.
Quadraginta & quinq; illic præsædimus annis,
Cardineos titulos gessimus, octodecim.

54. IOANNES patre comite à &werdenberg natus, matre uero comitissa &wirtenbergensi: assumitur à uiuente adhuc Cardinale & Episcopo Petro in coadiutorem. Postea mortuo Petro, eligitur unanimi consensu totius cleri etiam in Episcopum, anno 1469. Ingressus est Augustam insigni comitatu, mille & octingentorum equitum, decima septima Iunij, anno 1470. Præfuit laudabiliter ac utilissime annis 17: Renouauit & egregie illustrauit arcem Dillingensem, in qua semper ferè habitare solitus est. Obijt uicesima Ianuarij, anno Domini 1486 Francofurti in Comicijs, in quibus eligebatur in Imperatorem Romanorum, Diuus Maximilianus Friderici tertij filius. Reuectus est Augustam, & in Cathedrali Ecclesia sepultus cum tali Epitaphio.

&werdenbergensi comitum de gente IOANNIS
Præsulis Augũstæ hoc sunt sita membra solo:

Incly-

Inclyta par generi uirtus cui præstitit, ut post
Fata sui uiuat charus in ore gregis.
Ossa diem tellus fouet expectantia magnum,
Ortus dum recolit spiritus ipse suos.
Sit tibi terra leuis præsul dignissime uita:
Dignus & Angelicis qui sociere choris.

55. FRIDERICVS patre comite à Zollern natus, matre uero comitissa &werdenbergensi, Episcopi Ioannis sorore: Decanus summi collegij Argentinensis: eligitur à toto senatu Canonicorum in Augustanæ Ecclesiæ antistitem, intercedentibus pro eo Diuis Friderico & Maximiliano Imperatoribus. Præfuit annis nouendecim: erat uir mitis ac pius & castus, omnibus hominibus longe charissimus, Episcopatus sui diligentissimus ampliator ac locupletator, Maximus interim Eleemosinarum distributor. Tandem iusto auarior factus, insolitis exactionibus subditos suos onerauit: ex qua re natum fuisset ingens bellum, nisi quicquid erat inter Episcopũ & Rempub. Augustanam dissidij à comite quodam Montis sortis compositum et transactum esset. Leuauit de tumulo Sanctum Simbertum Episcopum Augustanum in præsentia Imperatoris Maximiliani. Hohenzollern arcem maiorum suorum egregijs ædificijs illustrauit: Burladingum arcem Alpium Sueuiæ ex imis fundamentis instauravit: Hechingum pulchre illustrauit & renouauit.

Arcem Dillingensem ampliauit & adiacente horto exornauit. Decessit ex hac mortali uita, 8 Martij, anno Domini 1505, ætatis suæ quinquagesimo quinto: sepelitur Augustæ in Basilicæ Cathedralis sacello Sanctæ Gertrudi dicato, cum tali inscriptione:

Fridericus comes de Zorn, Episcopus Augustanus, pietate insignis, memoriæ suæ P. Obijt anno salutis Millesimo quingentesimo & quinto, Octaua Martij.

56. HENRICVS nobilis heros à Lichtenaw, ultimus suæ gentis, utriusq; Iuris eximius doctor, uir eximia sapiẽtia ac uirtute præditus: pacis ac trãquillæ uitæ studiosissimus: summi collegij Canonicus ac Vicarius: eligitur unanimi totius Capituli consensu in Episcopum, in ipsis Maij Calendis, anni Christianorũ Millesimi quingentesimi quinti. Præfuit annis duodecim summa cum laude. Obijt duodecima Aprilis anni à nato Christo 1517, ætatis suæ septuagesimo septimo. Absoluit arcem Dillingensem: Aedificauit in eodem oppido magnificum templum Sancti Vlrici contiguum minori monialium congregationi, quod monasteriolum clausit. Denuo reædificauit ex imis penè fundamentis arces Khillentalensem ac Zusmarhusanam. Illustrauit nouis ædificijs Palatiũ Episcopale, quod est in Augusta Vindelicorũ. Cũq; senio cõfectus ægrotaret, assumpsit cum totius Capituli consensu in coadiutorem dominũ Christophorum à Stadion, summi Collegij Decanum.

Obijt

Obijt Dillingi tandem in ipsa auroradiei, quæ resurrectioni Christi dicata est, cum rationis optime adhuc compos, omnibus, ac singulis consiliarijs porrecta manu ualedixisset. Postero die Augustam auectus, in Cathedrali Ecclesia & S. Gertrudis sacello post summam aram honorifice cũ summo omnium suorum luctu sepelitur, superaddito eius tumulo tali Epitaphio

Monumentum Henrici ex familia de Lichtenow Episcopi Augustensis, optime de Ecclesia sua meriti, q obijt Anno salutis 1517. duodecima Aprilis.

57. CHRISTOPHORVS à Stadion, nobilis genere, nobilior eruditione, nobilissimus uirtute, ac meritorum dignitate, Decanus summi Collegij: assumitur primum ab Episcopo Henrico decrepito ac ualetudinario Principe in gubernationis coadiutorem. Postea uero decedente ex hac mortali uita antistite Henrico, eligitur unanimibus totius Capitul. suffragijs, in Episcopum ac supremum gubernatorem, Anno reparatæ salutis 1517. Doctor erat utriusq; IVRIS, omnium eruditorum ac aliqua doctrina præstantium incomparabilis fautor ac Mœcenas: pietate, liberalitate, benignitate in pauperes, clementia, & conseruandæ publicæ pacis studio nemini mortalium secundus. Discordiarum ac disceptationum inter Principes ortarũ, diligentissimus ac fœlicissimus conciliator: Verus in hoc Patriæ pater, & iccirco omnibus doctis, omnibus bonis charissimus: Interfuit multis Comicijs, primis

uidelicet, anno domini 1518 à Diuo Maximiliano Augustæ celebratis, postea Carolinis ferè omnibus in quibus semper pacis suasor ac author extitit. Præfuit Episcopatui Augustano summa cum laude, & ut prudentissime sic etiam utilissime annis uiginti quinq;, semper ferè Dillingi residens cum toto clero, qui propter mutatum genus doctrinæ ex Augusta secesserat. Construxit & fundauit Xenodochium Zusmerhusanum, tribus lapidibus ab urbe. Decessit ex hac mortali ad immortalem ex lugubri ad omnis tristitiæ expertem, ex momentanea ad æternã uitam, anno incarnati uerbi 1543 Noribergæ in comitijs à diuo Ferdinando Romanorum, Bohemiæ & Hungariæ rege habitis, quibus interfuit & Cæsareæ maiestatis commissarius præfuit in arduis imperij negotijs. Intestina eius in cœnobio Egidiano, terræ parenti reddita sunt: Ipse honorifica pompa funebri, cum non suorum tantum sed omnium bonorum luctu, Dillingum reuectus, & ibi honorifice sepultus ac terræ mandatus est, in Collegiata eius oppidi Ecclesia. Huic incomparabili Episcopo, domino ac Mœcenati meo clementissimo, Epitaphion à me gratitudinis ac memoriæ ergò positum est, in sylluarum mearum libro primo, Lipsiæ eodem anno (quo obijt optimus Episcopus) ædito.

58. OTHO laudatissimi comitis, domini Gulielmi Dapiferi à Kwalburg filius, sub præceptore Luca Landistrato legum imperialium eximio doctore, fundamenta

menta bonarum literarum Tubingæ fœliciter iaciens, mox deinde cum eodem ad celeberrimum Gymnasium Doleianum in Burgundionibus situm missus, cum ibi etiam aliquandiu summa cum laude in honestarũ artium ac liguarũ studijs uersatus esset, tandẽ eodẽ duce ad omnium Italiæ nobilissimam Academiam Patauinam profectus est, ubi adolescens tam carmine quàm soluta oratione cum doctissimis Italis animi caussa certare est ausus. Papiæ etiam aliquamdiu uersatus, electus est ibi in Academiæ rectorem, ut Alciati doctissimi Iurisconsulti ædita oratio testatur. In Germaniam postea reuersus, anno domini 1543. eligitur unanimi totius cleri consensu, Dillingi in Episcopum Augustanum: Sequente anno donatur Vuormatiæ Galero Cardinalitio, factus Presbiter Tituli S. Balbinæ. Est summis orbis terrarum principibus Diuis Carolo quinto, ac Ferdinando fratribus charissimus. Præest adhuc anno Christi 1549. quo unà cum uniuerso clero suo, Augustam redijt.

Seruet eum, fortunet eum, qui temperat orbem
Cunctaq; ab ætherea Iupiter arce uidet.
Illum ipsum unanimi consensu numina cœli
Pontificem faxint Maxima Roma tuum:
Secula sic fortasse aderunt fœlicia rursus
Qualia Saturni secla fuisse ferunt.

AD

AD NOBILISSIMAM VRBEM Herbipolensem in Ostrofrancis Schediasma Gasparis Bruschij Poetæ laureati.

Herbipolis Druidum quondam celeberrima sedes,
Francigenæ eximios quos coluere uiros.
Quosq; adituri hostem, & Mauortia bella, solebant
Non secus ac summos consuluisse deos.
Herbipolis Bachi & Cereris pulcherrima mater,
O Mœni decus & filia pulchra senis.
Etsi te tuus ille canat Laurentius heros
Frysius ingenio, Frysius arte potens.
Pontificum qui res gestas & facta tuorum,
Nominis æterni gratus honore beat.
Quiq; habet in chartis, quicquid Germania tota
Antiquum, quicquid Rhenus & Ister habent.
Etsi inquam canat ille tuas urbs inclyta laudes,
Attamen hunc etiam suscipe grata librum.
Solus Alexandrum quàmuis depinxit Apelles,
Vt pingi alterius noluit ille manu:
Attamen à Cherylo est passus se paupere scribi,
Et sua cantari carmine facta rudi.
Sic etsi ille domite Frysius ornet Apelles,
Esse tamen Cherylum me parciere tuum.
Quem certe Ewaldus tibi Creuzionachius ille
Pontificis magni curaq; amorq; tui,
Annumerare suis ut dudum est ausus amicis,
Incommendatum non sinet esse, Vale.

NONVM CAPVT DE omnibus Herbipolensibus Episcopis ac Præsulibus: Franciæ Orientalis Ducibus.

HERBIPOLIS præclara Franciæ Orientalis ciuitas ad Mœnum nobilißimũ amnem sita, conuersa est à gentilicijs superstitionibus, ac falsis de Deo opinionibus ad Christum Dei filium, eius q; indelebilem ueritatem, annum Christi circiter sexcentesimum & octogesimum, à sanctis Dei uiris, Chiliano, Colonato & Theodnano Scotis, propagandæ doctrinæ de humani generis liberatore ergò, relicta patria peregrinantibus, ac à Pontifice Romano Benedicto secundo in Germaniam ad eam ab Arrianismo & gentilitate repurgandam ablegatis. Hi cum Herbipolin uenissent: imperabat ea tempestate Francis Theodorici Galliarũ regis nomine præfectus ac Dux Francorum Gosbertus, aliqua sanguinis necessitudine coniunctus S. Chiliano, sed homo gentilis, & qui de Christo humani generis saluatore nihil adhuc sciret. Nihilominus tamen S. Chilianum amice complexus, libenter cum de Christianorum pietate, religione, ac fide publice docentem audiuit. Non docebat uero S. Chilianus solam Euangelij doctrinam, de gratuita remissione peccatorum propter filium Dei, de bonitate, de

te, de clementia & misericordia Dei, sed ex doctrina legis, etiam iram Dei aduersus peccata hominum, auditoribus suis ostendens, acriter eorum uitia insectari reprehendere & castigare solebat, nemini parcens in hac parte, sed omnibus tam summis quàm infimis ex æquo ut par est, uiam ueritatis & salutis aperiens patefaciensq;. Cum uideret autem Gosbertum Regium præfectum, habere apud se uxoris loco, fratris sui coniugem Gaylanam, ut nomine sic re etiam admodum sa lacem, lasciuam ac impiam fœminam, reprehendit eũ hoc nomine S. Chilianus uerbo Dei, amanter monens, ut abiecta à se sclerata & impia fœmina, consuetudinem & congressum eius, quæ ad aliũ pertineret maritum euitaret. Addens subinde, esse hoc ingens peccatũ, quo gratia dei excuteretur, pietas impediretur, ira uero Dei aduersus humanum genus magis incitaretur. Has admonitiones Sancti uiri nõ grauatim accepit Gosbertus, & quia iam mediocriter profecerat in Christianismo, cœpit ab impiæ ac peccatricis fœminæ congressu abstinere. Quod cũ animaduertisset ipsa (ut est mulierebregenus astutũ & sagax) furore accensa in uiros Dei, talis conuersionis in Gosberto authores, de trucidandis ipsis consilium capit, iram omnem tamen dissimulans, donec in regijs negotijs usquam egrederetur Gosbertus. Quam occasionem cum tandem nacta esset impia Iesabel, missis apparitoribus ad supliciũ uiros sanctos rapi ac interfici iussit omnes, quibus è medio sublatis

sperabat

sperabat facile se iam blandicijs recuperaturam, quod amisisset. Perstante autem & firmiter permanente Gosberto in cursu pœnitentiæ ac conuersionis semel inchoatæ: Cum uideret uenefica incassum se laborare, maioribus furijs agitata, ut Gosbertus etiam à proprijs ministris domino seditionem mouentibus trucidaretur, effecit. At non aberat procul iustißima ira uindicis Dei, nam paucis diebus post, non ipsa tantum Gaylana, sed ministri etiam qui & sanctos Dei legatos & Gosbertum Principem interfecissent, malis spiritibus occupati, scipsos crudeliter & nouo furoris genere dilaniarunt, additis horribilibus mugitibus quibus scipsos damnarent, ac inferis æternisq; cruciatibus deuouerent. Erat adhuc superstes unicus Gosperti filius HETANVS, qui post parentis mortem, Dux Francorum factus, & religione Christiana fœliciter imbutus, construxit eo ipso in monte, in quo nunc arx Episcopalis sita est, magnificum templum in honorem beatæ Virginis Mariæ, quæ genuisset humani generis Saluatorem illum, quem uerum Deum ex uero Deo, uerumq; hominem ex beata Virgine natum iam agnoscere ac profiteri abiectis idolis suis, incœperant Franci. Ab hoc ueteri templo, hodie adhuc Mons & superimposita arx nostræ Dominæ Mons & Arx uulgo nominari solent, Hæc de cõuersa ad Christũ Herbipoli, & de plantata in Francis fide ac professione Christiana. Nunc de origine

origine Episcopatus, aliquid adijciamus. Is postea pau cis temporibus elapsis, à S. Bonifacio Anglo, primo Archiepiscopo Moguntino, præcipuo Germanorum Apostolo, auxilijs PIPINI patris ac Caroli Magni filij, potentißimorum ac Christianißimorum Galliæ Regum, consensu item Zachariæ pontificis Maximi, institutus est annum Christi circiter septingentesimũ ac quinquagesimum. Vt ostenderent uero se nutritores Ecclesiæ, incorporarunt Episcopatui statim munificentißimi isti Galliarum Reges ducatum Orientalis Franciæ: quo factum est, ut Herbipolensis Ecclesiæ gubernatores, non tantum Ecclesiastico titulo Episcopi, sed seculari etiam duces Francorum (penes quos IVS etiam cum uitæ tum necis esset) semper sint ad hæc usq; tempora ab omnibus sacri Romani Imperij statibus ac ordinibus tum habiti tum appellati.

Hinc quoties Episcopus Herbipolensis ad aram stans, sub infula & alijs pontificalibus sacra facit, semper nudum & euaginatum ensem ad eandem aram prope se collocatam habet, quo Franciæ orientalis ducatus ac plenum ius uitæ necis q; innuitur: Hinc natus est uetus uersiculus, quem seculari suo sigillo habet Episcopus Herbipolensis incisum.

Herbipolensis sola, ense iudicat stola.

Hunc amplißimum Episcopatum S. Chiliani uulgo patrimonium uocant, quod instituerit cum S. Bonifacius in honorem piorum Martyrum Chiliani ac ipsius

sociorum

ſociorum. Eius uero gubernatores ac antiſtites oēs, Epiſcopi uidelicet Herbipolenſes ac Franciæ orientalis duces, ad hæc noſtra uſq; tēpora, tali ſerie recenſeri ſolēt.

1. S. BVRCARDVS, gente Britannus: uir pius ac religioſiſsimus, à S. Bonifacio conſanguineo ſuo educatus ac liberaliſsime inſtitutus: conſtituitur ab eodem, conſenſu Pipini ac Caroli Magni Regum, primus antiſtes ac Epiſcopus Herbipolenſis Eccleſiæ: conſecratur & confirmatur à Pont. Max. Zacharia. Præfuit autem Epiſcopali officio docendo, concionando ac alijs pietatis exercitijs ac muneribus prudentiſsime ac fideliſsime: adminiſtratione item ac gubernatione prouinciæ utiliſsime, annis quadraginta integris. Conſtruxit plurima templa ac Monaſteria: impetrauit à Romano Pontifice, ut à tumulo leuatus S. Chilianus cum ſocijs, in numerum ſanctorum adſcriberetur. Hos ueriſsimos Dei amicos ſepeliuit honorifice, in nouo templo ipſis conſtructo, quod nouum monaſterium, uel nouam Baſilicā uulgo appellant. In eius tēpli crypta legūtur hodie adhuc ſequentes uerſiculi, Epitaphij loco additi.

Hi ſunt Herbipolis, qui te docuere Magiſtri,
Qua uerum coleres relligione Deum.
Impia quos tandem iuſsit Gaylana necari,
Cælauitq; ſub hunc corpora cæſa locum.
Ne turpi, ſine laude, ſitu defoſſa iacerent
Corpora: Burcardus ſub monumenta locat.

Huic Epiſcopo adſeruandos & erudiēdos dedit Caro

lus Magnus duodecim obsides à deuictis Saxonibus datos ac summo loco natos adolescentes: qui omnes ferè ad Episcopales dignitates tandem euecti sunt, uterãt liberalissime et optime à Burcardo Episcopo instituti. Decessit plenus dierum ex hac mortali uita, anno Christi 791, in arce Hohenburg ad Mœnum sita, ubi iam senex factus ac afflicta ualetudine præditus, cum solo Diacono habitare ac religiosissime uiuere solitus fuerat. Reuehitur inde Herbipolin & ibi in templo noui Monasterij à se olim S. Chiliano condito honorifice sepelitur, cum longo carmine ac uirtutum suarum Elogio.

2. MAYNGVDVS uel Megingaudus comes Rotenburgius ad Tubarum, monachus ordinis D. Benedicti & conuentualis cœnobij Fridislariensis in Hassia siti: ab ipso S. Burcardo ex monasterio Herbipolin assumptus ac sancte educatus, successit iam mortuo Burcardo, unanimi totius cleri consensu electus. Præfuit laudabiliter annis tribus. Et gubernationis tantæ prouinciæ pertæsus, resignat Episcopatum præsente S. Wilibaldo Aystetensi Episcopo, cuidam Bernolpho uiro religioso & magnanimo: id factum est anno Domini 794. Ipse uero collectis quibusdam discipulis per Mœnum ad arcem Rorbacensem Caroli Magni uenationibus seruientem delatus, consensu & sumptibus Regis cœnobium instituti Benedictini ibi construxit, quod Neostadium appellauit. In quo cum sacra-

rum

rum literarum ac alia liberalia studia summa cum laude inchoasset, primus q; eius loci Abbas fuisset, decessit anno 795 unde Herbipolin reuectus, honorifice ibi in noui monasterij Basilicæ prope S. Burcardum terræ mandatus est.

3. BERNVVOLPHVS uel Bernolphus, constituitur à Maygaudo, in Episcopum Herbipolensem anno 794. Præfuit annis 6, mensibus 4, diebus 3. Expulit monachos omnes Benedictinos ex Ecclesia Herbipolensi, tantum sæculares alens sacerdotes: Hi Dominum ac præceptorem suum Megingodum Neostadium sequuti honorifice ab eo excepti sunt. Obijt Bernolphus 19 Septembris, anno Domini 800.

4. LVDERICVS successit Bernolpho: præfuit annis 3. mensibus 5, obijt uicesima septima Februarij, anno salutis 804. Imperante Carolo Magno.

5. AYGELVVARDVS subrogatus est Luderico, præfuit annis 6, diebus 18. Valedixit huic mortali uitæ 24 Aprilis, anno Domini 810, sub Carolo Magno Imp.

6. VVOLFGERVS eligitur unanimi consensu populi ac cleri, decima tertia Maij, Anno Domini 810. Præfuit bene & laudabiliter uno & uiginti annis, mensibus sex, diebus tribus. Sub eius gubernatione obijt anno 814 laudatissimus Imp. Carolus Magnus, summus benefactor ac locupletator Ecclesiæ Herbipolensis: cui successit filius Ludouicus cognomento pius, qui sub eodē antistite Wolffgero, cōstruxit et fundauit

anno Domini 816, ad preces S. Walderici Heremitæ, monasterium Murhartense. Eiusdem antistitis temporibus fundatum est Schwartzacense Benedictinorum in Francia Orientali cœnobium, à Megingaudo pio comite Rotenburgensi ad Tubarum habitante, ac eius laudatissima coniuge D. Imyna. Interfuit Wolffgerus Synodo Aquisgrani celebratæ à Ludouico pio, reformandæ Ecclesiæ ergò. Obijt postea quarta Nouembrium, anni à nato 831.

7. HVNIBERTVS alijs Hubertus, eligitur pridie Calendarum Ianuarij, anno dominicæ Incarnationis 832. Præfuit nouem annis, tribus mensibus, octo diebus. Obijt anno salutis 841, mense Martio. Huius Episcopi temporibus habebat Ludouicus Imperator præfectum in oppido Lauffen ad Nicrum sito, principem ex Norico natum, aliqui Landtgrauium Leuchtenburgensem fuisse arbitrantur, Ernestum nomine: is ex coniuge Fridburga, exceperat unicam filiolam Regis Windin. Huius infantis nutrix habebat Germanum fratrem, seruientẽ Ernesto principi, à quo cum aliquando grauiter uerberarctur, quod negligentius curasset aliquid sibi à Domino commissum: adeo exarsit ira & indignatione nutrix, ut consilium secum caperet de trucidanda Regis Winde. Prodeuntibus itaq; aliquando Ernesto & Fridburga, arripuit serua sola domi relicta & furijs agitata puellã, trucidat, & ex arce Lauffensi in præterfluentem Nicrum præcipitem deijcit. Puellam

lam hanc aquis suffocatam, quæ tamen fluminis ui nec à loco isto abripi, nec submergi aut fluctibus opprimi potuit, multis item miraculis coruscantem, Episcopus iste Humibertus ab Angelo quodã per quietẽ monitus, in præsentia multorum sacerdotum ex aquis subleuãs, in templum Lauffense detulit, ac honorifice sepeliuit, ubi ad hæc usq; tempora conseruata est.

8. GODEBOLDVS uulgo Gotswaldus Abbas inferioris Altachij, perueteris cœnobij apud Bauaros: euocatur ad gubernationem Episcopatus Herbipolensis, prima Aprilis anni à nato Christo 841. Præfuit undecim annis, obijt in Vigilia S. Mathæi, anni Christianorum 852, animi pauoribus ac mœrore, propterea quòd eodẽ anno summũ templũ Herbipolense, fulmine tactũ, cũ omnibus Ecclesiæ ornamẽtis deflagrasset.

9. S. ARNO uel Arnto successit Episcopo Godeboldo: præfuit laudabiliter annis 36, mensibus 6, diebus 11, sub Imperatoribus Carolo caluo, Carolo Crasso ac Arnolpho, quibus omnibus charissimus, plurima etiã ab ipsis insignia priuilegia est consequutus. Instauauit collapsam Basilicam Cathedralẽ, fœliciss ime. Obijt decima tertia Iulij, anni à nato Christo 891, in expeditione Arnolphi imperatoris, & omnium Germaniæ principum contra Nortmannos suscepta, trucidatus cum multis milibus ab his ipsis infidelibus, inter Missarum Solennia, inspectante toto exercitu, peracta qua clade, excitati Germani, hostem postea summa uirtu

te aggressi fuderunt & ex patria eiecerunt fortissime fœlicissimeq;. Episcopus Arnto Herbipolin reuectus et ibi cum omnium suorum luctu honorifice sepelitur.

10. RVDOLPHVS alijs Radhulffus, Thuringiæ Landtgrauius, præficitur Episcopatui Herbipolensi ab Imperatore Arnolpho, anno Domini 891, in cuius castris militauerat antea cum duobus Germanis fratribus, Conrado ac Gebehardo, contra Nortmannos. Regino Abbas Prumiensis hominem fatuum fuisse scribit, & temere ingentes tumultus in perniciem totius Episcopatus excitasse. Legitur author etiam fuisse atrocis belli, quod Imp. Ludouicus tertius gessit contra Albertum comitem Bambergensem, anno Domini 905. Obijt cum omnium suorum publico gaudio, tertia Augusti, anno Domini 908, cum præfuisset annis 16, dieb. 3. Huius temporibus cæpit Tharisianum Franciæ Orientalis cœnobiũ, in quo sepultus est Albertus comes Bambergensis: ab Hattone Moguntino, Imperatori proditus ac capite multatus.

11. DIETHO uel Theodo, eruditus ac prudentissimus Neostadiani monasterij cœnobita, eligitur in Episcopum Herbipolensem anno 908. Præfuit utilissime & summa cum laude ac omnium admiratione 24 annis: Valedixit huic mortali uitæ 15 Nouembrium, anni 932. Sub eo iterum conflagrauit summa Basilica Herbipolensis, quæ tamen ab eo ipso Episcopo iterum instaurata ac illustrata est. Postponunt huic aliqui Catalogi

logi Postericium quendam, de quo nihil tamen inuenio.

12. BVRCARDVS ex Abbate Hirsfeldensi eligitur in Episcopum Herbipolensem ab Imperatore Henrico Aucupe: præfuit annis nouem, mensibus tribus, diebus uiginti tribus, prudēter ac utilissime. Fuit Imperatoribus Henrico Aucupi & eius filio Othoni Magno charissimus. Restituit & absoluit Cathedralem Ecclesiam Herbipolensem. Decessit ex hac mortali uita, in die Annunciationis Mariæ, anno Domini 941.

13. POPPO primus, Burggrauij Herbipolensis filius: Othonis Magni cognatus, constituitur Episcopus Herbipolensis ab eodem Domino Othone Imperatore, cognato suo: à quo insignia priuilegia consequutus est, quod uidelicet Canonicorum Herbipolensium senatus semper deinceps liberam deberet habere potestatem, eligendi Episcopum è sui Capituli Canonicis, decedente aliquo antistite. Præfuit summa cum prudentia ac laude, annis 19, mensibus decem, diebus quatuordecim. Decessit ex hoc sæculo, 15 Februarij, anni 961, Ratisbonæ in maximo conuentu principum, quos Otho Magnus congregarat. Auehitur inde Herbipolin & in Cathedrali Basilica honorificè sepelitur.

14. POPPO secundus, iunior dictus, patruus Popponis primi: etiam Burggrauius Herbipolensis: quem quidam Othonis Magni Imperatoris è sorore nepotem fuisse uolunt. Eligitur iuxta tenorem priuilegij ab Othone dati, unanimi totius Canonicorum

senatus consensu, secunda Martij, anno Domini 961. Sedit ad clauum Episcopatus annis uiginti tribus, mensibus quatuor fideliter prudenter ac utiliter. Interfuit cum plurimis alijs Germaniæ Episcopis Synodo, quam Otho Imperator Romæ congregarat, ut contra Pontificem Ioannem decimum tertium, eligeret Leonem octauum. Obijt Episcopus Poppo 14 Iulij, anno salutis 984. Sepelitur in summo templo.

15. HVGO Othonis secundi, Imperatoris Cancellarius ac supremus intimus q; Consiliarius, eligitur in Herbipolensem Episcopum unanimibus totius cleri suffragijs anno Domini 984. Præfuit annis quinq;, mensibus septem, diebus uno & uiginti. Instaurauit & egregie illustrauit cœnobium S Andreæ, ab Episcopo Burcardo primo inchoatum, & pro Benedictinæ professionis Monachis constructum. Impetrauit à Pontifice Maximo Benedicto sexto, ut S. Burcardus, primus Herbipolensis Ecclesiæ antistes de tumulo subleuatus Canonizaretur, & diuorum numero inscriberetur: is in nouo cœnobio honorifice depositus est, quod postea amisso priori nomine S. Burcardi cœnobium dici solitum, hoc tempore sæcularium Canonicorum est collegium. Obijt uigesima nona Augusti, anno Domini 989. De eo extant adhuc tales uersiculi:

Hic præsul sapiens, cunctis fuerat bene gratus:
Singula prospiciens, constans, prudens, oculatus.
Tunc desolatum claustrum sub monte locatum

Rebus

Rebus & orbatum, disciplina uiduatum
Ipse reformauit, multis q; bonis releuauit:
Censu ditauit, cultum q; Dei renouauit.
Sacrum corpus eò tulit à tellure leuatum
Auxiliante Deo, Burcardi clarificatum.
Festa q; translati iubet omnia concelebrari
Claustri præfati loculum q; perenne uocari.
Illîc constituit tunc fratres sub monachatu,
Et sic instituit, ut uiuant abs q; reatu.

16. BERNVVARDVS comes à Rotenburg ad Tubarum, uenit primũ ex Academia Parisiensi ad monasteriũ Hirsaugiense, in Spirensi Episcopatu situm: inde à Leopoldo Abbate Herbipolin, in nouum S. Andreæ Cœnobium ab Hugone Episcopo instauratum missus, cũ religiosissime ac pijssime sub Arnoldo abbate uixisset: uocatus est mortuo tandẽ Hugone, unanimi totius Ecclesiæ consensu, ad Episcopatus Herbipolensis gubernationem: in qua sedit summa cum laude annis quinq;, mensibus octo, diebus octodecim. Habuit fratres tres, Richardum, Ruggerum ac Aynhardum, pios ac religiosissimæ uitæ comites: Inter hos senior Richardus, Othoni tertio Imperatori admodũ charus, consecutus est à Leopoldo Augustano Episcopo permutationis iure montem quendã Halæ Suevorum uicinum, quem hodie adhuc Cambergensem uocant. In huius montis uertice construxit magnificum castrum, quòd à montis nomine Camburgum etiam

nuncupauit. Is ibi quatuor filiorum ex una coniuge factus est pater, AINHARDI (cuius filius itidem Ainhardus dictus, postea etiam Episcopus Herbipolensis designatus est) Ruggeri, Henrici & Burcardi. Iste Burcardus post mortem patris Richardi ex arce Camburgensi, consentientibus fratribus suis omnibus monasterium fecit, instituti Benedictini. Ainhardus uero comes, Episcopi Bernwardi frater, cum non haberet hæredes, Deo sua omnia offerre decreuit, ac initio insigne templum condidit in Tungensi ualle, & aliud in Romuleo monte, ordinans ibi sacerdotes, qui & Deo & Ecclesiæ Dei seruirent. In ipsa uero urbe Herbipolensi, construxit ipsius etiam Episcopi fratris sui consilijs ac subsidijs ex paruo Sancti Chiliani Sacello magnificum Canonicorum secularium Collegium, quod hodie adhuc nouam Basilicam appellant, eam non solum fundauit, sed & liberalissime dotauit. Obijt Episcopus Bernwardus, uicesima Septembrium, Anni incarnationis dominicæ 995. Sepelitur splendide ac magnifice in noua illa à se & fratre suo condita Basilica.

17. HENRICVS comes à Rotenburg ad Tubarum, propter breuem corporis staturam à prima infantia Comes Hezelinus, & postea etiam Episcopus Hezelinus dictus, subrogatur cognato suo ex hac mortali uita euocato, consensu totius Cleri. Præfuit sapientissime ac utilissime annis uiginti duobus,

bus, mensibus quinq;, diebus uiginti. Cõstruxit & fundauit in suburbio Herbipolensi Collegiatas S. Stephani S. Iohannis Ecclesias. Onoldsbachij uero magnificũ S. Gumberti cœnobiũ Benedictinum, quod hoc nostro seculo Canonicorũ secularium est Collegium, cuius ædis Canonicus est hodie Gaspar Othmayer, non contemnendus, nec incelebris huius ætatis componista. Construxit unà cũ Imperatore S. Henrico secundo ex castro Lauffensi ad Necharum, cœnobiũ, quod S. Henricus pago Kircheym & alijs prædijs adiacentibus liberalissime donauit ac dotauit, anno incarnationis Dominicæ, 1003. Idem Imperator huius Episcopi consensu ac subsidijs instituit Bambergensem Episcopatum, nam Bamberga & tota circumiacens prouincia antea partim ad Herbipolensem, partim uero sub Aystetensem Dioceſin pertinuerat Habuit iste Henricus uel Hezelinus Episcopus germanum fratrem S. Heribertum Colonienſem Archiepiſcopum, ac primum inter Colonienses sacri Rom. Imp. electorem, & alium quendam fratrem Rotenburgi ad Tubarum, in patriæ gentis arce uiuentem. De hoc legimus quod in magna sui sæculi annonæ difficultate, Hattonis Moguntini exemplum imitatus, magnam mendicorum turbam in horreum conuocatam incendio delcuerit. Cuius scelcris pœnitentia tandem ductus, & Romam etiam ut ab ipso pontifice ueniam peteret, profectus est: ubi cum absolueretur, iussus est Monasterium

construere, in compensationem talis delicti. Coloniam ergo ad fratrem, S. Herebertum Archiepiscopum ueniens, & quid cum pontifex iussisset edocens, unà cũ eo Tuicience Benedictinorñ monasterium, è regione urbis Colonienſis in altera Rheni ripa hodie adhuc situm cœpit, condidit, ac amplissime liberalissimeq; dotauit. Obijt Episcopus Henricus tandem in die S. Ceciliæ, anni à nato Christo 1018. Sepelitur in Cathedrali Ecclesia Herbipolenſi.

18. MEGINARDVS elegitur mortuo Herzelimo uel Henrico, à toto clero Herbipolenſi in Episcopum: Præfuit S. Chiliani patrimonio bene & utiliter annis quindecim, mensibus decem, diebus uiginti duobus. Erat consiliarius Imperatoris Henrici secundi, à quo multa insignia priuilegia consecutus est, & potestatem cudendæ monetæ. Interfuit anno domini 1030. Comitijs Bambergenſibus, Desijt esse inter mortales, in die S, Mathiæ Apostoli, anno domini 1033. sub imperatore Conrado secundo.

19. S. BRVNO Conradi Charinthiæ ducis filius, matre Baronissa à Querfurdt natus, Imperatoris Conradi secundi patruelis: aut ut aliqui uolunt è sorore nepos, eligitur in Episcopum Herbipolenſem ab unanimiter consentiente clero, anno domini 1033. Præfuit summa cum laude annis undecim, uno mense, diebus 14. Construxit & illustrauit magnificentissimis ædificijs, Cathedralem S. Chiliani Ecclesiam: alia etiam totius

Episco-

Episcopatus templa pulchre reficiens ac exornans, in quæ omne patrimonium suum contulit, fuit Episcopus eximie doctus, scripsit commentarium in Psalterium Dauidicum, qui extat. Sequutus est anno domini 1034 Conradum imperatorem, in Italiam (ad eam debellandam, ac suæ potestati subijciendam) profectum. Obsidente uero & grauiter aliquocies oppugnante imperatore Mediolanum, accidit in ipso S. Penthecostes festo, ut Episcopo Brunone in castris Imperatoris sacra faciente, tanta cœli tempestas oriretur, ut omnes homines diẽ extremi iudicij adesse arbitrarentur, multi enim milites de cœlo fulmine tacti perierunt, multis etiam tantæ tempestatis horrore ad insaniam redactis. Episcopus Bruno ad aram stans, nihilominus sacrum suum absoluit, quo peracto Imperatorem accedens, dixit in ipso sacro apparuisse sibi S. Ambrosium Mediolanensium olim Episcopum, qui nisi Imperator statim obsidione urbem solueret, grauia ipsius uitæ ac ualetudini miniaretur. Hoc siue prodigio, siue commento Imperator motus, ac ab Episcopo Brunone persuasus, facta prius pace cum ciuibus, urbem obsidione soluit, raptis tamen ad suplicium, præcipuis aliquot ciuibus talis rebellionis & contumaciæ authoribus. Bruno ex hac expeditione Herbipolim reuersus, dono dedit Ecclesiæ Herbipolensi nobile prædiũ quoddã Westphaliæ, lingua Saxonica Sunnenreich cognominatũ, quod mortua matre ad ipsum erat deuolutum, ex quo

prædio

prædio singulis annis habebat 50. marcas argenti puri, & alia quædam Apophoreta. Anno domini 1045 proficiscitur cum Imperatore Henrico nigro, ac multis alijs Germaniæ principibus in Pannonias, cum autem in superioris Pannoniæ castro quodam Bosenburgo, è regione Ipsensis oppidi ad Danubiũ sito, pernoctaret Imperator cũ omnibus principibus, ipsa Maij uicesima die, concidit eiusdem arcis sublime ac ruinosum cœnaculũ seu solarium, in quod iam cœnandi caussa tota Cæsaris aula conuenerat. Imperator ruente cœnaculo, apprehẽsa fenestra, singulari dei protectiõe incolumis mansit. Reliqua tota multitudo, principes, Episcopi, nobiles ac milites, summi et infimi corruerũt, inter quos multi statim expirarunt, multi grauiter læsi & mutilati sunt. Ibi Episcopus Bruno tam misere etiam & inclementer à fortuna rerum humanarum moderatrice exceptus est, ut septimo die post hunc casum, in eadem arce naturæ debitum absolueret, 17 uidelicet die Maij, anni 1045. Reuectus est cum summo omnium suorum luctu Herbipolin, ubi in summæ Basilicæ crypta sepultus ac terræ parenti redditus est cum tali Epitaphio.

Anno domini M. XLV. Sexta Calendarum Iunij,
Obijt beatus Bruno Episcopus, fundator huius Ecclesiæ.

10. ADELBERO comes à Laymbach & Scherdingen ex Bauaris patre Arnoldo, matre uero Regilla Baronissa à Weinsperg Lambacensis monasterij fundatoria

datoribus natus, eligitur in S. Brunonis successorem, unanimi totius Capituli Herbipolensis consensu, anno à Christo nato 1045. Præfuit laudabiliter ac utilissime annis quadraginta integris, fecit ex S. Stephani Canonicorum collegio, cœnobium ordinis Diui Benedicti, uocatis in id triginta monachis. Renouauit ac instaurauit denuo, collapsum aliquo modo monasterium Schwartzachianum, à Carolo Magno antea fundatum: Id fecit anno domini 1075 Eijcitur ex Episcopatu, anno domini 1084 ab Imperatore Henrico quarto quod pontifici adhæreret: constituitur in eius locum Meginardus quidam. Adalbero in Bauariam secedens monasterium suum Lambacense ingressus est, reliquum uitæ in eo transigere uolens, post pauculos uero menses, cæsis Henrici quarti copijs in agro Herbipolensi, non procul à Pleichfeldo, ab Hermanno Saxonũ duce, post cæsum in Saxonia Rodolphum Habspurgium siue Sueuum, contra Henricum quartũ electo, Meginardus ex urbe iterũ eijcitur, Adalbero restituitur. Sed redeunte tandẽ Imperatore, Adalbero clam auffugit, & ad monasteriũ suum redijt, anno domini 1085. Meginhardus uero restituitur, qui cum tribus annis præfuisset, tandem anno domini 1088. ex hac uita euocatus est. Post cuius mortem, & si reuocaretur ab Henrico quinto Adalbero, tamen dubiæ & nouercanti fortunæ non diutius fidendum existimans, in suo monasterio quietæ uiuere, & præsentibus uti maluit,

quàm

quàm alibi cum ſummis uitæ periculis ea iterum ap-
petere, quibus iam bis excidiſſet, & quorũ poſſeßio
incertior eſſet. Sic duobus annis adhuc poſt mor-
tuum Meginardum ſuperſtes, tandem ſexta Octo-
bris, anni à nato Chriſto 1090. ex hac uita emigrauit,
in hoc ipſo à parentibus ſuis conſtructo, & à ſe con-
ſecrato cœnobio, in quo honorifice eſt terræ omnium
matri redditus.

11. MEGINARDVS ſecundus, literarũ peritia ac
uitæ ſanctimonia, nemini mortaliũ ſua ætate ſecundus,
eligitur eiecto ex Herbipoli Adalberone, ab Imperato-
re Henrico quarto, anno domini 1084. Præfuit cum ſum
ma difficultate tribus annis ac aliquot menſibus, ſemel
iterum eiectus, ac denuo ab imperatore Henrico quar-
to reſtitutus. Obijt anno 1088. uigeſima ſexta Iunij,
ſuperſtite adhuc anteceſſore ſuo Adalberone. Sepeli-
tur in Baſilica Cathedrali.

21. AYNHARDVS ab alijs Emmenhardus die-
ctus, comes Rotenburgius ad Tubarum, Richardi co-
mitis filius, conſtituitur ab Henrico quinto Epiſcopus
Herbipolenſis, anno domini 1088. Præfuit ſumma cũ
laude annis 15. menſib. octo, diebus tribus, & ſi peri-
culoſiſsimis tẽporibus, quibus Imperator contra pon-
tificem, pater Henricus quartus, contra filiũ Henricũ
quintũ, & filius contra patrem graſſabantur. De-
ceßit ex hoc calamitoſo ſeculo, ad beatarũ animarum
domicilium penultima Februarij, anni à nato Chriſto,

1104.

1104. Sepelitur in summo templo: Huius Episcopi consensu ac subsidijs etiam fundauit Albertus nobilis Baro de Steinach ex castro suo Steinach, eiusdem nominis egregium monasterium. Sub hoc ipso Episcopo, inaudita ex omnibus Christiani orbis partibus collecto tercentum millium hominum exercitu expeditio facta est, à Godefrido de Bulione, Lotharingiæ duce, ad occupandam, & è Saracenorum potestate liberandam terram sanctam, anno Domini 1097. Recuperata est autem Hierosolyma anno 1099 ab hoc ipso Godefrido, qui statim à toto exercitu Rex Hierosolomitanus salutatus ac designatus est: De hac sanctæ urbis recuperatione extat tale distychon:

Anno Milleno centeno, sed minus uno,
Ierusalem Franci capiunt uirtute potenti.

23. RVPERTVS eligitur à Rege Henrico V. ac toto clero, ex præposito summi collegij in antistitem ac præcipuum gubernatorem Ecclesiæ Herbipolensis: uir & sapientia & doctrina ac uirtute eximia præditus, omnibus q; cum summis tum infimis ex æquo charus. Præfuit duobus tantum annis, bis ab Henrico IIII ex Herbipoli electus, toties q; ab Henrico V. restitutus. Obijt anno Domini 1106, cum iret ad Swarstallense concilium à Pont. Max. Paschale secundo indictum.

24. ERLONGVS uel Ehrlingus comes à Calow uel Caleben, abbreuiata ac corrupta uoce Kalb: Canonicus & Capitularis, hoc est, unus ex senatu summi

ordinis Canonicorum, eligitur anno 1104 ab Imp. Henrico quarto, contra Rupertũ Canonice à toto clero designatũ Episcopum. Is uiuente Ruperto ab Henrico V. bis ejcitur, bis ab Henrico IIII restituitur: sed ab Henrico V. tertio etiam ejectus, uiuente Ruperto Herbipolin non amplius redijt. Tandem sua uirtute & morum lenitate, senatui Canonicorum reconciliatus, clemẽtem & propicium Henricum quintum etiam habere cœpit, quandoquidem mortuo iam Henrico quarto, omnia odia omnes tumultus ac tempestates Germaniæ pulchre subsedissent. Mortuo itaq; Ruperto Episcopo unanimi totius cleri consensu assumitur & confirmatur in Episcopum Herbipolensem. Sedit ad gubernaculum Ecclesiæ & prouinciæ summa cum laude ac fœlicissime, annis sedecim, diebus undecim: propter insignem sapientiam suam Henrico V. factus charissimus, qui eius consilio postea semper in summis Imperij negotijs uti solebat: ad annum usq; Christi Millesimum centesimum decimum quintum. Tum enim Henrico V Natalem Domini Spiræ sine ullius principis præsentia celebrante, omnes Imperij principes Coloniæ cõuenerant, de alio Imperatore eligẽdo consiliũ capientes, contra Henricum V, etiam à Rom. Pont. excommunicatum. Id cum suboluisset Henricus, misso Erlango Episcopo Herbipolensi Coloniam, Imperij principes rogari iussit, si quid esset à se imprudentia erratum aut neglectum, ueniam darent & ignoscerent, se post

hac

hac & fideliter obtemperaturum, & bonum fore ac ad omnia paratißimum Imperatorem. Erlangus Episcopus Coloniam ueniens, non tantum non auditur, sed ne ad principes quidem admissus fuit: Quod cum Henrico V ita significasset, ac ipse quoq; iam incipe-ret ab ipsius, ut & excommunicati & tam diu in ex-communicatione permanẽtis, consuetudine ac amicitia abhorrere: Imperator etiam Franciæ ducatum inuo-lare ac ut feudum aliquod Imperij ad se deuolutum duci Sueuorum Conrado, suo è sorore nepoti conferre attentauit. Ibi uero Erlangus Henrico V. acerrime se opponens, ducatum suum strenue defendit, ac fortiter retinuit: curans etiam ac mandans, ut (etsi alioqui su-perbiæ uel arrogantiæ nomine male non audiret) ta-men post hac minister cum antecedens, nudum ac eua-ginatum ensem præferret. Idem Episcopus primus fuit qui unà cum pedo pastorali gereret in insignibus coruscantem ensem: quod exemplum omnes postea eius successores ad hæc usq; tempora imitati sunt. Alio-qui alio titulo usus non est, quàm isto: Erlan-gus Dei gratia Wirtzburgensis Ecclesiæ humilis mi-nister. Decessit ex hac lachrymarum ualle in Natali Domini, Anni Christianorum Millesimi centesimi uigesimi secundi, cum per integrum quadriennium grauissime decubuisset. Sepelitur in Schwartzacen-sis Monasterij templo, non apud Herbipolin, quod illa excommunicata esset à Rom. Pontifice, eo quòd

pontificijs mandatis medium ostendens digitum excommunicato Imperatori Henrico V. contumaciter, & contra Pontificem, & contra Episcopum suum adhæsisset.

25. RVGKERVS comes à Vayngen, ex Sueuia natus: eligitur paucis diebus post mortem & fata Erlangi, à toto unanimiter ac concorditer consentiente summi collegij clero, in Episcopum Herbipolensem ac ducem Franciæ orientalis: Oppositit autem se huic electioni Imperator Henricus V. uolens ius eligendi & constituendi Episcopum ad se potius quàm ad clerum pertinere: constituit itaq; contra Ruggerum, iuuenem quendam Canonicum Gebehardum comitem Hennenbergensem. Hoc Schisma paucis mensibus post, compositum ac pacatum est in Comicijs Wormacienſibus per legatos Pontificios Cardinalem S. Angeli, & Cardinalem S. Stephani in monte Cælio, qui à Romano Pontifice in hoc missi erant è Roma in Germaniam, ut turbæ ac motus ibi orti per eos componerentur. Ab his Cardinalibus talis lata est sententia inter duos illos Herbipolenſes Episcopos, ut cederet Gebhardus: Ruggerus uero gubernatione libera potiretur. Hæc compositio non diu ualuit, finitis enim Comicijs & legatis iam Romam reuersis: Ruggerus ab Hennenbergensi Gebhardo, Henrici V. auxilijs ac præsidijs urbe iterum ejcitur, anno Domini 1115. Ille uero in monasterium Schwartzacense abiens, impetrata aliqua Episcopatus

parte.

parte, prouincia uidelicet ad Nicrum sita, ea contẽtus quiete reliquum uitæ in cœnobio transegit, uiuens ibi annos adhuc quinq;. Circa hæc tempora cæpit anno Domini 1126 magnificentißimum cœnobium Cistercien sis instituti Eboraw uel Eboracum à Beronone & Richouino nobilibus fratribus ab Eboraw, ipsorumq; sorore Gertrude fundatum: & ab Imp. Conrado Sueuo, cuius coniunx Domina Gertrudis, & filius Fridericus ibi humati sunt, liberalißime donatum. Obijt Episcopus Ruggerus peste (quæ per totam tum grassabatur Germaniam) anno Domini 1130. Sepelitur in Cœnobio Schwartzach, in quo quinq; iam annis uixerat, quo defuncto resignauit Episcopatum Gebehardus etiam Hennenbergensis: quem aliqui Catalogi paucis annis post Ruggerum ex hac etiam uita, cum omnium Canonicorum gaudio decessisse affirmant: aliqui eum ita laudabiliter præfuisse scribunt, ut etiam ad clauum Episcopatus tandem sit totius Canonicorum senatus unanimi uoluntate & consensu reuocatus.

16. HEZELINVS comes à Leyningen, eligitur post mortem Ruggeri, & resignationem Gebhardi à consenciente clero Herbipolensi: præfuit 14 mensibus, & Bambergam profectus, subito ibi ex hac uita emigrauit, anno Domini 1131. Hunc aliqui Catalogi omnino prætercunt, quod fortaßis morte præuentus, confirmationem ex Romana Curia non consequutus sit, nec consecratus etiam fuerit.

27. EMBRICHO uel Imbricus mortuo Hezelino subrogatur à toto Capitulo Canonice ac concorditer electus anno Domini 1131 : legitur fuisse comes Leyningensis. Præfuit summa cum laude annis sedecim. Fuit apud Imperatores Lotharium Saxonem ac Conradum Sueuum in summa existimatione, ac utriusq; intimus Consiliarius. Lotharius restituit huic Embrichoni Franciæ ducatum ab Henrico V. antea superbe occupatum ac per uim raptũ. Vt gratus iccireo Episcopus esset Deo, qui mentẽ Cæsaris ad talem restitutionem direxisset: construxit in suburbio Herbipolensi S. Iacobi Scotorum cœnobium, qui sub Abbate Macchario Regulam D. Benedicti profiterentur. Anno Domini 1147 mittitur ab Imp. Conrado Sueuo, Constantinopolim, ad Græcorum Imp. Emanuelem, cui Conradus Imperator desponsabat coniugis suæ Gertrudis, Imperatricis sororem Bertham, Berengarij comitis à Sultzbach formæ ac uirtutis nobilitate præstantissimam filiam: In eius profectionis reditu, cum omnia felicissime ac rectissime expediuisset, euocatus est ex hac mortali uita Aquilegiæ in Italia, ubi honorifice terræ parenti redditus est. Scribit Otho Episcopus Frysingensis, quod Conradus Imperator in publicis literis, quas scripserat huius Matrimonij caussa affini suo Emanueli Constantinopolitano Imperatori, hunc Embriconem Episcopum Cor suum ac animam suam appellarit.

28. SIGEFRIDVS eligitur anno Domini 1147: præfuit pie ac laudabiliter annis sex. Primo huius Episcopi anno, proficiscitur Conradus Imp. à S. Bernhardo admonitus ac excitatus, magno exercitu octoginta milium peditum equitũq; Hierosolymam contra Saracænos: sperans se egregiũ aliquid cum Galliarum Regis, qui præsens rebus omnibus intererat, tum Emanuelis Græcorum Imperatoris affinis sui auxilijs effecturum: sed Emanuele non admodum fideliter agente cum Conrado, nihil magni gestum aut effectum est. Hæc expeditio, tali barbaro distycho posteritatis cognitioni ac memoriæ commendata est:

Anno Milleno, centeno tessaradeno
Ac septem pariter: cæperat istud iter.

Sub hoc Episcopo constructum est Herbipoli monialium cœnobium S. Afræ à Rasoldo religioso Abbate ad S. Stephanum. Sub eodem Episcopo construxit & fundauit Hermannus Misniæ Marchio Monachorum Rotam, cœnobium Herbipolensis dioceseos, pro monachis instituti Benedictini: anno Dominicæ incarnationis Millesimo centesimo quadragesimo octauo. Idem Episcopus summe amans monasterium Eboracense, eximie idipsum ampliſsimis prouentibus dotauit, ac ut se mortuo cor suum illic sepeliretur, uiuus adhuc mandauit. Inde nata dicitur consuetudo quòd quotics Episcopus aliquis Herbipolensis moritur: semper in arce D. Virginis euiscerari solet corpus

uiscera uero & inteſtina in arcis templo D. Virgini ſacro, terræ redduntur: corpus in urbis Cathedralem Ecclesiam deportatum honorifice ſepelitur: cor plumbeæ urnæ incluſum, curruiq; impoſitum, addito ſene ac fideli emeritoq; aliquo miniſtro quattuor equis Eboracum uehitur, ac ibi ſacello in id præparato humatur. Currus & equi Herbipolin non redeunt, ſed monaſterij facultatibus iam annumerantur: miniſter uero ille, cui conſeruandi ac ſepeliendi cordis cura committitur per omnem uitam ſibi adhuc reliquam non ſecus ac aliquis eius loci conuentualis excipi ac tractari ſolet. Obijt Epiſcopus iſte Sigefridus anno Domini 1153, peſte ubiq; tum graſſante conſumptus, Sepelitur more & conſuetudine, qua dixi, tribus locis conſecratis.

29. GEBEHARdus comes ab Hennenberg, ſiue ille qui antea ab Imperatore Henrico V. Canonicorum Collegio obtrudebatur contra Canonice electum Ruggerum, ſiue alius: ſucceſſit Epiſcopo Sigefrido unanimi totius Capituli conſenſu, confirmatur Romæ, ab Adriano quarto clementer exceptus. Præfuit laudabiliter annis octo, menſibus ſex, diebus quindecim. Sub eius gubernatione fundatum eſt ab Hermanno Rheni Palatino cœnobium Bildenhuſenſe: ad quod idem Epiſcopus etiam plurima liberaliſſime contulit. Obijt uero anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo centeſimo ſexageſimo primo. Sepelitur, ut ſupra dictum.

30. Henricus

30. HENRICVS secundus, eligitur anno domini 1161, præfuit annis tribus laudabiliter ac optime, mensc item uno, diebus 14. Adfuit Imp. Friderico Barbarossæ grauissima obsidione cingenti Mediolanum. Obijt anno domini 1165, quo magna habita sunt à Friderico Barbarossa Comitia in urbe Herbipolensi: in quibus Guido de Cremona contra Alexandrũ tertiũ pontifex Romanus designatus, & Pasthalis tertius appellatus est.

31. HEROLDVS succeßit Henrico Canonice ac legitime electus, uir sapientia ac uirtute insigni præditus. Præfuit utilißime annis octo, mensibus quinq;, diebus tribus. Sub hoc Episcopo iterum habita sunt ab Imperatore Friderico Barbarossa amplißima comitia Herbipoli, anno domini 1166, quo anno confirmauit Fridericus Imperator sub aureo sigillo isti Episcopo priuilegia Herbipolensis Episcopatus, præsertim uero illa quæ ducatum Franciæ orientalis ex donatione Caroli Magni ad Episcopatum legitime pertinere contestantur. Eodem anno solotenus uastata sunt Imperatoris mandato Franciæ orientalis centaurorum quorundam castra, latronum ac prædonum spelunca, Brambergum ac Franckhenbergum: Montem Brambergensem dono dedit Imperator Fridericus Heroldo Episcopo & eius successoribus, ea tamen lege, ne ullũ amplius castrum ullis seculis eo loco extrueretur. Obijt Episcopus Heroldus, anno domini 1171.

31. REINHARDVS, *alijs* Regenhardus *subrogatur* Heroldo *ab unanimiter consentiẽte Canonicorũ summi Collegij senatu. Præfuit annis decem, fuit Romæ apud Pontificem Max.* Lucium 3, *anno domini* 1181. *Emigrauit ex hoc lugubri seculo, in die S.* Viti, *anno domini* 1182. *Sepelitur more supra ostenso.*

33. GODEFRIDVS *nobilis heros à* Pisemberg, Friderici Barbarossæ Cancellarius, *eximia utrtute doctrina & sapientia præditus, eligitur anno domini* 1182 *Præfuit annis quatuor. Construxit de nouo Cathedralem Basilicam Herbipolensem ex quadrato lapide. Anno domini* 1186 Fridericum Imperatorem, *noua expeditione contra Sultanum susceptã, in Asiam proficiscentem sequutus, non procul ab Antiochia læthali morbo correptus, naturæ debitum absoluit sexta Februarij. Sepelitur in maximo templo Antiocheno honorificè. Canonici Herbipolenses cũ audirent se suum gubernatorem amisisse, statuerunt ei in summo templo gratitudinis, pietatis, ac memoriæ ergò honestum monumentum, non secus ac si ibi humatus esset.*

34. HENRICVS *tertius huius nominis, nobilis à* Bibelriedt & Babenburgk, *eligitur concordibus totius Capituli uocibus ac suffragijs, anno domini* 1186. *Præfuit sex annis, octo mensibus, & octo diebus. Etsi* Tritemius *aliter sentiat, qui longe fallitur. Anno domini* 1189, *Profectus est iterum Imperator* Fridericus Barbarossa *cum filio etiam* Friderico *Sueuorum duc-*

ac innumeris Germaniæ, Italiæ, & Galliæ principibus Episcopis ac comitibus exercitu ducentorũ miliũ equitum peditũq; expeditißimorũ in Asiam, de qua secunda pro terræ sanctæ recuperatione susceptа, ab hoc laudatißimo Imperatore expeditiõe, extat tale distychon.

Annis undenis demptis, de mille ducenis:
It pater & natus, dux & rector Fridericus.

Huic infœlicißimæ expeditioni (in qua & Fridericus Imperator in quodam Armeniæ fluuio absorptus perijt, ac Fridericus Sueuorum princeps, totius Christianorũ exercitus dux, alijq; multi insignes principes cõmuni aeris contagio infecti, ex hac mortali uita decesserunt) interfuit etiam Henricus iste Episcopus Herbipolensis, qui & si incolumis ex Asia Herbipolim rediret, tamen animi mœrore (quòd infœliciter susceptа esset tanta expeditio) consumptus, non diu domi superstes mansit. Obijt autẽ anno incarnati uerbi 1193. Sepelitur honorifice, more quem supra exposui.

35. GODEFRIDVS secundus huius nominis, comes de alta flamma, uulgo Hohenlohe: eligitur. Henrico mortalibus rebus exempto, concordibus Capituli uoluntatibus ac studijs, anno domini 1193, præfuit annis quinq;, mensibus 4 diebus tribus. Etsi Tritemius iterũ dissentiat, fuit imprimis charus et sanguinis necessitudine ac uinculo cõiunctus Imper. Henrico sexto ac omnibus Sueuiæ principibus. Erat & clero charissimus, à quo religiosorũ omniũ pater cognominari

ac dicà

ac dici solebat, & cuius summo luctu decessit ex hac mortali uita, anno domini 1198.

36. CONRADVS nobilis heros à Rabenspurgk, & si sint qui nobilem à Reinstein fuisse affirment. Is eximia doctrina & sapientia præditus, Imperatoris Henrici sexti Cancellarius antea fuerat, cuius patrocinio & intercedentibus precibus obtinuit Episcopatũ Hildeshemensem in Saxonibus, cui cum aliquandiu sapientissime ac utilissime præfuisset, uocatus est tandẽ Henrici sexti etiam patrocinio adiutus, Canonicisq; Herbipolensibus dudum insinuatus ac studiose commendatus, ad clauum ac gubernaculum sedis Herbipolensis, anno domini 1198. Quo cum uenisset eo ipso tempore, quo noua iam ab Henrico sexto suscipiebatur expeditio in Asiam pro liberatione Christianorũ sub Saracenica Tyrannide ibi miserrime oppressorum, & pro recuperatione terræ sanctæ: profectus est idem etiam Episcopus cum Imperatore ac domino suo plurimisq; Germaniæ principibus ac præsulibus: in qua profectione legitur coronasse Amalricum Regem Cypri. Cũ uero totus exercitus iam in Syria esset congregatus, incidit Imperator Henricus sextus in lethalem morbũ, quo magis indies ingrauescente in Siciliam auehi se curauit, ubi anno domini 1199 maximo Christianorum damno & luctu, ex hac misera uita ad æternæ ac immortalis possessionem emigrauit. Quod cum principibus in Syria militantibus immotuisset, ipsi

etiam

etiam infecto negotio (quod inchoarant) in Germaniã sese ac patriam recipiũt. Sic Episcopus Conradus etiã fœliciter domũ reuersus, tribus adhuc annis ad clauum Episcopatus sedit, quibus ita uixit ut Philippo etiam regi esset nõ minus charus, quàm antea fuisset Henrico sexto fratri. Donatus est ab hoc rege Philippo (cuius et Cancellarius & intimus erat cõsiliarius) arce Sternbergensi, & toto adiacente territorio. Erat Iusti æqui q; amantissimus, raptorum ac latronum & omnium eiusmodi scelerate uiuentium hominum summus osor. Erant ea ætate duo equites aurati in Francia Orientali Potho à Reinstein, & Henricus gentis Canum à Falckhenberg, q ob nescio quod facinus acriter ab Episcopo aliquoties reprehensi, cũ eiusmodi correptionẽ impatienter ferrent, adornatis ad fugam equis prope summam Basilicam Episcopum in insidijs collocati præstolãtur, qui cũ nihil mali metuens solus descenderet ex habitatione sua in templũ, nobiles isti ac immanissimi Sicarij facto in Episcopũ impetu, subito eũ interfecerunt, & conscensis equis fuga sibi consulentes incolumes ac impunè ad sua redeunt. Hoc immanissimum facinus designatum est in Vigilia S. Barbaræ, anno domini 1203. Episcopus cum summo omnium suorum luctu, in chorum summæ Basilicæ deportatus, ibi honorifice sepelitur, cum tali inscripitone.

Anno 1203 in Vigilia S. Barbaræ, interfectus est Conradus Episcopus Herbipolensis, sacri Rom. imperij Cancellarius.

Hoc

Hoc procumbo solo, sceleri quia parcere nolo:
Vulnera facta dolo dent habitare polo.

Quomodo uero ultus sit hanc indignissimam cædem Rom. pontifex Innocentius tertius, & quomodo sicarios hosce perfidissimos puniuerit, longum esset recensere: legitur tota historia. Herbipoli in tabula prope summam aram paricii chori appensa.

37. HEYNRICVS huius nominis quartus de ueteri genere nobilium Ostrofrancorum, quos Caseos appellabat antiquitas, & si alij aliter de hac appellatione loquantur. Ex Parisiensis Gymnasij celeberrimo professore amore patriæ in Franciam Orientalem reuerso, primum Canonicus, postea successu temporis Decanus summi Collegij factus, ita laudabiliter uixit, ut post miserrimam istam Episcopi Conradi cædem, à Rege Philippo Ecclesiæ commendatus unanimi consilio & sententia totius Capituli, eligeretur in Herbipolensem Antistitem. Præfuit tribus annis & aliquot mensibus. Construxit cœnobium Veyelsdorfense. Obijt ante adeptam confirmationem pontificiam, anno domini 1206.

38. OTHO Baro à Lodenburg, Mysius: uir summa sapientia & prudentia præditus, eligitur in Episcopum Herbipolensem, Anno à Christo nato 1206. Præfuit laudabiliter & prudentissime & utilissime annis sedecim, mensibus quinq;. Obijt in die S. Nicolai, anno domini 1223. Sepelitur, ut supra dictum

in

in Episcopo Sigefrido, nisi quòd dextrum suum brachium unà cum optimi uini Francici uno plaustro legarit monasterio Anhusano ad Swernicum amnem in Rhiæsa sito, quod olim anno domini 958 sub Othone Imperatore fundatum est ab Ernesto comite de Truhendinga eiusq; uxore Hartmanni Baronis Lodenburgensis sorore.

39. THEODORICVS nobilis heros de Hohenburgk, succeßit Othoni Episcopo Canonice electus: præfuit quindecim mensibus, euocatus est ex hac lachrymarum ualle, anno domini 1114.

40. HERMANNVS Baro à Loderburg, Mysius: Othonis Episcopi ex fratre nepos, eligitur in Episcopum Herbipolensem à toto summo clero, sedet ad clauum & gubernaculum Ecclesiæ annis 16. Obijt anno domini 1150. Contra hunc Episcopum seditiosißima fuit Herbipolis, quæ & Episcopum cœpit, & in eius aulicos nobiles crudeliter grassata est, quosdam in Mœnum præcipitans, quosdam misere trucidans, sed Episcopus miro stratagemate nobiliũ duorum equitum Othonis à Swolffskheel & Richolphi ab Eysenhofen ex manibus seditiosorum ciuium ereptus, nunq̃ deinde in urbem uenit, & iniuriam sibi illatam egregie ultus est. Dicitur unus esse ex fundatoribus cœnobiorum Portæ cœli & Puellarum fontis.

41. HIRINGVS alijs Eringus nobilis heros Rhenensis Saxi, eligitur in Hermanni successorem, anno Christi

Christi 1250, præfuit annis sedecim: Irrogauit maximas multas seditiosis urbibus Herbipolensi ac Rotenburgensi, fuit præter omnẽ mediocritatẽ crudelis in duodecim strenuos uiros de ueteri lapide, quos in arce Altenstein post factam & firmatam Amnistiam, conuiuio ab ipsis exceptus contra hospitalitatis ius, contra datam fidem, peracto prandio, euocatis ad se in conclaue quoddã singulis capite multari ac trucidari iussit omnes: à quorum ultimo Heerdegenio equite aurato dolũ tandem sentiente grauiter uulneratus, nasum amisit. Obijt Hiringus iste anno redempti orbis 1266, imperante Rodolpho Habspurgio. Duodecim isti Reguli in Lanckenheymensi cœnobio terræ mãdati quiescunt.

42. CONRADVS comes à Trymberg, successit Hiringo, anno domini 1267. Is confirmationem petiturus, Romam sequente anno profectus, cum omnia ibi bene expediuisset, & iam Herbipolin diplomatibus pontificijs onustus redire uellet, incidit in grauissimum morbum, quo confectus in itinere obijt, sed ubi aut quo loco sepultus, id nusquam inuenio.

43. BERTOLDVS dominus à Sternberg, successit Conrado legitime & concorditer electus, anno 1268. Quàmdiu præfuerit certo dicere non possum. Alicubi enim anno domini 1282, alibi uero anno 1287, eum ex hoc seculo emigrasse inuenio, fuit eximia uirtute ac uitæ integritate præditus, & qui studio ac prudentia summa præfuit, & Episcopatui plurimum profuisset,

fuisset, si in tranquilliora & pacatiora incidisset tempora. Gesit bellum contra seditiosam Herbipolin, cuius exercitum ingenti prælio profligauit, & uicit prope Kitzingum, ubi Herbipolensium ciuium quingenti cæsi sunt anno Domini 1169. Postea Rotenburgũ etiam rebelle parere sibi coegit. Sub eodem Episcopo Henenbergenses & Castellenses comites (qui antea seditiosis ciuibus Herbipolensibus confœderati, aliqua etiam clade affecti erant) Episcopatum Herbipolensem ferro & igne deuastantes oppidũ ac cœnobium Schwartzacense expugnant ac diripiunt, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo ducentesimo octogesimo tertio Maij decimanona. Oppidum incendio funditus deletum est, cœnobio relligionis ergò parsum fuit.

44. MANGOLDVS, nobilis Ostrofrancus, Archimagyrus à Newenburg: ex præposito summi Collegij factus est Episcopus & dux Francorum, post euocatum ex hac mortali uita, Episcopum Bertholdum: sed quo anno, id certo dicere non possum. Præfuit prudenter & utilissime ad annum Christi usq; Millesimum trecentesimum secundum, quo legitur ex hac lachrymarum ualle ad aliam patriam emigrasse. Habuit plurimas etiam cum senatu populoq; Herbipolensi contentiones, quæ ingentis belli certe semina fuissent, nisi composuisset & conciliasset eas Rodolphus Habspurgius Romanorum Imperator.

45. ANDRAEAS Baro à Gundelfingen, consti-

tuitur ex Mosbacensis Onoldisbachiani ac Oringauiensis Ecclesiarum collegiatarum præposito in Episcopum Herbipolensem, unanimi consensu totius cleri, anno Domini 1301, præfuit summa prudentia & laude annis tredecim. Obijt anno Domini 1315. Fuit quatuor Imperatoribus: Adolpho Anaxouiano, Alberto Austrio, Henrico Lutzelburgio, & Ludouico Bauaro (quorum omnium temporibus uixit) eximie charus. Herbipolin iterum seditiosam et rebellem collecto exercitu egregie compescuit, & ad iustam tandem obedientiã adegit, abrogatis tribubus ac omnibus sodalitatibus quæ toties hactenus tumultuantis plebis Et caussæ & fons atq; irritamenta fuissent.

46. GODEFRIDVS tertius huius nominis: secundus uero ex nobilissima familia comitum de Alta flamma uel Hohenloh, eligitur in antistitem Herbipolensem ac Francorum ducem post mortem Andreæ: præfuit prudentissime annis 7. Obdormiuit anno 1322. Aliqui tamen Catalogi alios habent numeros, aliã supputationẽ, illi nouem eum annis præfuisse affirmant.

47. VVOLFRAMVS nobilis à Grumbach, successit mortuo Godefrido: præfuit in summis temporum difficultatibus (cum propter ingẽs Schisma inter Imp. Ludouicum Bauarum ac P. M. Ioannem XXII subortum, tum quod iterum nouas moueret seditiones urbs Herbipolensis, nec huic Episcopo admodum propicia) annis 11. Obijt & ex huius mundi tempestuosissimo pelago

lago ad portũ ſalutis enatauit, ultima Iulij, Anno 1333.

48. HERMANNVS illuſtris Baro à Liechtenberg, Alſata: Canonicus Spirenſis, ac Ludouici Bauari Cancellarius, eligitur in Epiſcopũ Herbipolenſem à Ludouico Bauaro Rom. Imp. & ab ea Canonicorum parte, quæ eidem Cæſari Ludouico fauebat: ab alia uero, pontificia uidelicet, conſtituebatur Dominus Otho &wolffskelius uir nobilis ac Herbipolenſis Cathedræ Canonicus: qui à Pontifice Ioanne XXII ac Benedicto XI. eius ſucceſſore confirmatus, Epiſcopatus poſſeßionem facile conſequutus eſt, nõ tamen citius quàm poſt biennium: tum reſignauit Epiſcopatum ac pacato animo ceßit huic Othoni Epiſcopus Hermannus anno uidelicet Domini 1335. Menſe Auguſto.

49. Otho &wolffskelius eligitur per diſcordiam anno 1333 contra Hermannũ, & tamen à maiori parte Canonicorũ ſummi collegij: ſed durante adhuc Schiſmate inter Ludouicũ Bauarũ ac P. M. Ioannem XXII, Hermannus aliquandiu à Cæſare defenſus eſt: qui uidens Othonem pontificia authoritate confirmatũ eſſe, ac ſe diu ita pacatã gubernationem retinere non poſſe: ceßit Othoni bona pace, ſuis Canonicatibus cõtentus. Venit igitur Otho Herbipolin 30 Auguſti, anno 1335 ex arce Roſenberg, in qua antea habitarat. Præfuit laudabiliter annis 10. Seditioſos ciues ſuos Ochſenfurtũ oppugnãtes et in ſuam ditionẽ redigere uolentes, equitatu ſuo adortus, fudit ac profligauit decima quinta Iulij,

anno Domini 1338. Emit oppida Franciæ orientalis ad Mœnum sita: Rotenfels, et Gamundiam siue Os Mœni, cum adiacente ditione omni: oppidum item Meinbernheymium, et partem urbis Kitzingensis ac oppidi Heydingsfeldensis, & alia plurima. Huius Episcopi temporibus ceciderunt Herbipoli anno Domini 1342 uicesima prima Iulij, maximæ cœli Cataractæ, quæ & pontem saxeum firmißimum ruperunt, muros urbis diruerunt, hortos & agros uastarunt ac plurimas domos, armenta item ac greges undiquaq; cum summa urbis iactura auexerunt. De qua inundatione extant hi, Rythmi uerius quàm uersus, suæ ætatis barbariem egregie ostendentes.

Anno milleno CCC quadrante secundo
Accidit Herbipoli quod Moganus illico cum ui
Pontem confregit, multos hominesq; coegit
Casas exire, si non uoluere perire:
Praxedis in festo, talis fluuij memor esto
Nauibus hi portus quando fuere gradus.

Decessit Episcopus iste Otho ex hac mortali uita, decima tertia Augusti, anno 1345 cum conuocatos prius ad se Canonicos summi Capituli omnes, longa oratione ad studium concordiæ, & fraternæ charitatis cohortatus esset.

50. ALBERTVS comes ab Hohenberg, è Sueuia natus: Decretorum doctor: Canonicus Constantiensis Ecclesiæ, cuius ab aliqua eius loci Canonicorum

corũ parte gubernator, & Episcopus post Rodolphi mortem postulatus erat: mittitur mortuo Episcopo Othone ad gubernandũ Episcopatũ Herbipolensem à Pontifice Maximo Clemente sexto: Etsi senatus summi Collegij Canonicorum unanimibus suffragijs elegisset iam Albertum comitem de Alta flamma. Veniens autem Herbipolin à Romano Pontifice confirmatus, uidensq; sibi Helenam istam ab alio præreptam esse, moderate id ferens, Alberto de Alta flamma libere cessit: anno Domini 1349. Sequenti anno uocatus ad Frisingensis Episcopatus gubernationem, nouem ibi annis laudabiliter præfuit, ualedicẽs huic uitæ, anno Incarnati filij Dei 1359.

51. ALBERTVS comes de Alta flamma, uulgo Hohenlohe: summi Canonicorum Herbipolensium collegij Præpositus, unanimi consensu totius Capituli eligitur anno Domini 1345. Sed quia Pontificia authoritate alius erat Episcopus Herbipolensibus missus, quietam ac integram gubernationem non nisi anno 1349 consequutus est, per liberam eius resignationem, qui à Pontifice ad gubernandam Herbipolin destinatus erat. Erat uir insigni uirtute præditus, qui & prudenter & utiliter præfuit à prima electione uiginti sex annis integris. Gessit bellum non infœlix, anno Domini 1359 contra Bertholdum comitem Hennebergensem, propter Vtenhusensem arcem, quam comes Ludouici Bauari auxilijs ac fauore fretus construxerat in Herbi

polensis Episcopi ditione ac fundo, ex qua item plurimum quotidie Episcopatui incommodi ac iniuriarum inferebatur. Eam arcem Episcopus sexta Iulij magna uirtute, Hennenbergensium copijs profligatis, expugnauit ac solo æquauit. Gessit bella contra seditiosam etiam Herbipolin, quam compescuit & obtemperare coegit. Obijt mense Iulio, anni à nato Christo Millesimi trecentesimi septuagesimi secundi.

51. GERHARDVS comes à Schwartzenburg, Thuringus: Guntheri Imperatoris, ut aliqui uolũt germanus frater: Episcopus Neunburgensis ac Citzensis, à Carolo IIII Rom. Imp. Pontifici Max. Gregorio XI. diligentissime commendatus, ab eodem Episcopus Herbipolensis ac Francorum dux constituitur ac confirmatur: A Carolo uero quarto statim Regalibus ac feudis inuestitur anno Domini 137?, cum Mammillensi Episcopatui præfuisset sapientissime annis decem. Erat uero (antequam ille cum Imperatoria tum Pontificia authoritate Herbipolin destinaretur) electus ibi concordibus totius Canonicorum senatus uocibus ac suffragijs D. Albertus ab Hessberg, Canonicus: is uidens à summis Christiani orbis capitibus contra se alium Episcopum constitutum, contra quem obtinere nihil posset, pacifice ac sua sorte bene contentus, bona uoluntate Gerhardo uenienti cessit. Præfuit Gerhardus annis uiginti octo, fuit eximia uirtute præditus: animi magnitudine nemini sæcularium etiam Princi-

pum

pum secundus, strenuus bellator. Cæpit & expugnauit urbes Imperiales Swinsheymium ac Schweinfurtum, quòd Herbipolensibus ciuibus confœderati, eos ad decimam septimam iam & omnium grauissimam defectionẽ excitassent. Has urbes tamen anno 1388 restituere Imperio coactus fuit. Herbipolenses grauissime tumultuantes, & præter omnem mediocritatem in clerum, & Ecclesiastica bona sæuientes, & ut omnia alia Episcopatus oppida ab Episcopo deficerent persuadentes, arcem item Episcopi anno Domini 1398 summa quidem ui, sed frustra oppugnantes, eumq; tandem non adeo magnis copijs instructum multis conuitijs ad prælium euocantes, Francico equitatu (quorum dux erat, Episcopi Coadiutor Ioannes, nobilis heros ab Egloffstein, summi Canonicorum collegij præpositus) strenue adortus summa uirtute uicit ac profligauit. Pugnatũ est acerrime 11. Ianuarij, anno 1400 prope pagum Berthemensem: cæsi sunt ex Herbipolensibus mille & trecenti, duobus millibus captis. Episcopus etsi numero longe inferior, tamen sex tantum equites è suo numero amiserat. Authores tantæ seditionis ac adeo diuturnæ rebellionis deprehensi, crudelissimis Mortiũ generibus è medio sublati, oppida item quæ defecerant omnia summa uirtute recuperata sunt, uidelicet, Geroldsouiũ, Noua ciuitas, Hasfurdũ, Mayningũ, Kũngshofenũ, Mollerichstadiũ, Fladingũ, Carolostadiũ, Eborachũ, Hasbachium etc. Solũ Hipphofense oppidũ cõstans

ac legitimo Domino suo fidum manserat. In his grauissimis ac tam longis tumultibus Academia (quæ Herbipoli cæperat, & Imperialibus ac Pontificijs priuilegijs egregie illustrata & cõfirmata erat) Erfordiã quietis gratia secessit anno 1398. Decessit Episcopus Gerhardus ex hoc mortali sæculo, anno Domini 1403 mense Nouembri: relinquens Ecclesiam & sedem Episcopalem in summa paupertate, ad quam redacta erat illa non ipsius Episcopi quidem culpa, sed quòd subditi sua sponte, nisi armis cogerentur, obtemperare simpliciter nollent.

53. IOANNES ab Egloffstein, uir equestris ordinis apud Ostrofrancos: primum uiuente adhuc Episcopo Gerhardo ex præposito summi collegij Coadiutor Episcopi Gerhardi factus: iam mortuo etiam Gerhardo ab aliqua dissentientis Capituli parte subrogatur. Eligitur autem ab alia ac aduersaria parte Eberhardus comes à &wertheym. Hoc Schisma ad extremam inopiam redegisset Episcopatum, nisi Imperator Rupertus Palatinus sua authoritate interposita Eberhardum cedere iußisset, & suo suffragio Ioannem coadiutorem adiuuisset. Præfuit autem quiete, fideliter et prudenter ac longe utilißime nouem annis. Eberhardo Bambergæ interim apud Episcopum Albertum comitem &wertheymensem uitam ferè agente. Obijt in Forchenheymio Episcopatus Babenbergensis oppido, subito & non sine ueneni suspicione, nona Ianuarij, anno

anno domini 1411. Reuehitur Herbipolin, & ibi honorifice sepelitur.

54. IOANNES nobilis à Brunn elegitur unanimi totius Capituli consensu, anno domini 1411. Præfuit sed non admodum utiliter annis 29. Erat Episcopus eximia prudentia præditus, sed admodũ sumptuosus ac prodigus, & qui Episcopatum extreme exhausit. Gesit bellum contra iterum seditiosam Herbipolin, quam graui obsidione cinctam expugnare non potuit: prodeuntẽ uero ex murorũ latebris, et æquo sese campo committentẽ, non procul à Cellensi Premonstratensium ad Mœnum amnem sito cœnobio, strenue adortus, magna uirtute uicit, ac ingenti clade affecit, anno domini 1435. Accusatus tandem à suis in Basilienſi Concilio coram Sigismundo Imperatore, quòd iusto sumptuosior omnia Episcopatus bona pessundaret ac dilapidaret, ipse se eloquentia sua facile tutatus est. Resignauit tamen Episcopatum tandem anno domini 1441 Sigismundo Saxonum duci, quem antea etiam totius Capituli consensu in coadiutorem assumpserat. Quo uero ipse secesserit postea, aut ubi ex hac uita emigrarit, qua fortuna usus sit, nusquam inuenitur.

55. SIGISMVNDVS Saxoniæ Dux, & Marchio Misniæ, frater Gulielmi ac Friderici: primum Episcopi Ioannis coadiutor, tandem eo mortuo à Rom. pontifice in Episcopum Herbipolensem confirmatur. Præfuit annis tribus omnino pueriliter, & anno domini 1444

retenta sibi annua pensione, Episcopatum Canonicorũ senatui resignauit, & in Saxoniam ad fratres suos rediit, Imperante Friderico tertio.

56. GODEFRIDVS ex nobilissima semperq; libera Baronũ ac pincernarũ à Lymburg gente ac familia natus successit Sigismundo Episcopo, electus unanimibus totius Capituli Herbipolensis suffragijs. Sedit ad clauum Ecclesiæ & ducatus summa fide ac prudentia administrans omnia, annis duodecim. Erat princeps seuerus, nemini quicquã condonans, q ab omnibus uicinis principibus metuebatur. Pacauit totam prouinciã suam: Primus inter Herbipolenses qui se in publicis literis scriberet Francorum ducem, et eum titulũ monetis etiam incudi curaret, idq; non arrogantiæ studio faciebat, sed quòd Albertus Brandenburgensis Marchio ac Nornburgensis Burgrauius, is qui Germanicus Achilles cognominatus est, istũ titulũ usurpare ausus fuisset, quòd aliqua oppida in Francia orientali haberet. Hinc successores eius Episcopi eodẽ titulo ad hæc usq; tẽpora usi sunt iustis ac legitimis causis moti, ne quis post appetitos tituli honores alia etiã ad se rapere conaretur. Absoluit naturæ debitũ circa festũ Palmarũ, anni 1455.

57. IOHANNES nobilis à Grumbach successit Godefrido, canonice ac legitime electus anno domini 1455. Præfuit optime ac utilissime annis undecim, uir mitis, placidus, & qui beneuolentia & clementia sua omnium sibi conciliaret fauorem & amorem. Decessit

ex hac lachrymarum ualle die Veneris post festum dominicæ resurrectionis, anno domini 1466.

58. RVDOLPHVS nobilis à Scherenberg suæ gentis ultimus, subrogatur Ioanni Episcopo ultima Aprilis, eiusdem anni quo antecessor ex hac uita emigrarat. Præfuit summa cum uirtute ac laude annis 19, quibus Episcopatum ita restituit, auxit & ampliauit, ut eius non gubernator sed secundarius fundator dici conuenientissime ac merito debeat ac possit. Obijt Lithiasi 19 Aprilis, anni à Christo nato 1495 imperante Diuo Maximiliano: ætatis suæ anno ut aliqui uolunt centesimo, ut alijs placet nonagesimo tertio. Sepelitur in Basilica Cathedrali cum tali inscriptione.

RVDOLPHO de Scherenberg, Episcopo Herbipolensi, Franciæ duci: summo in omni uirtutum genere uiro, prudentia uero atq; consilio admirabili: qui Episcopatum Herbipolensem ob malitiam temporum creditoribus oppignoratum ac seruientem, nexu æris alieni soluto, in pristinum statum dignitatemq; restituit, ut Ecclesiam Herbipolensem nõ tam administrasse quàm fundasse uideri potuit. Pacis tam studiosus fuit, ut eam sæpe uel pecunia & iniquissimis conditionibus impetrarit. Diæta et uitæ moderatiõe, ad summã ætatẽ peruenit. Obijt anno 1495. Tertio calendarum Maij: ingens ac præclarũ omniũ successorũ suorũ exemplar.

Quod fuerat captæ quondam tibi Roma Camillus
Hoc tibi Rudolphus dux fuit Herbipolis.

Ille

Ille urbem extorsit Gallorum è faucibus, hic te Seruili nexu fœnoris eripuit.

59. LAVRENTIVS *nobilis heros à Bibra, eligitur unanimi consensu totius Capituli, decima septima Maij, anno* 1495. *Præfuit Episcopatui laudabiliter annis* 24, *ita ut eidem summe etiam prodesset. Obijt plenus dierum, anno* 1519 *ipsa die S. Dorotheæ, Sepelitur cum tali Elogio.*

Laurentio à Bibra Wirtzburgensi Episcopo, de Franciæ Duci, qui pacis artibus præcipue florens Rempublicam Herbipolensem bene gerendo, splendideq; augẽdo, fecit: ut iam fato functus, potißima sui parte adhuc uiuat, immortale posteris imitandi exemplar relinquens: obijt 8 *Idus. Febr. Anno* 1519.

60. CONRADVS *nobilis heros à Thungen, Ostrofrancus eligitur concordibus totius summi Canonicorum Collegij suffragijs, anno domini* 1519. *Præfuit annis uno & uiginti laudabiliter & utilißime, obsidetur à suis grauiter in seditiosa rusticorum coniuratione, ubi magno animi dolore uidit cũ omnes ditiones suas tumultuari, tũ omnia cœnobia & castra diripi, ac incendijs uastari. Emigrauit ex hac calamitosa uita ad beatarũ animarum conciliabulum, anno salutis* 1540 *Mense Iunio: Sepelitur cum talibus inscriptionibus, quarũ aliquæ in arcis tẽplo, aliquæ in Cathedrali urbis Basilica marmoribus incisæ, optimo principi memoriæ ergò erectæ sunt:*

Conrado

CONRADO à Tungen, Episcopo Wirtzburgensi & Franciæ orientalis duci, præcipuæ uiro iusticiæ, egregiæ eruditionis, temperantiæ singularis, accutissimiq; iudicij: quem primo statim susceptæ administrationis limite arreptum, uæsani huius sæculi dißidium, seditio & calumnia, seueriter diu & contumelioſe habitum, unà cum Ecclesia eius extremæ penè subiecissent internitioni, ni Deo suffragante aduersas iniquißimæ fortunæ procellas, uigili prudentia, infracta dexteritate, tolerantiaq; miranda gnauiter superasset, æquiore sæculo digniſsimus.

Vixit annis plus minus lxxiiij. Præfuit annis xxi. Mensibus iiij. diebus x. Obijt 16 Calendarum Iulij, Anno salutis M. D. XL. communi suorum mœrore ac luctu.

Vt umbra corporis comes, sic fascium
Cura, labor, ærumnæ atq; mille pericula.
Quæ strenue utentem sequuntur undiq;:
Sed uincit ille cuncta, qui fidit Deo.

In Sacello arcis beatæ Mariæ uirginis, est in perennem eius honorem tale erectum Epitaphion.

Viator hac qui forte transgrederis, asta
Parumper: & quæ scripta sunt in hoc saxo
Cognosce, cognouisse non pigebit te.
Hîc est situs uir magnus, haud quidem mole
Statuq; corporis, sed omnibus mentis

Et laudis, & uirtutis arduæ donis:
Thungenſium creatus inclyta ſtirpe
Chunradus, oræ ductor & Præſul clarus
Ambitioſa quam fluenta fœcundant
Mœni, & celebrem francidos facit nomen.
Huno placida mors quidem illa ſuſtulit, multis
Annis grauatum, ciuibus ſed heu triſtis
Gentiq; luctuoſa francicæ toti.
Cum bis decem hyemes, inſuperq; uer unum
Pater bonus, ſapiensq; Præſul & ductor
Tenens habenas præfuiſſet, & ſæpe
Grauibus laborantem leuaſſet aduerſis.
Hæc ſcire te uolui uiator: his iam nunc
Abito ſane cognitis, & hoc gaude
Vidiſſe principis loco optimi buſtum:
Et bene precare mortuo, bene & terræ.

EIDEM CONRADO PRAESVLI Herbipolenſi, ac franciæ Orientalis duci P.

Parcere ſi poſſet Mors, quæ nulli impia parcit
Virtutis meritis conſilijsq; bonis
Moribus & priſcis & ueræ laudis honori
Chunrade, ah uitæ parceret illa tuæ.
Qui quàmuis iuſta terras ætate relinquas
Debueras annos uincere Neſtoreos.
Vt tamen ipſe libens hinc diſceßiſſe uideris
Sic patria orba tua eſt principe mœſta ſuo.

Francidos

Francidos æternum ſalue decus: addite dignis
Laude uiris, melior quos locus orbis habet.
Quod tamen extingui in terris etiam nequit, hoc eſt
Virtus & mentis candida fama bonæ.

61. CONRADVS à Bibra, nobili familia apud Oſtrofrancos æditus, eligitur unanimi totius Canonicorum ſenatus conſenſu, prima Iulij, anni à nato Chriſto 1540. Præfuit laudabiliter 4 annis 40 diebus. Obdormiuit in domino anno gratiæ 1544, octaua Auguſti. Sepelitur cum tali Epigraphe.

CONRADO à Bibra, quarto eius nominis Wirtzburgenſis Eccleſiæ electo & confirmato præſidi, Franciæq; orientalis inclyto duci: uiro magnanimo, miti, ſereno, pacis & communis tranquillitatis præcipuo amatori. Hic ob tumultuantis temporis iniuriam Epiſcopalis ſuæ conſecrationis ſuſceptione ac ducalis pro uetuſto patriæ more tranſitus peractione, in quartum annum conſulto dilatis, utrumq; tandem negotium mature abſolutus erat, ſi illũ Parcæ uita dignatæ eſſent longiore. Cæterũ dũ præfuiſſet annis 4, menſe uno, diebus 7. Moritur 8. Idus Auguſti, anno gratiæ, 1544.

62. MELCHIOR Zobelius, corporis & animi bonis inſignis heros, illuſtri ac nobiliſſima apud Oſtrofrancos familia natus, ex ſummi Canonicorum ſenatus Decano, in Epiſcopum Herbipolenſem, ac inclytæ Franciæ Orientalis Ducem, Eligitur communi

& unanimi totius Capituli consensu decima nona Augusti, anni à nato Christo 1544. Præest adhuc summa cum laude prudenter ac utiliter hoc anno currente, 1549. Interfuit magnis Comitijs Augustæ Vindelicorũ à Diuo Carolo V. post bellum Germanicum, anno 1547 habitis.

Donet ei supera cœlorum rector ab aula
Quicquid habet cœli patria tota boni.
Et placidæ quia pacis amans, studia inclyta pacis
Diligit, & tota mente iuuare solet:
Nos optemus ei placidam omni tempore pacem,
Et quæ pax secum commoda cunq; trahit.
Gaudia uera, hylares animos, omniq; carentes
Felle uoluptates, fœdera, amicitias.
Ocia, delicias studiorum, cognitionem
Cœlestis Sophiæ, quæ placet una Deo.
Aeternæ quæ sola æquare heroibus aulæ
Amissum q; potest omne referre decus.
Viue diu Princeps illustris Francidos oræ
Atq; tua fruere hac prosperitate diu.
Herbipolis tibi sic tua pulchre obtemperet, omni
Et maneat domino tempore fida suo.
Nec prius ulla tuas feriant incommoda terras:
Quàm nullas habeant Rhemus & Ister aquas.
Quando tuus Mœnus precioso pisce carebit
Res fortuna tuas obruat atra, Vale.

AD

AD CIVITATEM AYSTETEN-sem Elegidion Caſparis Bruſchij Poëtæ Laureati.

Vrbs quæ auri quondam titulos & nomen habebas,
Iamq; ſacræ quercus nomina ſacra geris:
Vrbs ſacrata Ioui, & Diuorum grata parenti,
O ſedes pulchra, & præſule digna pio.
Si uacat, et te non remorantur numina magna,
Quæ colis in templis numina priſca tuis.
Excipe quæſo meum non triſti fronte libellum,
Qui tibi Pontifices fertq; canitq; tuos:
Qui quibus inſita ſis primis authoribus, illi
In cruce qui pendens omnia noſtra tulit.
Qui tua, templorumq; exordia prima tuorum,
Quicquid & eximium feceris, omne docet.
Quæ ſi grata tibi eſt pietas, urbs nobilis: illam
Vt gratam certe conuenit eſſe tibi.
Nos dubio procul & propter ſtudia iſta, labores
Atq; pios grata relligione coles:
Nam quæ præſulem habes omni uirtute decorum,
Ingenij & generis nobilitate grauem:
Non potes informata bono iam tempore, tali
A domino prorſus degeneraſſe tuo.
Ergo animus niſi me meus, & mea pectora fallant,
In charis potero pars etiam eſſe tuis.

Sic me iamdudum tuus est Mauricius ille,
Complexus præsul sæpe fauore suo.
Incolumem nobis quem cœli numina seruent
Fida diu, atq; omni prosperitate beent.

DECIMVM CAPVT de omnibus Aureatensibus uel Aychstetensibus Præsulibus.

EPISCOPAtus Aychstadianus, olim ab Aureati uetustæ urbis (quam Hunni uastarunt) ruinis relliquijs ac ruderibus, Aureatensis appellatus, ad Almonum uel Altimulam Norici amnem situs: cæpit annum Christi circiter 744. De eius origine recitabo breuiter & bona fide quam inuenio & ex uarijs monumentis collegi ueram Historiam. Erat annum Christi circiter septingentesimum & tricesimum, religiosissimus quidam & summa uitæ sanctimonia præditus Anglorum Rex Richardus: qui singulari pietatis studio Regnis ac facultatibus suis desertis, relictis item in Anglia uxore S. Bonna et filia S. Walburgi cum duobus filijs Wunibaldo ac Wilibaldo, religionis ergò terra mariq; ad uaria sanctorum loca peregrinatus: tandem Romam etiam contendit, ut & Pontificem ibi adiret

adiret ac Sanctorum Dei Apostolorum Petri ac Pauli templa & ossa uideret. In hoc cursu cum uenisset Lucam febri illic correptus, post pauculos dies in sancta Christi confessione pie moritur: summo studio filios prius cohortans, cum ad pietatem ac relligionis Christianæ amorẽ, tum uero ad doctrinæ de Christo humani generis liberatore propagationem. Sepelitur itaq; Lucæ magno filiorum luctu, in templo S. Frigidiani, ubi miraculis diu claruit, cum tali inscriptione:

Hîc Rex Richardus requiescit sceptriger almus,
Rex fuit Anglorum, formosorum populorum.
Regnum dimisit, pro Christo cuncta reliquit:
Ergo Richardum nobis dedit Anglia sanctum.
Hic genitor Sanctæ Vualburgis & extitit almæ
Et Vuillibaldi sancti simul & Vuunibaldi
Suffragijs quorum nobis det regna Polorum
Largifluus Christus, præstat qui singula solus.

Mortuo & humato parente Richardo, pergunt filij in suscepta peregrinatione, ueniunt Romam ad Pontificem Maximum Gregorium III omnium relligionis ergò peregrinantium summum benefactorem, à quo clementer accepti, cum aliquandiu Romæ mansissent, incidit ibi Wunibaldus etiam in grauissimũ morbum, monens tamen fratrem Vuilibaldum, ut susceptam relligionis ergò peregrinationem pro utroq; continuaret. Vuilibalbus fratri obtestanti morem gerit, dicta

ſalutatione abit, peregrinatur Hieroſolymam, omnia terræ Sanctæ loca, amore eius (qui ea olim in regione ſanguine ſuo uniuerſum genus humanum liberaſſet) ſummo ſtudio inuiſens ac perreptans, non ocioſus interim ſed nuſquam non Chriſtũ alijs etiam eodem ſtudio peregrinantibus, diligenter mõſtrans, cõmendans, ac illuſtrans. Hanc peregrinationem ſuam omnem in ſeptennij ſpacio abſoluit. Wunibaldus Romæ interim aliquandiu decumbens, priſtinæ tandem ualetudini, Dei optimi maximi beneficio reſtituitur: ubi aliquandiu permanens, & pontifici ac toti urbi imprimis charus fuit, nam & ſingulari uitæ Sanctimonia, & non uulgari doctrina præditus erat. Accidit autem, ut eodem tempore S. Bonifacius primus Moguntinenſis Archiepiſcopus, & Germanorum Apoſtolus, à Pipino Galliarum Rege Romam mitteretur ad Pontificem Gregorium tertium: apud quem cum audiret S. Bonifacius Anglus, ſororis ſuæ S. Bonnæ maritum, Regem Richardum ex hac uita emigraſſe, ſuoſq; ex chariſſima ſorore nepotes, Wilibaldum in Palæſtinam peregrinatum, Wunibaldum uero Romæ propter inſignem eruditionem cum ſumma pietate coniunctam in precio eſſe: uocatum ipſum ad ſe, in præſentia Pontificis Gregorij, poſt uarios ultro citroq; habitos ſermones, ut ſecum in Germaniam abeat, orat ac facile perſuadet. Cæperat iam S. Bonifacius in Thuringia ac alijs uicinis prouincijs multa conſtruere cœnobia, in quibus &

iuuentus

iuuentus erudiretur, ac studia sacrarum literarum & pietatis florerent: horum cœnobiorum septem frequentissimis (quorum unum erat Sultzbergense) præfecit Archiepiscopus gubernatorem ac Abbatem hunc Wunibaldum nepotem suum. Tandem Wilibaldus etiam peregrinatione sua absoluta Cassinense monasterium instituti Benedictini ingressus, aliquandiu ibi quieuit: unde fratrem Wunibaldum quæsiturus cum Romam etiam uenisset, audit ibi ab ipso Pontifice cum cum Archiepiscopo Moguntino S. Bonifacio in Germanias profectum ac ibi septem monasterijs Abbatem ac inspectorem præfectum, in summa esse apud gentem Thuringicã existimatione. E Roma igitur Moguntiã profectus, S. Bonifaciũ conuenit: is propagandæ Christianæ doctrinæ ergò nuper adeo auxilijs Pipini Galliarũ Regis, & Odilonis Bauariæ ducis Episcopatus duos instituerat, Herbipolensem in Francis, Frysingensem in Bauaris, quibus præfecerat doctores ac gubernatores, sanctos Dei uiros sibi sanguinis etiam uinculo, & patriæ necessitudine coniunctos, S. uidelicet Burcardum Herbipolensi: S. Corbinianũ Frysingensi. Erat ea ipsa ætate, pius quidã in Bauariæ finibus Regulus, Schwiggerus nomine, illustris ac opulentissimus comes de Hirsberg: Is pietatis studio ac zelo quodam magnam sui comitatus partem Deo Optimo Maximo offerens, Sanctum Bonifacium orauit, ut in hoc comitatu etiam Episcopatum constitueret, & monasteria, in quibus

uiri docti ac pij ad gubernãdas q; Ecclesias idonei edu cari possent, conderet. Quod cum se Archiepiscopus facturum recepisset, mox loca omnia ad Almonum amnem sita obequitans, nouo ac futuro Episcopatui lo cum designaturus eam sedem elegit, quæ est inter Nas senfelsum castrum ac ueteres Aureatensis urbis ab Attyla olim funditus euersæ ruinas, quas accolæ nunc Vueissenkirchen uocant. Ibi templum adhuc reliquum in honorem beatæ Virginis Mariæ consecrans, S. Vui libaldũ etiam eius loci primum Episcopum in præsen tia Schw.ggeri comitis Hirsbergensis designat, ipsa die Sanctæ Mariæ Magdalenæ: Postea paucis diebus elapsis eundem in Thuringiæ cœnobio Sultzberg di cto, præsentibus S. Vuunibaldo eius loci primo Ab bate, S. Burcardo Herbipolensi Episcopo, ac Schwig gero comite noui Episcopatus primo fundatore con secrat, Anno Christianæ salutis Septingentesimo qua dragesimo quinto, commendans ei summo studio Ec clesiam nouam ornandam ac ampliandam, cui cum præficeretur S. Vuilibaldus agebat ille iam annum ætatis suæ quadragesimum primum. Huius Episcopa tus inspectores ac gubernatores ad hæc nostra usq; tempora tali serie ac ordine solent numerari.

1. VVILIBALDVS Richardi Anglorum Regis ex S. Bonna Diui Bonifacij primi Moguntini Archi episcopi sorore filius, eligitur in primum antistitem

ac Præ

ac Præsulem Aureatensem à S. Bonifacio Archiepiscopo Moguntino, anno Dominicæ Incarnationis Septingentesimo quadragesimo quinto: is excisso querceto circa Almonum amnem, primum instituti Benedictini cœnobium ibi condere cæpit, in quo pij sacerdotes Deo diligentißime seruientes, exemplo suo multos sæculares etiam homines (ut eundem locũ incolerent) ad se inuitarunt: quibus undiquaq; certatim ad religiosorum hominum consuetudinem affluentibus ac tuguriola sibi prope Monasterium ædificantibus, muniuit Episcopus Vuilibaldus cum monasterium tum ædes illas priuatorum hominum ac Mechanicas artes exercentiũ muro ac fossis, appellans iam id oppidum, ab excisis quercubus Aychstadium, quasi oppidum succisarum Quercuum loco conditum: Etsi ab aliquibus etiam Ebestadum appellatum fuisse, ex uetustis monumentis ostendi potest. Appellabatur item in memoriam ueteris ac ab Hunnis uastatæ urbis Aureatum: Episcopatus uero utroq; uocabulo, & Aychstadianus & Aureatensis. Huius rei testis est lapis in media Cathedrali Basilica ciuitatis Aychstadianæ positus, & ab humo in altum leuatus, talem habens inscriptionem:

Hic requiescunt ossa Episcoporum Aureatensis Ecclesiæ.

Præfuit Sanctus Vuilibaldus Aureatensi Episcopatui annis

annis 36 summa cum laude sapientiæ pietatis ac bonæ administrationis. Donatur à S. Bonifacio tali priuilegio, ut Episcopatus Aychistadianus omniũ qui Moguntino Archiepiscopatui, suffraganeatus titulo subsunt, summus sit ac dignißimus. Et ut Episcopus eius loci semper sit Cancellarius Archiepiscopi Moguntini, & in omnibus conuentibus ac Synodis sedeat à dextris Archiepiscopi. Sub eius gubernatione uenit è Thuringia in eam Norici aut Rhiæsæ partem (quam Schwanfeldum uocant) frater Wunibaldus, sanctæ conuersationis Abbas anno 750: is utriusq; sexus ibi Monasterium Heydenheymense construens, reliquum uitæ in eo, monachorum scilicet eius loci Abbas religiosißime exegit. Soror uero utriusq;, S. Walburgis post mortem matris Bonnæ à fratribus in Germaniam accersita, quæ iam in Thuringico quodam monialium cœnobio summa uitæ innocentia multos annos exegerat, ab eodem fratre suo Wunibaldo, monialium congregationi Noui cœnobij Heydenheymensis præfecta est Abbatissa. Præfuit Wunibaldus Heydenheimensi Abbatiæ annis decem, & obijt anno Domini 760 ætatis suæ sexagesimo. Sepelitur ibi honorifice cum tali inscriptione:

Hîc Wunibaldus Richardi filius almus:
Qui regnum Anglorũ mox linquens, hoc monachorũ
Claustrum fundauit, Benedictiq; rigauit
Nomina septingento quinquagesimoq; anno.

S. Walbur-

S. Walburgis defuncto fratre sedecim adhuc annis præfuit, tandem & ipsa annorum plena huic sæculo valedixit, anno domini 776. Sepelitur in Heydenheimensi templo prope fratrem. S. Wilibaldus uero primus Episcopus Aureatensis emigrauit ex hac lachrymarũ ualle, septima Iulij anno domini 781, ætatis suæ anno septuagesimo septimo. Sepelitur in urbis à se constructæ summo templo, ubi miraculis coruscare dicitur. Extat de eo Epigramma, quod quia integrum non est, duos tantum eius uersus, reliquis mendosis omissis, huc adponam.

Willibalde tuos primus regis Aureatenses
Forma decusq; pium gemmaq; pontificum.

2. GEROCHVS & genere & uirtute nobilissimus, successit S. Wilibaldo in gubernatione Episcopatus Aureatensis, anno domini 781: præfuit laudabiliter annis uiginti. Construxit magnificam Basilicam Aureatensem, dedit Ecclesiæ aram portatilem è solido auro. Ex Heidenheymensi cœnobio fecit præposituram, cum non admodum honeste ibi uiueretur. Sub hoc Episcopo construxit ac fundauit Carolus Magnus potentissimus Galliarum rex, Wildsburgense D. Benedicti cœnobium, prope Weissenburgum oppidum eodẽ loco situm, ubi antea Pipinus uenationibus eius tractus admodum delectatus, sacellum S. Nicolai condiderat. Obijt tandem Episcopus Gerochus anno domini 80', Imperante Carolo Magno.

3. AGANVS *subrogatur* Episcopo Gerocho, *præfuit & pie & prudenter annis* 17. *Emigrauit ex hoc lugubri sæculo, sexta Nouembrium, anni à nato Christo* 819, *legitur fuisse innocentis ac sanctissimæ uitæ, nullius rei æque studiosus quàm propagandæ & illustrandæ doctrinæ de filio Dei humani generis liberatore.*

4. ADELVNGVS *eligitur in Episcopum anno domini* 819, *præfuit annis uiginti duobus: Decessit ex hac mortali uita uicesima quinta Augusti, anno domini* 841, *imperante Lohario primo.*

5. ALTINVS *successit Adelungo: præfuit annis* 17. *Valedixit mortalium hominum conuersationi uicesima prima Februarij, anno domini* 858 *imperante Ludouico secundo. Obtinuit precibus suis apud Pontificem Maximum Gregorium quartũ, ut S. Sola Anglus (qui olim cum Sanctis uiris &wilibaldo & &wunebaldo peregrinatus in eandem prouinciam uenerat, ac Caroli Magni subsidijs Solenhouianum condiderat monasterium, cuius primus Abbas à Carolo Magno constitutus innocentissime illic uixerat) de tumulo leuatus, diuorum numero adscriberetur.*

6. ODGERVS *constitutus Episcopus Aichistadianus, anno domini* 858 *laudabiliter ibi præfuit uiginti tribus annis. Obijt septima Iulij, anno incarnationis dominicæ* 881. *Transtulit consensu Pontificis Maximi Adriani secundi S. &walburgin de tumulo*

mulo leuatam ac diuarum numero inscriptam, ex Heidenheymensi cœnobio Aichstadium: ubi cœnobij S. Walburgis primus legitur fuisse fundator Odgerus iste, quod postea à Leodegario comite ad Os Lyci uulgo Lechsgmund, & auctum & illustratum est magnifice.

7. GODESCALCVS cõstituitur antistes ac præsul Ecclesiæ Aichstadianæ, ab Imperatore Carolo Crasso: Præfuit annis tantum tribus & duodecima Nouembrium, anni à nata salute sempiterna 884 in domino obdormiuit.

8. ERCKENVVALDVS ex posteris Caroli Magni summo loco natus, eligitur in præsulem Aureatensem anno domini 884. Præfuit octodecim annis prudentißime ac utilißime. Consecutus est ab Arnulpho Imperatore HASENRIETANVM potentißimum Rhiæsæ cœnobium S. Benedicti: ex quo Benedictinis Monachis nimis licentiose uiuentibus eiectis, fecit secularium Canonicorum Collegium, quod hodie mutata ueteri appellatione, non Haseuriedt à leporibus, sed meliori omine Herrenried, à dominis ac religiosis eum locum tenentibus nominare solent. Huius Episcopi temporibus cæpit Virginum Deo dicatarũ cœnobium in oppido Monheym. Impetrauit à Ludouico tertio eius nominis Imperatore IVS cudendæ monetæ. Absoluit naturæ debitum decimo tertio Octobrium, anno Christianorum 901.

VDAL-

9. VDALFRIDVS eligitur unanimi consensu cleri ac populi in successorem Erckenbaldi, anno domini 902. Præfuit utilissime annis uno & triginta sub Imperatoribus Ludouico tertio, Conrado primo, Henrico Aucupe, quibus omnibus fuit longe charissimus, & à quibus plurima impetrauit insignia suis Ecclesijs priuilegia. Commutauit hanc lugubrem uitam cũ longe fœliciore in ipsis Iani Calendis, Anni à nato Christo seruatore 933.

10. STARCHANDVS succeßit Episcopo Vdelfrido, uir ob plurimas insignes uirtutes omni laude dignißimus: S. Vlrico Augustano Episcopo coniunctißimus. Præfuit laudabiliter annis triginta duobus: Huius Episcopi temporibus constructum est Anhusense ad annem Wernicum insigne Benedictinorũ monasterium, ab Ernesto comite de Thruhedingen, & eius sororio Hartmanno Barone de Lodenburg, anno domini 959. Adfuit Imperatori Othoni Magno fortiter ac fœliciter ad Lycum pugnanti contra Hunnos. Ibi ab hostibus infidelibus deprehensus Episcopus iste Starchandus in Lyco fluuio suffocatus ac submersus est, undecima Februarij, anni à nato Christo 965. Reuehitur ab ipso S. Vlrico Episcopo Augustano Aichstadium, & ibi honorifice sepelitur. S. Vlricus ex Aichstadio discedens cum ad Veterem pagum in sublimi monte situm (unde tota urbs uideri potest) uenisset, uersa facie ad templum ciuitatis Achistadianæ

sic

sic exclamasse fertur. Vale Wilibalde uir sanctißime, uale: Ego omnium mortalium mihi charißimum iam prope te deposui ac sepeliui, iccirco ad tuam istam urbem post hac uenire amplius animus mihi nõ est: uiue igitur & æternum uale.

11. REGINOLDVS uir doctißimus trium linguarum egregie peritus, Musicus eximius, tribus Othonibus Imperatoribus longe charißimus, à quibus multa insignia priuilegia consecutus est. Eligitur in Episcopum Aichistadianum post mortem Starchandi. Præfuit laudabiliter ac utilißime annis 14. Obijt quarta Aprilis, anno domini 989. Scripsit uitas Sanctorum Nicolai, Blasij: Wilibaldi item ac Wunibaldi fratrum. Ampliauit ac illustriorem fecit Basilicam Cathedralem. Sub hoc Antistite instauratum & egregie auctum est Bergense cœnobium monialium S. Benedicti, duobus lapidibus ab oppido Aichistadiano situm, ab illustri ac religiosißima domina PIA uel GVTA Gisberti Lotharingiæ Ducis filia, cuius maritus Bertholdus à Lechsgmund amore pietatis aureis & argenteis clinodijs liberalißime donauit summum templum Aichistadianum.

12. MEGINGOSVS uel Megingaudus comes ad Os Lyci uulgo Lechsgmund propinqua sanguinis necessitudine S. Henrico Imperatori eius nominis secundo coniunctus, eligitur in Antistitem Ecclesiæ Aureatensis, anno salutis 989. Præfuit ei fidelißime annis 14.

Euoca-

Euocatur ex hac lachrymarum ualle, uicesima secunda Aprilis, anni à nata salute Christianorum 1014. Sepelitur in summa Basilica, cum maximo omnium suorum luctu. Consequutus est à Pont. Max. Leone septimo potestatem S &wilibaldi Episcopi è tumulo leuandi, & diuorum numero adscribendi: in cuius honorem ac perpetuam memoriam suspendit in media Basilica Cathedrali cupream & ubiq; pulcherrime deauratam coronam, cum tali inscriptione.

Hanc &willibaldo Pharam construxerat almo
Præsul deuotus Mengosus nomine dictus.
Qui pius hunc sanctis precibus coniungit eundem
Turmis Angelicis cœlesti nomine sanctis.
Hoc pater & natus, nec non & spiritus almus
Efficiat firmum, fixum solidumq; per æuum.

13. GVNDECKARVS alijs Guntzo appellatus, patre ædituo Babenbergensi natus: constituitur Episcopus Aurcatensis anno domini 1014 ab Imperatore Henrico Claudo Babenbergensis Episcopatus fundatore, qui sub hoc ipso Episcopo plurima Episcopatui Aichistadiano abrasa & alienata Babenbergam contulit: totam Noribergam & omnia loca in dextra Pegnesi amnis sita Babenbergensi Dioceſi adijciens. Præfuit Episcopus iste annis quinq; uenationũ amantissimus. Valedixit huic uitæ mortali, uicesima decembrium, anni à nato Christo, Millesimo decimo nono. Nordlingum Rhiæsæ oppidum sub hoc Episcopo

permutationis iure ab Episcopatu Aichistadiano ad Ratisbonensem deuolutum est.

14. VVALTHERVS succeßit Gundeggaro, præfuit annis duobus fideliter: Aditurus Romam propter certa quædam Episcopatus sui negotia, Obijt in itinere apud Rauennates, ubi & terræ parenti in Archiepiscopali templo redditus est, uigesima Decembrium anni 1011.

15. HERIBERTVS eximia doctrina ac sapientia præditus, & si genere etiam nobilis, tamen uirtute multarumq; optimarum disciplinarum cognitione ac uitæ integritate longe nobilior, eligitur in Episcopum Aichistadianum anno domini 1021. Præfuit laudabiliter annis uno & uiginti. Condidit multos egregios Hymnos, quorum adhuc usus est in Ecclesia Aistetensi: Construxit ex imis fundamentis longe ampliorem ac augustiorē faciens summam Ecclesiam Aureatensem. Aedificauit item sacella sanctorum Blasij ac Martini, item extra urbem eo ipso in loco (ubi primus Episcopus à S. Bonifacio est inauguratus) magnificum templum D. Virginis matris. Ampliauit item & auxilijs Leodegarij cuiusdam Comitis liberalißime donauit, & quasi de nouo fundauit Monasterium Sanctæ Walburgis, quod est intra muros urbis Aychistadianæ. Idem Leodegarius fundator Conphugensis uel Gempfingensis Cœnobij celebratur. Heribertus Episcopus Monasterium etiam con-

condidit eo ipso in monte, in quo nunc Episcopale S. Wilibaldi castrum situm est, quod postea iterum concidit, solo S. Petri Sacello permanente: Fuit Imperatori Conrado secundo longe charißimus, is Episcopatum ex Aichistadio Noribergam in cœnobium S. Egidij transferre uolens, Heribertum Romam pro pontificio consensu impetrando ablegauit: Qui cum iam in itinere esset uersus Romam, Imperator habitis super ea translatione, pluribus deliberationibus, priorem sententiam mutauit, ac mißis legatis Episcopum reuocari iußit. Episcopus moleste ferens, nõ succedere quod instituisset, in recursu graui morbo correptus, Frysingum concessit ad eius loci Episcopum, summo sibi amicitiæ uinculo coniunctum, Egelbertum: Vbi post paucos menses naturæ debitum absoluit, anno domini 1042 mense Augusto. Reuehitur Aichistadium ac honorifice ibi sepelitur cum tali inscriptione.

Ecce Dei seruus, præsul iaceo hic Heribertus.

16. GOZMANNVS germanus frater Episcopi Heriberti, eligitur in fratris successorem unanimi consensu totius cleri, anno domini 1042. Præfuit duobus saltem mensibus, dedicauit & consecrauit unà cum S. Brunone Episcopo Herbipolensi magnifice constructũ templum S. Walburgis: Inter ea solennia subito morbo correptus post triduum moritur, dum Episcopus Bruno adhuc esset Aichistadij, à quo terræ mandatus est, decima septima Octobrium, eiusdem anni 1042.

GEBE-

17. GEBEHARDVS comes à Kalw, Sueuus: patre Harduigo, matre uero Bitzella natus, propinqua sanguinis necessitudine Imp. Henrico III coniunctus: iuuenis quidem ætate, sed doctrina sapientia & morum grauitate prudentissimis senibus æquiparandus: eligitur in Episcopum Aichistadianum anno 1042 unanimi totius Canonicorum collegij consensu, erat iste in maxima apud omnes Imperij proceres existimatione: ita ut uteretur eius consilijs in maximis Imperij negocijs Imp. Henricus. Chuno uero Bauariæ dux in Pannonias iter faciens, commendauit ei totius Bauariæ interim administrationem. Præfuit Ecclesiæ Aychistadianæ annis tredecim laudabiliter. Postea cum 19 Aprilis, anno 1054 mortuus esset Romæ Pont. Max. Leo nonus, comes à Dagspurg, Alsata: & Cardinales missa ad Imperatorem legatione, peterent alium Pontificem, electus est in Comitijs Moguntinis unanimi consensu omnium Germaniæ Episcoporum, Gebehardus iste præsul & antistes Aystetensis. Romam itaq; profectus anno Dominicæ Incarnationis 1055 decima octaua Aprilis ibi Pontifex Max. designatus & consecratus non amplius Gebehardus, sed Victor secundus est appellatus. Præfuit Romanæ sedi summa cum laude annis duobus mensibus tribus, multas urbes ac arces ad Patrimonium Petri recuperans, quæ antea fuissent per uim abstractæ. Celebrauit concilium in urbe Florentina: erat totius cleri acerrimus censor, ac reformator.

Anno Domini 1056 ab Imp. accersitus in Germaniam uenit, natalem D. Virginis celebrans Goslariæ. Ibi cum Imp. Henricus III grauiter decumberet, Henricum filium Romanorum Regem constituit ac ut coronaretur ac statim à Pont. Max. Victore secundo cõfirmaretur effecit. Postea Imperator 5. Octobrium ex hac mortali uita ad æternam concessit: Hunc Pontifex Spiram aucbi ac in sua præsentia honorifice sepeliri fecit. Inde Romam rediturus, ipse etiam in itinere graui morbo correptus, 28 Iulij, anni à nato Christo 1057 ex hac lachrymarum ualle euocatus est. Sepelitur Rauennæ in suburbio ad D. Virginem.

13. GVNDECARDVS Agnetis Imperatricis sacellanus, Spiræ ab Henrico Rege cuius præcipuus erat Consiliarius Episcopatui Aychstadiano præficitur, post resignationem Gebhardi Pontificis Maximi: anno Domini 1057 qui hactenus Episcopatu sese non abdicarat. Præfuit fideliter ac utiliter annis octodecim. Absoluit turres summi templi inchoatas ab antecessore suo: coniunxit Altimulæ ripas firmissimo ponte saxeo. Decessit ex hac mortali uita ad immortalem secunda Augusti, anno dominicæ incarnationis Millesimo septuagesimo quinto. Sepelitur in S. Ioannis sacello à se condito. Erat humilimo animo præditus, qui in publicis literis non aliter se scribere ac profiteri solebat, quàm peccatorem & minimum inter S. Wilibaldi fratres.

19. Vdal-

19. VDALRICVS eligitur unanimi consensu totius Canonicorum summi collegij senatus, anno Domini 1075. Præfuit fideliter ac utiliter annis uiginti tribus. Sub eo fundatum est monasterium Castel à Friderico comite de Castel ac Bertha eius coniuge, comitissa à Vuolffnardshausen: facientibus ex castro suo Castiliano, sedem ac domicilium monachis instituti Benedictini. Legitur idē Episcopus consecrasse anno Domini 1095 cœnobium monialium Pergense. Obijt decima septima Nouembrium anni à nata salute humani generis 1098.

20. EBERHARDVS Marchio à Schwinfurto, Othonis Marchionis ac Sueuorū ducis apud Schweinfurtum residentis, ac Dominæ Petrissæ inclytæ à Wolfhartshausen comitissæ filius: eligitur unanimi consensu totius Capituli in Episcopum Aurcatensem anno Dominicæ incarnationis Millesimo nonagesimo octauo. Præfuit periculosissimis temporibus summa cum laude & eximia moderatione annis tredecim. Interfuit Synodo Moguntinæ, in qua actum est ab omnibus Imperij statibus de tollendo grauissimo schismate quod tunc temporis erat inter Henricum IIII, Imp. ac Gregorium VII, Pontificem Maximum. Vbi post longas ac multiplices deliberationes, à communibus Imperij statibus, Eberhardus Episcopus Romam ablegatur, ut Germaniam apud Romanum Pontificem excusaret, ac omnem obedientiam polliceretur

Ecclesiæ ac sedi Romanæ. Sed is Romam petens, Imp. Henrico IIII proditus, in Tridentinæ uallis angustijs, ab Alberto Regio quodam præfecto capitur, sed mox à Guelphone arma aduersus Adalbertum sumente magnanimiter liberatur. Aychstadiũ igitur reuersus, postea domi manens summo studio Ecclesiæ suæ præfuit, quam multis bonis pagis ac utilissimis prædijs, egregie etiam dotauit & auxit. Valedixit tandem hominum in terris uiuentium conuersationi sexta Ianuarij, Anni à nato Christo 1112.

21. VDALRICVS secundus huius nominis: eligitur post mortem Episcopi Eberhardi. Præfuit fideliter ac utilissime annis 13. Obijt peste consumptus, tertia Septembrium anni à nata salute humani generis Millesimi centesimi uigesimi quinti. Fuit summus amicus ac benefactor sui cleri.

22. GEBHARDVS, & ipse huius nominis secundus: illustris ac relligiosissimus comes ab Hirsberg. Eligitur in Episcopatus Aychstadiani à suis maioribus olim fundati gubernatorem ac antistitem, anno Domini 1125 unanimibus totius summi Canonicorum senatus suffragijs. Præfuit summa cum laude annis 14. Habuit Grrmanum fratrem, Ernestum comitem Hirsbergensem, qui anno Domini 1129 pietatis Christianæ zelo construxit ac fundauit Blanckenstetensem Benedictinorum Abbatiam insignẽ. Gebhardus iste ex præpositura Heydenheimensi iterum Benedictinam Abbatiam

tiam fecit, eiectis cum consensu Pont. Max. Eugenij tertij sacerdotibus, qui aliquandiu sub præposito non admodum religiose ibi uixissent. Interfuit Rhemensi Synodo in Gallijs celebratæ. Obijt decima septima Martij, Anni à nato Christo 1148.

13. BVRCARDVS homo simplex & ignauus, consequutus est Episcopatus Aychstadiani gubernaculum ac fasces à Rege Conrado tertio. Præfuit annis quatuor: eiecit Abbatem & monachos Benedictinos ex Heydenheymio monasterio. Iccirco Romæ accusatus ab Abbate, qui non istam solum uiolentiam, sed magis eius etiam insignem ignauiam, omnibus in Pontificis Curia aliqua authoritate præstantibus reuelabat: ab Eugenio tertio exauthoratus est anno Domini 1153. Extant de eo tales uersiculi:

Non, uirtutis egens Burcardus, erat bene degens,
Dedecus Ecclesiæ se facit esse suæ.
Præsulis hic morem nullum tenuit neq; honorem,
Sed tantum nomen, cuius & umbra fuit.

14. CONRADVS nobilis heros à Mörsbergk, Bauarus: constituitur & confirmatur ex Abbate cœnobij Wildsbergensis sapientißimo ac eximie docto Monacho, in gubernatorem Episcopalis Ecclesiæ Aychstadianæ, ab Eugenio tertio, P.M. anno Domini 1153. Fuit Fridcrico Barbarossæ optimo Imp. longe charißimus, à quo Rebdorffensi pago non procul ab urbe ad Almonum amnem sito donatus est: in hunc

pagum Episcopus iste subsidijs Friderici Barbarossæ ædificauit magnificum cœnobium Canonicorum Regularium S. Augustini, in quo hodie adhuc studia sub Patre Rebdorffensi eximie docte egregie florent. Hoc monasterium cum anno domini 1159 egregie absoluisset, curauit sibi in eodem etiam adornari tumulum unus adhuc, in quem mortuus aliquando collocaretur. In Heydenheymense cœnobium reduxit Abbatem, & monachos antea ejectos: pulsis iam iterum sæcularibus sacerdotibus, mirum in modum ubi triumphantibus. Cumq; annis octodecim laudabiliter ac utilissime præfuisset, decessit tandem ex hac lachrymarum ualle ad pacem ac quietem sempiternam, decima tertia Ianuarij, anno Dominicæ Incarnationis 1171. Sepelitur honorifice in Rebdorffensi à se fundato ac liberalissime dotato cœnobio.

25. EGILOLPHVS eligitur concordibus suffragijs totius Capituli in successorem antistitis Conradi anno 1171. Vir ualde bonus ac humanissimus, sed afflictissima ualetudine præditus: & qui Chiragra primum misere uexatus ac totus Contractus, tandem arcano sed iusto tamen Dei iudicio obmutuit. Præfuit undecim annis, & anno Domini 1182 Episcopatum Canonicorum senatui libere et summa cum gratiarum actione, quam manibus & gestibus expressit, resignauit.

26. OTHO assumitur in locum resignantis Egilolphi ab unanimiter consentiente clero: præfuit summo

studio

studio prouehendi ac amplificandi Episcopatus annis tredecim. Religionis ac Ecclesiasticarum Ceremoniarum studiosissimus, qui primus ueniret ad templum, ultimus è templo discederet. Condidit sacellum resurrectionis Christi. Ambulauit ab his Babylonis flumimbus ad portum æternæ quietis anno Dominicæ Incarnationis 1196.

17. HERDOVICVS comes à Sultzbach, aut (ut Abbas quidam Planckenstetensis monasterij annotauit) comes ab Hirsberg, Gebhardi comitis Hirsbergensis, Aduocatiæ Eystetensis præfecti germanus frater: ex comitissa sortassis Sultzbacensi æditus. Is ex præpositò summi collegij factus & designatus est Episcopus Aureatensium Ecclesiarum anno Domini 1196, Canonicè ac legitime electus unanimi totius Ecclesiæ consensu. Præfuit laudabiliter ac honestiss.me annis uiginti octo. Mortuus est, secunda Maij, anno Domini 1214, Imperante Friderico secundo. Extat de eo tale adhuc distychon.

Herduicus uitam duxit uirtute politam,
Mente Deo gratus, præclara stirpe q; natus.

18. FRIDERICVS nobilis ab Hauenstat uel Haumstat, eligitur ab uniuerso Capitulo in præsulem Eystetensem, mortuo Episcopo Herdouico. Præfuit annis duobus optime ac utilissimè: euocatur ex hac momentanea ad diuturniorem ac sempiternam

uitam anno Christianæ salutis 1176. Imperante Friderico secundo.

29 HENRICVS nobilis heros à Zipplingen, Sueuus: Designatur ex Augustano ac Aychistadiano Canonico in Episcopum Aureatensem anno Domini 1206. Fuit rei familiaris & administrandæ Oeconomiæ studiosissimus, qui plurimum profuisset Episcopatui, si Deus diutius eum fauisset Ecclesiæ Aychistadianæ. Præfuit autem tribus tantum annis, mensibus duobus. Construxit Mornsheymensis arcis Basilicam collegiatam. Obijt decima Ianuarij, anno Christianæ redemptionis 1209.

30. HENRICVS huius nominis secundus, nobilis à Disthingen: Sueuus, eligitur in Episcopum unanimibus Capitularium omnium sententijs statim post mortem Henrici Zipplingensis. Præfuit laudabiliter & optime annis quinq;, mensibus tribus. Obijt ultima Iulij, anno 1234.

31. HENRICVS tertius huius nominis, nobilis Regulus à Rabensperg: successit Henrico Disthingẽsi, præfuit fideliter ac fœliciter annis tribus. Obijt ultima Iunij, anno salutiferi partus Millesimo ducentesimo tricesimo septimo.

32. FRIDERICVS secundus huius nominis, nobilis heros à Parsbergk, uir eximie doctus ac sapientissimus, eligitur in Episcopũ Aychistadianũ ab unanimiter ei suffragante uniuerso summi Collegij senatu.

Præ

Præfuit prudentißime ac fœlicißime annis nouem. Euocatur ex hac mortali uita 18 Iunij, anni à nato Christo 1246. Sepelitur honorifice in S. Iohannis sacello.

33. HENRICVS quartus huius nominis, comes &wirtenbergensis: eligitur post mortem & fata Friderici concordibus Capitularium uocibus anno domini 1246. Præfuit bene ac utiliter 13 annis. Transtulit in mediam Basilicam Cathedralem ossa S. &wilibaldi primi Episcopi. Obijt decima tertia Maij, anno redempti orbis 1259, sepelitur cum omnium suorum publico luctu in summo templo Aichistadiano. Sub eius gubernatione fundatum & liberalißime dotatum est magnificum uirginum Vestalium cœnobiũ, BEATORVM portæ titulo ac nomine nobilitatum, instituti Bernardini in Hirsbergensi comitatu situm, à Ludouico alibi Godefrido de Soldsberg equite aurato, ac imperatoris Friderici secundi ministeriali, Anno dominicæ incarnationis 1253.

34. ENGELHARDVS alijs Eckhardus dictus, succeßit Henrico quarto, anno salutis 1259. Præfuit religiosißime ac utilißime annis duobus. Reædificauit ex imis fundamentis summam Basilicam, hodie adhuc conspicuam, cum insigni ac memorabili choro S. &wilibaldi: quem tamẽ morte præuẽtus nõ absoluit. Obijt anno domini 1261 Moguntiæ in congregata Dioecesana Synodo, ubi & honorifice terræ parenti in eius

urbis Cathedrali Basilica redditus est cum omnium publico luctu.

35. HILDEBRANDVS nobilis regulus à Mern, Engelhardo succedens: præfuit laudabiliter ac optime annis octodecim. Absoluit chorum S. Wilibaldi & eius tumulum pulchre ibi collocari & adornari fecit, anno domini 1376. Eadem ætate erectum est à Ludouico Bauarorum duce, accedentibus huius Episcopi etiam subsidijs, cœnobium Franciscanorum apud Iugolstadium. Obijt in Vigilia annunciationis Mariæ, anno domini Millesimo ducentesimo septuagesimo nono, imperante Rodolpho Habspurgio. Sepelitur in medio choro S. Wilibaldi.

36. REYNBOTO nobilis heros à Mullnnhart, eligitur uno omnium Capitularium ore, ac unanimi consensu. Præfuit summa prudentia, ac utilissime annis octodecim. Emit oppidum Spaltense, arces item Werenfelsum ac Abenbergum cum adiacentibus territorijs: reliquas Episcopatus arces pulchre instauravit ac munitiores fecit. Sub huius Episcopi gubernatione ædificauit illustris comitissa domina Sophia de Hirsberg, cum consensu & auxilijs filiorum suorum Gebhardi & Gerhardi comitum Hirsbergensium; Prædicatorum monasterium Aureatense. Obijt Episcopus Reinbotho uigesima sexta Augusti, anno incarnationis dominicæ, Millesimo ducentesimo nonagesimo septimo. Sepelitur in S. Wilibaldi choro.

CON-

37. CONRADVS secundus huius nominis, nobilis Regulus de Peffenhausen ex Bauaris natus, eligitur secunda Nouembrium, anni à nato saluatore 1207. Consecratur Moguntiæ ab Archiepiscopo Gerardo Eppensteinio in uigilia S. Martini. Præfuit annis septem, mensibus octo. Vendidit arces Kipfenbergensem, Gundelsheymensem & Sandeferensem: incluſit mœnibus, ac ex pagis oppida fecit, Mornsheymium & Ambergum. Interfuit comitijs, quæ habita sunt ab Alberto Austrio Imperatore Norimbergæ: ibi de sessione cum Episcopo Vuormatiensi certans ostensis diplomatibus, quibus probabat sibi dignioremlocum deberi, uicit. Huius Episcopi temporibus obtulit Deo Opt. Max. & Ecclesiæ Aichstadianæ illustris ac generosus comes, Gebhardus ab Hirsberg ultimus laudatissimæ suæ gentis, ex Ducissa Bauarica Ludouici ac Henrici sorore natus, & auitam arcem ac totum comitatum Hirsbergensem, cum oppido Berchingensi, ac toto ad hunc comitatum pertinente territorio. De hac donatione extant sequentes uersiculi.

Montem ceruorum clarum, castrumq; decorum
Et res Conrado Gebhardus ego tibi trado:
Quas Vuillibaldi uice suscipias patris almi
Aeternã ut requiem mihi is impetret atq; salutem.

Decesse-

Decesserunt ex hac mortali uita & Episcopus iste Conradus, & liberalissimus iste comes Gebhardus, uno & eodem anno, uidelicet anno domini 1305. Episcopus in fontium salutarium cœnobio Cistercienſi, unde Aichistadium reuectus in ſumma urbis Basilica honorifice ſepelitur, ſub rubeo marmore, quod poſtea parieti inſertum eſt. Gebhardus uero in arce Hirsbergenſi, ex qua Rebdorffum auectus, ibi in media Eccleſia honorifice tumulatur.

38. IOHANNES à Dierpheym, Heluetius nobilis illegitime natus in agro Tigurino: doctrina uero multiplici ac ſapientia ſumma præditus, Alberti Imperatoris Cancellarius ac intimus conſiliarius: Primũ pro ingentibus ſuis meritis ab hoc ipſo Imperatore ſummæ Basilicæ Tigurinæ Præpoſitus deſignatus, tandem ab eodem ſenatui Canonicorum Aichistadianorum diligenter commendatus, haud grauatim ab ipſis etiam ad eius Epiſcopatus gubernationem admittitur. Incidit ibi ſtatim in grauiſſimas ac biennales contentiones cum ducibus Bauariæ, comitatum Hirsbergenſem ad ſe rapere uolentibus, ſed Epiſcopus ſumma ſapientia ſua ac fauore (quem habebat apud Imperatorem) cauſſam per ſe bonam facile obtinuit ac uicit: non ſinens ſibi & Eccleſiæ ſuæ talem bolum è faucibus eripi. Auocatur anno domini 1307 ab ipſo Pontifice Maximo Clemente V ad gubernationem Episcopatus Argentinenſis. De quo plura leges in Argentinenſium

nensium Catalogo, folio sexagesimo nono.

39. PHILIPPVS nobilis Regulus à Rodtsamshausen, Alsata: Doctor sacrarum scripturarum, & Abbas Barisiensis Cistertiensium ordinis cœnobij, missus unà cum Iohanne Episcopo Aichistadiano ab Imperatore Alberto Austrio Romam, ibi à pontifice Clemente quinto ad prandium inuitatus, Aichistadiano Episcopatui præficitur. Ioannes uero à Dierpheim, ipse quoq; à Pontifice clementissime acceptus, Argentinensis Episcopus designatur. Præfuit laudabiliter annis sedecim, mensibus duobus: Emit arces Wartbergensem & Gredingensem. Recuperauit Herriedenium. Huius Episcopi consensu uastatum, ac solo æquatum est Erlishofense castrum, latronum ac raptorum infame latibulum. Decessit ex hac mortali uita uicesima quinta Februarij, anno domini 1312. Sepelitur in summa Basilica ante suggestum.

40. MARQVARDVS nobilis ab Hageln, Sueuus: coadiutor antea aut Vicarius Episcopi Philippi per integrum sexennium, eligitur anno domini 1312 in Episcopum. Præfuit duobus tantum annis, sed utilissime. Construxit arcem Mornsheymensem, emit cœnobium Mosbrunnense cum adiacente territorio. Condidit ac fundauit prope summam Basilicam, Canonicorũ nouum Collegium, Deo Opt. Max. ac beatæ Virgini dicatum. Obijt in Vigilia S. Richardi, anno domini 1314. Sepelitur honorifica pompa funebri in nouo D.

Virginis

Virginis Collegio à se fundato.

41 GEBEHARDVS tertius huius nominis, comes à Grayspach, præpositus summi templi Aichstadiani, eligitur in eiusdem Episcopum ac gubernatorem unanimi totius Capituli consensu. Præfuit laudabiliter annis tribus, mensibus octo. Sequitur Imperatorem Ludouicum Bauarum in Italiam: quo Pisas obsidente & oppugnante, cum grassaretur pestis in imperatorio exercitu: Obijt etiam Episcopus iste Gebhardus, non procul à Luca, in die exaltationis Crucis, Anno salutiferi partus Millesimo trecentesimo uigesimo septimo. Vehitur Lucam & ibi in cœnobio S. Frigidiani, prope S. Richardi Anglorum regis tumulum, terræ parenti redditur.

42. FRIDERICVS tertius huius nominis, Lantegrauius Leuchtenburgensis: Abbas monasteriorum Cistercensis instituti, Lankhenheymensis ac Eboracensis. Constituitur & confirmatur Episcopus Aichistadianus, anno domini Millesimo trecentesimo uigesimo octauo, à Pont. Max: Ioanne uicesimo secundo. Sed non est receptus à Senatu Canonicorum Aichstetensium, qui interim Episcopatus gubernationem commendabant Friderico Burgrauio Noribergensi, Aystetensi & Ratisbonensi Canonico prudentissimo ac optimo, qui mox ad Ratisbonensem Episcopatum gubernandum postulatus 24 annis ibi summa cũ laude præfuit. Fridericus Leuchtenburgius ex hac

uita

uita deceßit, anno domini 1319 in arce Holnſtein prope Berchingum ſita. Auehitur inde primum Eboracum: poſtea uero in &waldſaſſenſe cœnobium, ubi in Leuchtenburgenſium principum ſacello, prope alios eiuſdem ſtemmatis maiores ſuos terræ parenti redditur, Anno à Chriſto nato 1330.

43. HENRICVS quintus huius nominis, nobilis pincerna à Reichenegk, Canonicus Ratiſbonenſis & præpoſitus Collegij S. Iohannis, conſtituitur Epiſcopus Aichiſtadianus ab eodem pontifice Max. Iohanne 22 in odiũ Ludouici Bauari, anno 1319. Præfuit annis quinq; utiliſſime, in quibus Reichenouienſem arcem acquiſiuit, & oppidum Herrieden mœnibus incluſit ac pulchre muniuit: Veniente autem Imperatore ex Italia coactus fuit cedere. Seceßit itaq; Noribergam anno domini 1334 ubi cum adhuc nouem annis quietiſſime & omnino ſolitarie ferè uixiſſet, abſoluit tandem naturæ debitum in ipſa die S. Scholaſticæ anno domini 1343. Sepelitur in monialium cœnobio quod Vallis Angelorum appellatione ornatũ, nõ procul eſt à Reipub. Noribergenſis oppido Herſbrugk. Adminiſtrauerunt interim Aichiſtadianum Epiſcopatum D. Rabanus Dapifer de &wulburſtetten, & dominus Albertus de alta rupe, ſummi Collegij præpoſitus, qui ambo poſtea ad Epiſcopalem dignitatem aſſumpti ſunt.

44. ALBERTVS nobilis heros de Alta rupe, antea

antea ſummæ Baſilicæ præpoſitus, ac tandem Epiſcopatus etiam adminiſtrator: eligitur mortuo Epiſcopo Henrico quinto à toto Capitulo in Epiſcopum, anno domini 1343. Præfuit laudabiliter ac utiliſſime annis ſeptem, & anno domini 1351 à Clemente ſexto exauthoratur: nullam ob cauſſam, quàm quod pontifex diceret, ſe ſolum habere ius ac poteſtatem conferendi Epiſcopatus, cui uellet: non Archiepiſcopum Moguntinũ, cuius confirmationem Pontificiæ non uolebat æquipollere. Non eiecit eum tamen ſequens Epiſcopus Bertholdus à Pontifice Aichiſtadiũ miſſus, ſed ut erat natura placidus, mitis ac humaniſſimus, facile Albertum uirum etiam quietum gubernationis conſortem tulit: donec eum Deus ex hac uita euocaret, quod factum eſt in Ianuario anni à nato Chriſto 1355. Sepelitur in ſummo templo ante S. Wilibaldi chorum, prope Baptiſterium.

45. BERTHOLDVS Burgrauius Noribergenſis, anno ætatis ſuæ decimo tertio, Teutonicorum dominorum ordini inſertus, honeſte ac laudabiliter in eo uixit, tamdiu donec in orientali Francia primũ, et tandẽ in Boruſſia etiam fieret Prouincialis commendator: His dignitatibus ac officijs præfuit laudabiliter ad annum uſq; ætatis ſuæ triceſimum primum, tum anno domini 1351 à Pontifice Max. Clemente ſexto, Epiſcopus Aichiſtadianus deſignatur & confirmatur. Præfuit utiliſſime ac ſumma cũ laude annis 14. Conſtruxit

ex imis

eximis fundamentis extra urbem in sublimi monte magnificum castrum Episcopale, in honorem S. Wilibaldi primi Episcopi, uocauitq; S. Wilibaldi castrum. Emigrauit ex hac lachrymarum ualle decima sexta Septembrium anni à nato Christo 1365. Auchitur in fontium Salutarium cœnobium, & ibi cum suis maioribus Burggrauijs Noribergensibus cum honesto uirtutum suarum elogio sepelitur.

46 RABANVS uel Rabano, nobilis heros & genere & uirtute, Dapifer à Wilburgstetten, qui antea aliquandiu etiam administrator fuerat, iam post mortem Bertholdi Episcopi eligitur unanimi consensu omnium Capitularium in Episcopum Aychstadianum. Confirmatur ab Vrbano V. Pont. Max. apud Auinionem, in die S. Wilibaldi anni 1365. Præfuit sapienter ac utiliter annis septendecim, mensibus decem. Obijt in die S. Lucæ anni à nato Christo 1383: Sepelitur honorifice in S. Wilibaldi choro prope Episcopũ Hildebrandũ.

47. FRIDERICVS quartus huius nominis, comes Oetingensis, successit Episcopo Rabano, Canonice ac legitimè electus anno Domini 1383, ætatis suæ anno uicesimo tertio. Consequutus est confirmationem à Pont. Max. Vrbano sexto. Præfuit summa cum laude ac utilissime annis triginta duobus. Emit castra Danhusense ac Brunegcense cum adiacente territorio. Construxit arcem Herriedensem ex imis fundamentis, Richenouiana arce deiecta: Item turrim illam excelsam

Arbergensis arcis, & turrim castri S. Wilibaldo dicati. Egregie illustrauit domum, quam Episcopus Aychstadianus habet intra muros urbis Noribergensis. Construxit magnificam domum frumentariam in oppido Spalt. fuit latrociniorum ac seditionum summus hostis. Obijt in Aystetensi Palatio Episcopali decima nona Septembrium anni à nato Christo Millesimi quadringentesimi decimi quinti, quo cæpit concilium Constanciense. Sepelitur honorifice in S. Vuilibaldi choro, ante aram S. Barbaræ à se fundatam.

48. IOANNES secundus huius nominis, Baro ab Heydeck: summi collegij Bambergensis præpositus, eligitur in Episcopum Aychstadianum anno Dominicæ Incarnationis Millesimo quadringentesimo decimo quinto. Præfuit fideliter quatuordecim annis. Obijt in die S. Erasmi, anni Christianorum Millesimi quadringentesimi uigesimi noni in arce S. Vuilibaldi: sepelitur in Basilicæ Aychstadianæ choro, eidem S. Vuilibaldo sacro.

49. ALBERTVS secundus, nobilis heros à Rechberg, eligitur unanimi consensu totius cleri post mortem Ioannis antistitis: præfuit optime ac utilissime annis sedecim, ob incomparabilem humanitatem omnibus hominibus summe charus, pacis etiam ut cæteri ferè omnes antecessores studiosissimus: qua insigni uirtute longe excellit Episcopatus iste Aureatensis omnes alios, quos habet uniuersa Germania, Soli enim

Aureæ

Aureatenſes & Aychſtadiani, conſeruandæ pacis & tranquillitatis publicæ ſemper amantes ac ſtudioſi, nunquam arma ſumpſiſſe, nunquam bella geſſiſſe, aut ullius inquietis authores fuiſſe leguntur. Emit oppidum & Caſtrum Dollenſteinenſe à Baronibus de Heydeck: illuſtrauit pluribus ædificijs Palatium Epiſcopale intra muros Aychſtadianos ad pontem ſitum. Obijt in die S. Gorgonij, anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo quinto. Sepelitur in S. Wilibaldi choro, ante aram Sanctæ Barbaræ.

50. IOANNES tertius huius nominis, nobilis heros ab Aych: eligitur concordibus uocibus ac ſententijs Capitularium omnium poſt mortem Alberti Epiſcopi, à quo erat educatus. Doctor ſacrarum ſcripturarum ac Pontificiarum legum, uir eloquens ac ſapientiſſimus. Præfuit laudabiliter ac utiliſſime octodecim annis, menſibus tribus. Fuit Alberti ſecundi Imperatoris Cancellarius, non ipſi ſolum chariſſimus, ſed & omnibus Germaniæ principibus, Imprimis uero Pontifici Maximo Pio ſecundo, qui audiens eum ex hac mortali uita emigraſſe, dixit Romæ in publico omnium Cardinalium conſeſſu: Eccleſiæ merito deplorandã eſſe mortẽ huius Epiſcopi, quæ uere iam amiſiſſet auream ſui corporis columnam in Germanijs. Fuit acerrimus cleri reformator. Pauperum uero pater longe humaniſſimus. Conſtruxit Xenodochium

Aychistadianum de nouo, ut pauperes & ægroti haberent commodas habitationes. Passa est sub eo aliquid detrimenti Ecclesia, propter uicinum malum: bellum uidelicet Ludouici Bauarorum ducis, contra Albertum Marchionem Brandenburgensem gestum. Euocatur ex hoc mortali sæculo in ipsis Ianuarij Calendis anno Domini 1464: Sepelitur in cœnobio S. Vualburgis, sacello S. Agnetis à se constructo, cum tali uirtutum suarum elogio:

De Aych cui nomen erat, claraq; ex stirpe Ioannes,
Aureatensis tu hic præsulis ossa uides.
Si Deus aut superi uiuunt, & amœna piorum
Sunt loca, nec probitas munere cassa suo est:
Hunc bene pro meritis lector iam credere dignum est
Inter cœlicolas connumerasse Deum.

51. GVLIELMVS nobilis à Reichenaw, eligitur ex Canonico Aychstadiano in Episcopum unanimi consensu totius summi collegij: præfuit sapientissime ac utilissime annis triginta tribus. Emit oppida, arces ac pagos plurimos: Messingum, Amsbergum, Hoffstettum, Reutenbuchum etc. Fuit Imperatori Friderico tertio & eius filio D. Maximiliano longe charissimus, erat enim insigni uirtute, Eloquentia uero summa præditus: de quo non inepte inter alia cantatus est uersiculus iste, in quo & Soloni Atheniensium sapientissimo legislatori & Solomoni sapientissimo regi assimulatur.

At tibi

At tibi Solonis Mens Præsul & Os Solomonis.

Huius Episcopi temporibus constructum est à uiris nobilibus cœnobium uirginũ, Mariæ lapis, inter Rebdorffum ac Aychstadium situm, & Franciscanorum cœnobium in Memingensi monte à Ludouico Rheni Palatino ac Bauarorum duce. Obijt decima octaua Nouembrium, anni à nato Christo 1496. Sepelitur cum omnium suorum luctu in S. Vuilibaldi ornatissimo choro: cum talibus inscriptionibus:

Vuilhelmo Episcopo Aystetensi, uiro omnium uirtutum ornatissimo, quem ob singularem fidem atq; prudentiam Fridericus Cæsar & Maximilianus Rex, non modo in consilium de maximis Imperij rebus præcipuum asciuerunt, sed etiam Legatum: Alter ad Mathiam Hunnorum, alter ad Carolum Gallorum Reges miserunt: Maximilianus etiam post Friderici patris obitum, parentis loco in summis rebus habuit & uerbis compellare consueuit P. Vixit in Episcopatu annis triginta tribus.

Magnam si qua uiro tribuit Sapientia laudem,
Hic summo Præsul dignus honore iacet.
Cui nihil obijciunt inimici, præter honestum
Crimen: quod Regi & Cæsari amicus erat.

52. GABRIEL nobilis Regulus ab Eyb, Ostrofrancus: eligitur à toto Canonicorum summi collegij senatu ex Babenbergensi ac Aychstadiano Canonico,

in Episcopum Aychistadianum, quinta Decembrium, anni à nato Christo 1496. Fuit Episcopus egregie doctus, cum summa laude in Germaniæ & Italiæ Academijs tamdiu uersatus, donec doctoratus titulum conseqveretur: præfuit Episcopatui Aureatensi prudentissime annis 39. Fuit pacis amantissimus, ac custos diligentissimus: qui etsi lacessitus aliquoties, tamen sese continuit, ac dicere solitus fuit, se hoc uel illud negotium commendare dijudicandum Deo Optimo Maximo, ueritati, legibus ac S. Vuilibaldo. Fuit uir iustus, et iustitiæ defensor ac æquitatis custos summus. Omnibus bonis benignus, omnibus charus. Subditos suos nulla unquam exactione grauans: quorum pater fuit magis quàm Dominus, longe fidelissimus. Valedixit huic mortali sæculo prima Decembrium, anni à nato Christo Millesimi quingentesimi tricesimi quinti, in S. Vuilibaldi arce: ex qua in urbis summam Basilicam deportatus, ibidem honorifice humatus est, cum tali Epigraphe:

Hic oubat antistes clara de gente Gabriel
Aeditus, Ecclesiæ gloria magna suæ:
In quo consilium, solers prudentia rerum
Floruit agnitio dexteritas q;, uiro.
Hic simul à clero duras subtraxit habenas,
Defendit q; suum cum pietate gregem.
Legitimos auxit census, quo tutius ipse
Consuleret patriæ rebus & usq; sacris.

In Iona

In longos igitur uitam fœliciter annos
Produxit sanus corpore, mente magis.
Hunc modo defunctum fatalis continet urna:
Ad quam turba frequens cum prece spargat aquã.

53. CHRISTOPHORVS Marsallus à Bappenheym: eligitur à toto concorditer consentiente clero in successorem Episcopi Gabrielis, decima quarta Decembrium, Anni à nato Christo 1535. Præfuit annis quatuor. Obijt anno Dominicæ incarnationis Millesimo quingentesimo tricesimo nono.

54. MAVRICIVS ex nobilißima Huttenica familia in Ostrofrancis natus: uir eximia uirtute, multiplici doctrina, incomparabili morum suauitate ac plurimarum linguarũ absoluta cognitione ornatißimus, Præpositus summi Herbipolensis collegij, constituitur Episcopus Aureatensis uicesima septima Iunij, anno Domini 1539 unanimi consensu omnium summi senatus Aureatensis procerum. Interfuit Carolinis Comicijs omnibus. Præest suæ Ecclesiæ fideliter ac summa cum laude hoc currente adhuc anno Dominicæ Incarnationis 1549.

At tu Maurici illustrißime & optime princeps,
Chare uiris doctis omnibus atq; bonis:
Parce mihi, quod te breuiter delimo saltem:
Qui Colophoniaco carmine dignus eras.
In quem concluſit (diues Natura bonorum
Quicquid habet) clemens & bonus ille Deus:

Cuius mortales tegimur bonitate perennì,
Quotquot in hac uita pauperiore ſumus.
Mox erit, ut (qui marmoreum te hoc tempore feci)
Ex auro effingam te meliore modo.
Te patris interea tueatur filius ingens,
Conſeruet nobis incolumemq; diu:
Et pacem in patriam te conſultore reducat,
Quæ graſſantibus eſt undiq; preſſa malis.
Ceſſent diſſidia, & redeant è triſtibus iris
Germani tandem in fœdera priſca uiri.
Vnum concordi Dominum pietate colamus,
Omnia qui ſolus trinus & unus agit.
Qui propter gnati meritum uult omnia nobis
Condonare pius propicius q; pater.
Eſt breue adhuc nobis in mundo hoc paupere tempus
Ante foresq; Dei eſt iudicis illa dies.
Vltima nempe dies, quæ cœli in regna uocabit,
Virginis, hos, natum qui coluere Deum:
Sed qui non coluere, illos Acherontius ignis
Obruet, æternis obijcietq; malis.
Has prohibe ærumnas à nobis Chriſte redemptor,
Omnia qui potes ac omnia ſolus habes.

Ad Hil-

AD HILDESHEYMENSEM VRbem in Saxonibus sitam Schediasma Gasparis Bruschij Poetæ Laureati.

Accipe tu quoq; diua tuos Hildesia patres
Doctores ueteres Pontificesq; uiros.
E priscis qui te eduxere erroribus olim
Et Christi ueram te docuere fidem.
Qui te qui murosq; tuos, tua mœnia, templa
Illustresq; tibi constituere domos.
Hos ego in obscuro positos & luce carentes
Hactenus, hoc uolui sic celebrare libro.
Ne tuus ille periret honos, sed gloria toto
Et tua & ipsorum posset in orbe legi.
Quod decet officium te nostrum agnoscere grato
Pectore: sic tibi sint omnia fausta: Vale.

VNDECIMVM CAPVT de omnibus Hildesheymensibus Episcopis.

HILDESHEYMENSIS Episcopatus in Saxonibus fundatus ac institutus est, primum à Carolo Magno Galliarum Rege, ac Imp. Rom. cum deuicto Saxonum magno Duce Widekindo, primus religionem Christianam per totam Saxoniam plantaret,

& ab Idolatricis eam erroribus ac cultibus ad ueri Dei cognitionem reduceret. Cœpit uero Episcopatus ille non Hildesiæ, sed apud Elzium uel Regiam aulã amœnissimũ quendam pagum in concursu Salæ ac Lynij pisculentissimorum fluuiolorum situm: Ibi prima Cathedralis Basilica futuro Episcopatui cõstructa est, à Diuo Carolo magno in honorem principis Apostolorum S. Petri, à qua Episcopatus primũ Aulicensis Episcopatus dictus est. Translatus est autem tandem ab Imperatore Ludouico Pio Caroli Magni filio ex Regia ista aula trans flumen Lynense in locum, quem à cœlitus missa niue Hildeschne olim, nunc uero parum immutata uoce Hildesheym appellamus. Ibi conditum est ab eodem opt. Imperatore primum templum D. Virgini sacrum, & hic cœpit Episcopus Guntharius à Carolo Magno antea electus, primus Hildesheymensis appellari, qui antea Aulicensis dictus erat: factumq; id est anno dominicæ incarnationis 814. Ad quem cum undiq; confluerat magna hominum multitudo, mox sub eo locus ille tum adhuc syluestris præclare excultus, in egregiam urbẽ excreuit. Huius Episcopalis Ecclesiæ gubernatores ac antistites ad hæc nostra usq; tempora omnes, tali serie ac ordine numerari solent.

1. GVNTHARIVS uel Guntherus eligitur & constituitur primus Episcopus Hildesianæ Ecclesiæ, ab Imperatore Ludouico Pio, anno domini 814 quo

obijt

obijt Carolus Magnus primus huius Episcopatus fundator. Præfuit laudatißime annis uno & uiginti, qui antea etiam aliquandiu in Aulica concionatus fuerat. Condidit templum S. Ceciliæ duabus turribus conspicuum, prope D. Virginis inchoatum prius à Ludouico Imperatore sacellum. Obijt anno domini 835. Sepelitur in sacello arcis à se constructæ.

2. REMIBERTVS alijs Frembertus: succeßit Gunthero Episcopo: sed paucis tantum mensibus præfuit, euocatus ex hac in aliam meliorem uitam. Sepelitur honorifice in sacello arcis prope anteceßorem.

3. EBO alijs Eppo, Gallus natione: Archiepiscopus Remensis, primus q ab Imperatore Ludouico Pio, ac P. M. Paschali missus, Danos ad fidem Christianam conuertit, in cuius absentia cum audiret Imperator eum unum fuisse ex suasoribus seditionis, in qua ipse à suo filio Lothario captus erat: deiecit cum ex Archiepiscopatus fastigio, Hamburgum igitur ad S. Ansgarium Archiepiscopum confugit, qui cũ uirtute ac sapientia præstantem uirum esse uideret, mox eius misertus, constituit eum Episcopum Hildesianum anno 83[illegible]. Præfuit ibi annis duodecim concionando, docendo, baptisando, & alijs pietatis officijs ad uerum Episcopũ pertinentibus fidelißime. Deceßit tandem ex hac uitæ anno domini 847.

4. S. ALEFRIDVS monachus Corbeyensis, Benedicti instituti, sapiẽtißimus ac doctißimus, ex Colonien-

si Archi-

Archiepiscopatu sublimi loco natus, succeßit Episcopo Ebboni anno domini 848. Præfuit laudabiliter annis 28. Construxit nouam Basilicam Cathedralem magnificam ac robustißimam, in honorem Dei Opt. Max. ac D. Virginis: quam in forma monasterij extructam uiginti sex annorum spacio absoluit. In eo ordinauit ac constituit, ut Canonici sui omnes sub professione ac regula Benedictina uiuentes Deo acerrimo studio seruirent, non secus ac monachi omnia habentes communia: fundauit in Archiepiscopatu Colonienſi patria uidelicet sua, de paternis suis facultatibus Essense nobilium ac illustrium puellarum (quæ sub Abbatissa illic honeste educari, postea prodire ac nubere solent) potentißimum Cænobium, in quod hac nostra adhuc ætate non nisi Principissæ, Comitissæ & Baronissæ accipi solent. Cõstruxit Selgenstadense cœnobium, ac aliud item uirginum Vestalium monasterium Asuedense dictum. Donauit etiam liberalißime Gandersheymense uirginum cœnobium, hodie in eiusdem nominis Brunsuicensi oppido situm, quod anno domini 851 à Leodulpho magno Saxonum Duce fundatum ac inchoatum est. Ei cœnobio præposuit primam Abbatissam Episcopus iste, Leutholphi fundatoris filiam Habundin eodem anno 851: quæ cum octodecim annis præfuisset, & ex hac lachrymarum ualle decessisset, constituta est ab eodem Episcopo anno domini 870 Secunda eius loci Abbatissa, domina Gerbir-

gā primæ Abbatissæ Germana soror, eiusdem magni Saxonum ducis Leutholphi filia. Valedixit huic mortali uitæ Episcopus Alefridus, anno domini 877. Euehitur in Virginum cœnobiū Asuedense à se conditum ac fundatum, ibiq; honorifice sepelitur. Succeßit illi statim Leutholpus quidam Corbeiensis monachus, sed quia ille ante consecrationem ac confirmationem pontificiam ex hac uita est euocatus, in Cathalogo Hildesianorum antistitum non numeratur.

5. MARQVARDVS succeßit Leutholpho: uir admodum religiosæ ac innocentis uitæ, Deo & cœlo dignus, teste Crantzio. Præfuit tribus annis fideliter ac pie. Trucidatur Hamburgi à Sclauis, Nordmannis ac Danis in tota Saxonia tum crudeliter grassantibus. Sepelitur in monasterio Eppkestorpensi, anno domini 880. Etsi Crantzius sibi ipsi pugnans alios ponat numeros, succeßisse enim Alefrido dicit & anno 876 cæsum ait in Eppekstorp, Alfridum uero obijsse anno 877, quæ omnino male inter se conueniunt.

6. VVIGEBERTVS insignis & animarum & corporum medicus, & cuius multi adhuc libri de Medicina scripti extant in Bybliotheca Hildesiana: eligitur post martyrio coronatum Marquardum anno domini 880. Præfuit annis quatuor summa cum laude. Absoluit templum Gandersheymensis cœnobij: cuius Abbatissa domina Gerberga cum euocaretur eo adhuc uiuente ex hac lachrymarum ualle, constituit ibi Episcopus

scopus &wigebertus tertiam Abbatissam, Leutolphi Saxonũ ducis minorem natu filiam, Dominam Christinam. Obijt postea anno domini 884. Sepelitur in Aulæ Episcopalis sacello. Crantzius illi unum saltem annum tribuit, similiter unum &waldoberto, Sigehardo quadraginta, sed uere errat.

7. VVALDOBERTVS eligitur mortuo &wigeberto, præfuit summo propagandæ ac illustrandæ religionis Christianæ studio annis 19. Obijt anno domini 903. Sepelitur in Basilica Cathedrali apud Hildesheymium, ante aram S. Ceciliæ. Is primus Præpositum summæ Basilicæ constituit: ac Canonicis in monastica ueste sub benedictina adhuc professione coniunctim uiuentibus, certos etiam annuos redditus assignauit, quibus & libros sibi & uestes & alia necessaria comparare possent. Sub hoc Episcopo obijt tertia Abbatissa Gandersheymensis domina Christina Leutholphi primi fundatoris filia: cui Rodeschwindam ducali etiam stemmate natam puellam, religiosissimam eius cœnobij monialem substituit.

8. GEBEHARDVS alijs Sigehardus, eligitur anno domini 903. Præfuit annis uiginti quinq; summa cum laude. Ornauit suggestum summi templi argenteis laminis. Obijt anno domini 928. Sepelitur in summo templo ante aram S. Ceciliæ. Sub eius gubernatione obijt quarta Abbatissa Gandersheymensis cœnobij Domina Rodeschwinda, anno domini 906: in cuius

locum

locum domina Swendelgardis nobilißimis parentibus nata, ab ipso eius loci conuentu electa, & ab hoc antistite Hildesiano consecrata est.

9. DIETHARDVS ex Hirsaugiensi monacho, primum Abbas Hirsfeldensis factus: cum Abbatiæ fidelißime ac summa cum laude præfuisset, designatus est Episcopus Hildesianus, anno domini 918. Præfuit prudentißime & utilißime annis 28. Reædificauit maximis sumptibus ruinosum templum Gandersheymensis cœnobij denuo ex imis fundamentis, & absolutum consecrauit undecimo suæ gubernationis anno. Absoluit naturæ debitum anno incarnati Verbi 95[illegible].

10 OCHVVINVS eligitur unanimi consensu totius cleri ac populi Hildesiani in Episcopum, ex Abbate cœnobij Pergensis, quod erat olim ante muros Magdeburgensis urbis ad Albim magnificentißimũ: nunc in Germanico hoc bello, solo æquatum. Præfuit utilißime annis triginta. Consequutus est pagum Geysenheymensem cum adiacente toto territorio. Constituit ut Canonici summi Collegij haberent uina per sedecim dies singulis annis. Profectus Romam, ex Ticinensi urbe S. Epiphanij corpus secum attulit Hildesheymium, in cuius sanctißimi Episcopi honorem condidit Sacellum contiguum summæ Basilicæ. Decessit ex hac uita anno 986. Sub eius gubernatione obijt quinta Abbatissa Gandersheymensis monasterij Domina Swendelgardis, in cuius locum successit

Domina

Domina Gerberga ducissa Saxoniæ, sexta Abbatissa.

11 OSDACHVS ex diuitis Augiæ monacho, Episcopus Hildesheymensis designatus est, anno domini 986. Euocarat eum antea ad Bergensis cœnobij gubernationem ex Augiensi monasterio Constantiensis dioceseos Ochwinus, qui & ipse olim eiusdem loci cœnobita fuerat. Præfuit 4 annis. Obijt anno domini 990. Sepelitur in summæ Basilicæ Crypta sub choro pulchre laqueata & concamerata.

12. GERHARDVS alijs Gerlacus & iterũ alijs Gardachus, successit Episcopo Osdacho: Præfuit tribus annis. Adijt propter certa quædam negotia Romam, inde cũ rediisset ad Hildesiam, septimo die obijt, anno domini 993. Sepelitur in summa Basilica Hildesheymensi ante aram S. Petri Apostolorum principis.

13. S. BERNVVARDVS alibi Bombardus, comes à Summorsenburg: Imperatoris Othonis tertij sacellanus, ab eodem Imperatore constituitur Episcopus Hildesianus, anno domini 993. Scribit eum Crantzius uerbo & exemplo diligenter præfuisse, & tali uitæ sanctimonia præditum fuisse, ut & uiuus & mortuus claresceret miraculis. Præfuit fidelissime ac utilissime annis uno & triginta. Construxit & dotauit cœnobiũ S. Micaelis intra muros Hildesheymenses, ordinis D. Benedicti magnificentissimum, cuius templum sex turribus in sublime eductis exornari fecit pulcherrime. Contendit diu cum Willigiso Moguntino Archiepiscopo

scopo de Iurisdictione Gandersheymensis sua ætate combusti, sed à se magnifice iterum erecti cœnobij: sed constituto eius dissidij arbitro ac iudice S. Henrico Imperatore eius nominis secundo, fœliciter uicit & causſam obtinuit contra Archiepiscopos Moguntinos. Obijt anno Domini 1014. Sepelitur in noua Basilica Hildesiana, cum tali Epitaphio, quod mortuo fecit S. Benno Episcopus Misnensis, tum adolescens adhuc quindecim annorum & Hildesij, ubi natus est, sub parentum suorum cura bonis literis insudans.

Hac tumuli fossa clauduntur præsulis ossa
Bernwardi miri magnificiq; uiri.
Qui propter stemma radians uelut inclyta gemma,
Magna fuit patriæ gloria laus q; suæ.
Nam fuit Ecclesiæ condignus Episcopus ille,
Quem Deus Emanuel diligit & Mycael.
Tandem bissenis undeno mense Calendis
Fœlix hanc uitam mutat in Angelicam.

Sub huius Episcopi Bernwardi gubernatione obijt Gandersheymij sexta Abbatissa Domina Gerberga, cui successit Domina Sophia Othonis secundi, laudatissimi Imperatoris filia. Vixit eodem tempore in Gandersheymensi cœnobio eruditissima monialis, Domina Roswitis puella Saxonica, insignis Poetria quæ sex Comœdias sacras ad imitationem Terentij scripsit, & trium Imperatorum Othonum res gestas omnes,

multorum item Diuorum uitas Heroico et neutiquam contemnendo carmine complexa, totum illud opus suum Gerbergæ Abbatissæ dedicauit.

14. S. GOTHARdus comes de Scheyren Bauarus, genere illustris uirtute uero & uitæ sanctitate illustrissimus, ex Abbate Cœnobiorum Altachensis in Bauaris, ac Hirsfeldensis in Buchouia sitorum, Episcopus Hildesheymensis designatus est, anno Domini 1014 ab Imperatore S. Henrico secundo cognato suo. Præfuit annis 14 utilissime. Construxit de nouo collegiatam Ecclesiam S. Andreæ in suburbio Hildesheymensi sitam: cœnobium item S. Mauricij in monte, monasterium item Haldhusense ordinis D. Benedicti, & Xenodochion pro pauperibus ac ægrotis. Obijt in Monasterio Mauriciano anno Domini 1038, sepelitur in summæ Basilicæ Crypta.

15. DIETHMARVS uel Tiadmarus natione Danus Conradi Saliqui secellanus ac intimus consiliarius animo & carne nobilis, secundum Cranzium: eligitur & constituitur Episcopus Hildesheymensis, patrocinio Gunildis Danorum Reginæ anno Domini 1038, quo obijt Domina Sophia Imperatoris Othonis secundi filia, septima Gandersheymensium puellarum Abbatissa: in cuius locum eiusdem Imperatoris Othonis filiam Adelheydin unanimi consensu Virginum electam confirmauit & consecrauit Episcopus. Præfuit annis sex. Valedixit mortali huic uitæ anno Dominicæ incar-

cæ Incarnationis Milleſimo quadrageſimo quarto. Sepelitur in Crypta ſub choro condita. Sub eius gubernatione perijt grauiſſimo ac miſerrimo incendio ſummum templum Hildeſianum in quo hactenus omnes Canonici ſub Regula Benedictina coniuncti uixerant qui iam proprijs uti ac abiecta D. Benedicti profeſſione libere uiuere ac ſeorſim habitare, huius incendij occaſione cæperunt: Aſelino ſucceſſore ad omnia iſta non grauatim conniuente.

16. ASELMVS alibi Aſelinus, Imperatoris Henrici tertij ſacellanus, ab eodē Imp. Hildesheymenſi Eccleſiæ præficitur. Præfuit nō illaudabiliter annis decē: Dedit multa ornamēta Eccleſiæ ſuæ. Obijt anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo quinquageſimo quarto. Sepelitur in crypta tēpli à ſe iterum quidē, ſed omnino infœliciter inchoati: cuius dum unam partem ædificat, altera mirabili fatorum ordine iterum corruit.

17. ECHILO alijs Heczilo ex Goslarienſi præpoſito eligitur in Epiſcopum Hildesheymenſem, fuit Eckhardo Miſniæ Marchioni ſanguinis neceſſitudine coniunctus. Præfuit annis uiginti quinq;. Certauit anno Dominicæ Incarnationis Milleſimo ſexageſimo tertio de ſeſſione cum Cuiderado Abbate Fuldenſi, bis in templo Hildesheymenſi, præſente Rege Henrico quarto, non ſine multi ſanguinis profuſione: eam Hiſtoriam eleganter & copioſe deſcriptam petat ſtudioſus Lector ex Lamberti Schaffnaburgenſis

Chronicis. Reædificauit et magnifice absoluit in sexennij spacio collapsam prius ac incendio uastatam Cathedralem urbis Basilicam: quam cupro eleganter tegi curauit. Hanc ædem sacram multis preciosissimis ornamentis liberalissime exornauit: præcipue insigni corona, in medio templo pendente. Fuit admodum munificus erga Canonicos suos, tum etiam erga omnes pauperes, Eleemosynarum liberalissimus distributor. Fundauit Virginum cœnobium S. Mauricij, quibus tamen mox iterum in alium locum translatis, ex inchoato cœnobio collegiatam fecit Ecclesiam, in qua uiginti sacerdotes sub Præposito Deo seruirent. Eius loci primus præpositus, Chuno Echilonis cognatus constitutus est, qui postea ad Brixienſis Episcopatus gubernationem auocabatur. Construxit idem Episcopus Echilo Collegium S. Crucis pro quindecim Canonicis, quibus dedit ac præfecit præpositum Adolaldum sanctissimæ uitæ uirum. Obijt anno Domini 1079. Sepelitur in Canonicorum Collegio montis S. Mauricij à se fundato.

18. VDO comes de Aluenslewen constituitur Hildesheymensis Ecclesiæ Episcopus ab Imperatore Henrico quarto, anno Domini 1079. Præfuit annis triginta quinq;. Fuit inuisus omnibus alijs Germaniæ principibus ac Episcopis, quòd summo studio semper adhæsisset benefactori suo Imperatori Henrico quarto. Iccirco Marchio Misnensis, Brunsuicensis & Saxoniæ dux Eckenbertus, cõscripto in Episcopum exercitu, totum

Episco

Episcopatum occupat, Episcopum Hildesheymij obsidet ac ad deditionem adigit. Postea quiete ac fideliter præfuit Ecclesiæ ad annum usq; Domini 1114, quo ex hac lachrymarum ualle ad æternam patriam concessit. Sepelitur in summi templi Hildesheymensis, sacello Laurentiano.

19. BRVNINGVS ex Goslariensis collegij Decano in Episcopum Hildesheymensem, eligitur unanimi consensu totius summi Canonicorum senatus, anno Domini 1114. Erat multis eximijs uirtutibus ornatissimus. Præfuit per unum tantum mensem, nec consecratus nec confirmatus: iccirco à Crantzio Saxonico Historico omissus. Resignauit Episcopatus gubernationem, anno Domini 1115, & in S. Bartholomæi collegium profectus, quod in Salinis situm ipse eo anno pulchre instaurauerat, ibi reliquum uitæ exegit, in cuius Collegij templo est etiam post fata sepultus.

20. BERTHOLDVS ex præposito summi collegij Hildesheymensis constituitur Episcopus, anno salutis 1115 post resignationem Bruningi. Præfuit utilissime ac summa cum laude annis quindecim. Obijt anno Domini 1130. Sepelitur in summa Basilica sub ara omnium sanctorum. Fuit acerrimus monasteriorum reformator, claudens omnia cœnobia Virginum. Construxit in Bacconensi pago cœnobium Canonicorum Regularium S. Augustini, non procul ab Hildesiana urbe situm: quod ab Episcopi fundatoris nomine, Bertholdi

rode quasi Bertholdi nouale appellatũ est. Hodie Cisterciensium Monachorum domicilium, Mariæ nouale uulgo Marienrode dici ab accolis solet. Fuit pacis maxime studiosus, ac custos diligentissimus: cum tamen nusquam non creperent ac tonarent bella sub Imperatore Henrico V.

11. BERNHARDVS comes Rotenburgius ad Tubarum, ex summi Collegij præposito in Episcopum electus est ab unanimiter consenciente & clero & populo uniuerso, anno Domini 1130. Præfuit optime ac utilissime annis uiginti tribus. Construxit in suburbio Hildesheymensi magnificam Benedictinæ professionis Abbatiam in honore S. Godhardi Episcopi Hildesheymensis, quem miraculis crebrescentem de tumulo leuatum, in Synodo Remensi ab Innocentio secundo Pont. Max. Canonisari, ac in Diuorum numerum referri fecit: anno Domini 1133. Inclusit Canonisatum corpus Sarcophago è solido argento & auro facto, preciosissimisq; gemmis exornato, ualoris decem millium aureorum. Præfecit isti nouo suo cœnobio Abbatem primum, Fridericum eximie doctum ac religiosum Monachum Fuldensem. Acquisiuit per reuelationem ac admonitionem familiaris cuiusdam Spiritus (quem Chronica Saxonum à rustico pileo, quo tectus incedebat, Hudikhin uocant) Swintzenburgensem comitatum, & oppidum Alueldense: postquam Hermannus ultimus comes à Swintzenburg, Saxonici

cuiusdam

cuiusdam ac præpotentis Reguli interfector, relictis suis omnibus ditionibus in spontaneum exilium abierat, nemini postea suorum unquã usus. Eum comitatũ totum cũ consensu Imp. Lotharij Saxonis possedit. Incorporauit cum consensu Imp. Conradi III, suo Episcopatui Kingenheymensem Abbatiam potentißimam, & Alburgensem præposituram. &wintzenburgensem arcẽ præclare muniuit ac illustrauit. Sub huius Episcopi gubernatione obijt Domina Bertha nona Abbatissa Gandersheymensis cœnobij, in cuius locũ electa est decima, Domina Loicardis: quã Episcopus Bernhardus benedixit præsente Lothario Imp. Goslariæ. Hæc Domina Loicardis cum anno 1152 euocaretur ex hac mortali uita: designata est ab unanimiter consentiente Gandersheymensiũ Dominarũ collegio, XI Abbatissa Domina Adelheydis, quã præsente hoc Bernhardo Episcopo, Baderbornus antistes Bernhardus à ualetudinario præsule Hildesiano in id exoratus consecrauit. Obijt Bernhardus Episcopus anno 1153. Sepelitur in cœnobio S. Gothardi à se constructo. Fuit cæcitate percussus annis 9 anteq̃ ex hac uita emigraret: idcirco assumpsit in coadiutorem Brunonem Decanum summi collegij.

12. BRVNO Decanus, eligitur in Episcopũ anno Domini 1153. Præfuit cum summa laude annis septem. Absoluit &wintzenburgensem arcem, & in ea excelsam turrim construxit. Episcopale palatium in urbe situm, pulchre renouauit & illustrauit: Obijt

anno Domini 1160. Sepelitur in media Basilica Cathedrali ante aram S. Catharinæ. De hoc plura Crãtzius.

23. HERMANNVS præpositus S. Crucis, eligitur concorditer in Episcopum Hildesianum anno Domini 1161. Fuit Friderico Barbarossæ Imperatori imprimis charus, à quo Mediolanum obsidente, in Italia feudis ac Regalibus inuestitur. Præfuit summa prudentia ac Ecclesiæ suæ eximio commodo annis tredecim: Sub eo deflagrauit totum penè cœnobium Gandersheymense, quod tamen à Domina Adelheyde XI Abbatissa magnifice iterum instauratum, & ab hoc Episcopo consecratum est. Consecrauit etiam Brunsuicensem Ecclesiam S. Blasio dicatam, ab Henrico Leone Brunsuicensium duce conditam. Excepit omnium Imperij statuum nomine, uenientem Imperatorem Fridericum Barbarossam ad Goslariensia Comicia: erat uir eloquens & suauissimæ pronunciationis. Proficiscitur plenus dierũ Religionis ergò ac pietatis studio ad terram sanctam: orta autem in mari Mediterraneo grauissima tempestate, passus est naufragium: ibi arrepto assere, & ardenter inuocato Dei præsidio (omnibus ministris ac nautis pereuntibus) solus & unus enatauit, & nudus littori appulsus uestes, et alimẽta Hierosolymã usq; mẽdicauit, ubi à Patriarcha clemẽter acceptus ac tractatus, liberalissimeq; iterũ donatus est. Perlustrata aũt & perreptata uniuersa terra sancta, iterum se mari credidit, rediturus ad sua: sed cũ in Italiam

liam superatis aquarum periculis uenisset in oppido quodam Parmensi ciuitati uicino subitum ac grauem morbum incidens aliquamdiu decubuit, ac tandem urgentibus cum fatis, pie se Deo parenti & eius unico filio Christo tradens totum, etiam occubuit, anno dominicæ Incarnationis 1174. Sepelitur in eius oppidi Ecclesia honorifice.

24. ADOLOGVS præpositus Goslariensis: comes, sed cuius tituli, id ignoratur: eligitur unanimi totius summi Hildesheymensiũ collegij consensu in Episcopum post auditam mortem peregrinantis Episcopi Hermanni, anno domini 1175. Præfuit prudentissime annis quindecim ac aliquot mensibus. Emit cum consensu Imperatoris Friderici Barbarossæ comitatum Homburgensem. Sequutus est Imperatorem in Armeniam, qui cum ibi flumen aliquod lauandi studio ingressus, in eo perijsset: Episcopus cum alijs Germaniæ principibus, domum redijt. Decessit postea ex hac uita anno domini 1190. Sepelitur in Crypta summi templi.

25. BERNO uir eximius ac sapientissimus, ex Decano in Episcopum eligitur, concordibus omnium summi Collegij Senatorũ suffragijs, anno domini 1190. Præfuit fideliter ac fœlicíter annis octo. Instaurauit ac ampliſsimis prouentibus donauit Regiam præposituram Goslariensem. Impetrauit à Romano Pontifice Canonisationem ac Apotheosin S. Bernwardi Episcopi Hildesheymensis, de tumba leuati. Obijt

anno Incarnati filij Dei 1198.

16. CONRADVS *nobilis heros de* Rabenſpurgk Oſtrofrancus *uir literatus, facundus ac magnanimus,* Philippi *regis* Romanorum *ac* Sueuorum *ducis ſummus amicus & fidelis Cancellarius: Primum* Lubecenſis Epiſcopus, *deſerta ea Eccleſia, cum* Friderico Barbaroſſa *& eius filio duce* Fridcrico, *ſuſcepta noua* Hieroſolomitana *expeditione in* Armeniam *proficiſcitur, ubi eũ periret Imperator abſorptus à flumine, pergens cũ* Friderico Sucuorũ *duce ſtrenue ſeſe in* Syria *geßit. Vnde reuerſus poſt aliquot annos,* Bernone Epiſcopo *defuncto,* Hildesheymenſem Epiſcopatum cõſequutus eſt. Erat uir *ſumma authoritate apud omnes imperij proceres præditus.* Præfuit Hildesheymenſi Eccleſiæ *per annum unum ſaltem, ſed utiliſſime: eam Canonicorum ſenatui libere & cum ſumma gratiarum actione reſignans,* Herbipolenſi Epiſcopatui *ac* Francorum Ducatui *ab Imperatore* Philippo Barbaroſſæ *filio præficitur anno domini* 1199. *De eo uide Catalogum Epiſcoporum* Herbipolenſium, *& cætera ad ipſius celebritatem pertinentia inuenies.*

17. HARBORDVS *uel* Heribertus *eligitur difficilimis temporibus, quibus ſchiſma erat grauiſſimũ inter* Philippum *regem ac* Othonem *ducem* Brunſuicenſem, *à toto unanimiter conſentiente clero in Epiſcopum anno domini* 1199. *Præfuit annis nouẽ, ſub eius gubernatione fundauit* Ioannes Gallicus, *Imperatoris*

Othonis

Othonis quarti Cancellarius ex Parrochia S. Andreæ Canonicorũ secularium collegium. Ipse uero fundauit collegium S. Ioannis: multa impignorata redemit, multa ædificauit. Obijt anno domini 1208.

28. SIGEFRIDVS ex Fuldensi cœnobio, ad Episcopatus gubernationẽ euehitur à Rege Philippo anno domini 1208, præfuit annis 12 fœliciſsime ac utiliſsime: obijt 12 Nouembrium anni 1221. Sepelitur in Basilica Cathedrali, ante aram S. Petri: fouit partes Philippi regis, quo trucidato Bambergæ, factus Othoni 4 suplex, ut Ecclesia Hildesiana ferro & igne iam uastanda indemnis esset, precibus & auro facile impetrauit.

29. CONRADVS secundus, nobilis heros à Reyssenberg, ex Wederouia natus: eligitur unanimi consensu Capitularium ex Decano summæ Ecclesiæ Spirensis & Canonico Moguntino, propter eximiam uirtutem ac sapientiam, in gubernatorem ac Antistitem Hildesheymensem, Anno Incarnationis Dominicæ 1221. Erat is uir doctiſsimus, & qui diu in Parisiensi Academia sacras literas summa cum laude professus fuerat. Præfuit utiliſsime annis uiginti quatuor, ferbuit ingenti zelo prouehendæ ac augendæ relligionis: primum enim Franciscanis ac Dominicastris monachis in urbem receptis, utriq; ordini Cœnobium ac commodiſsimas habitationes condidit. Hildesheymij item monialium cœnobium construxit, ordinis D. Mariæ Magdalenæ pœnitentiariarum: in uicinia

summæ

ſummæ Baſilicæ. Fundauit unà cum Henrici Palatini uxore &winhuſenſe cœnobium Monialium ad Alram fluuium: duo item alia Virginum cœnobia &wulfinghauſenſe & Frankhenbergenſe ad Goslariam ſitum. Erat acerrimus cuſtos diſciplinæ clericorum. Refecit ac inſtaurauit Palatium Epiſcopale, arcem item &winczenburgenſem, oppidum & arcem Roſarum uallis, ac caſtrũ Scardecenſe maximis impenſis, quarum pars ſucceſſori ſoluenda relicta eſt. Duces Brunſuicenſes neſcio quid iuris in Eccleſiam Hildeſianam habere uolentes, iudice Imperatore Comitia Moguntiæ celebrante, uicit. Qua uero uirtute Empnenſe oppidum expugnarit, & arces latronum receptacula ac latebras Inſulas ac Scardetenſem uaſtarit, longum eſſet commemorare. Anno domini 1145 grauiſſimo ſchiſmate inter Pontificem ac Imperatorem exorto, reſignauit Epiſcopatum libere, & quietem ſibi quærens predicatorum Hildesheymenſium cœnobium ingreſſus eſt, in eo reliquum uitæ acturus. Cum autem poſt ſuam reſignationem Capitulares Canonicos in eligendo ſucceſſore diſcordes, & in capitalia odia ſciſſos eſſe uideret, Hildesheymij manere noluit, ſed in Schonouienſe monaſterium Heidelbergenſi urbi uicinum profectus, ibi tribus ferè annis adhuc ſuperſtes debitum naturæ tandem anno ſalutis 1248 abſoluit, ubi & honorifice ſepultus, ac terræ parenti redditus eſt.

30 HENRICVS præpoſitus Heilgenſtadenſis eligitur

gitur à maiori Capitularium parte in Episcopũ Hildesheymensem anno domini 1245. Contra hunc ab alia parte postulatur Hermannus quidam, præpositus in S. Cyriaci Brunsuicensi Canonicorum collegio. Confirmatur Henricus ab Archiepiscopo Moguntino, consequitur item Regalia à Rom. rege. Hæc dum ille circumequitãs acquirit, Hermannus interim occupato Episcopatu Hildesiæ plena eius gubernatione fruitur. Henricus nihil habebat reliquum nisi arcem Wintzenburgensem. Lugdunum itaq; ad Rom. pontificem Innocentium quartum profectus, & de uiolentia Hermanni grauissime conquestus, tandem post uarias & longas digladiationes tantum effecit, ut excommunicationis metu perculsus Hermannus locum daret Henrico: qui laudabiliter postea præfuit ad annum Christi usq; 1275 cum iam à prima electione undecim anni & aliquot menses efluxissent. Mortuus in mense Martio, sepelitur in summa Basilica Hildesiana, ante aram S. Catharinæ.

31. IOHANNES ex præposito S. Mauricij, fit Episcopus anno domini 1257, uir insigniter doctus, ad Episcopatũ enim hunc (Crantzio idẽ affirmante) peruenire nemo potuit, nisi uel eximie doctus uel summa generis nobilitate conspicuus. Præfuit summa cũ laude utilitate & commodo Ecclesiæ maximo tantũ quatuor annis. Obijt anno 1261 quo bellum ei denunciarant Brunsuicenses principes Iohannes & Albertus, qui

comitatum

comitatum Paynensem (quem emerat & bono titulo ac iure possidebat Episcopus Iohannes) ui ad se rapere conabatur.

31. OTHo dux Brunsuicensis frater Ioannis & Alberti Paynensi comitatui insidiantium, unanimi consensu omnium summi collegij Canonicorum postulatur, & eligitur anno 1261. Cõfirmatur á P. M. Gregorio x. & cõsecratur in eiusdẽ ac plurimorũ Episcoporum præsentia Lugduni in Gallijs, in congregata illic Synodo anno domini 1266. Præfuit prudenter & summa cũ uirtute annis 18. Non habuit alios hostes quàm germanos fratres, quibus etiam non potuisset habere atrociores: hi ferro & igni Episcopatum uastantes fecerunt, ut animi mœrore consumptus moreretur, quod factum est in die S. Vlrici, anno à nato Christo 1279. Sepelitur in summa Basilica, ante Sanctæ Crucis aram. Post huius Episcopi mortem, superuixit frater Albertus, Dux Brunsuicensis, summus ille Episcopatus hostis sex tantum septimanis, eodem die, quo obijt Episcopus, subito correptus & tristissimo morbo: Deo nimirum uindicante iniurias, cum Germano fratri tum Ecclesiæ Hildesianæ illatas.

33. SIGEFRIDVS huius nominis secundus, comes à Querfurd: Decanus summi collegij Magdeburgensis, à Bernhardo Magdeburgensi Archiepiscopo, & Alberto Marchione Brandenburgensi iuuantibus Othonem contra fratris Alberti iniurias ac uiolentiam

Ca

Canonicorũ Hildesheymensium summo collegio diligentißime commendatus, assumitur in Episcopum & Othonis successorem anno domini 1179. Confirmatur ab Archiepiscopo Moguntino, inuestitur feudis ac Regalibus à Rodolpho Habspurgio Rege Rom. Vir summa uirtute, doctrina item ac sapientia eximia ornatißimus. Præfuit annis triginta, mensibus decem, cum summa gloria ac laude. Captos ciues à Brunsuicensibus magno ære redemit: euersum oppidum Empnense instaurauit, sed in alium ac munitiorem natura locũ ex ueteri translatũ: id nouo etiam nomine Grunaw appellauit. Digladiantibus eo tempore inter sese ciuili bello Brunsuicensibus ducibus, nõ omnino à Martis studijs immunis esse potuit. Acquisiuit tũ Herlinsburgũ castrũ, etsi uastatũ ab ipsis et solo æquatũ, in cuius locum Episcopus ædificauit Lowenburgum fortißimam arcem, quòd uideretur iste locus ad uim ab Episcopatu arcendã maxime idoneus: id moleste ferentes Brunsuicenses duces, Henricus & Albertus ad oppugnandã arcem & in suam ditionem redigendam sese parant. Hos Episcopus manu subito collecta magnanimiter adortus, in fugã uertit ac fugiẽtes ingẽti clade affecit. Brunsuicenses aliquoties fortiter profligati & elusi ab Episcopo, redintegrãt bellũ, et ascitis in suas partes alijs etiã uicinis principibus, Othone uidelicet ac Hermanno Marchionibus Brandẽburgẽsibus ferro et igne Episcopatum populantur. Episcopus collecto exercitu

quàm

quam potuit maximo, conducto etiam externo milite ipse quoq; principum arces & pagos diruit incendit ac solo æquat, tamdiu: donec res per alios principes transacta componeretur. Fuit utilis gubernator temporalium, & homo fœliciſsimus, condidit & emit multas præclaras arces, quædam item oppida. Obijt tandem 17 Aprilis, anni à nato Christo 1310. Sepelitur cum omnium suorum incomparabili luctu in media Ecclesia Cathedrali sub pendente in eius templi mediatate insigni corona.

34. HENRICVS secundus huius nominis, comes à Woldenburg: constituitur ex Decano summi collegij Hildesheymensis in Episcopum, anno domini 1310. Præfuit octo annis laudabiliter & utiliter. Seditiosam ac tumultuantem Hildesiam obsidet, & ædificato contra eã castro Stureg waldensi (quo nomine se Deo duce improbam subditorum uolentiam compescere uelle minitabatur) eò urbem adegit, ut & sese dederet ac suplex Episcopo facta perpetuo sese posthac obtemperaturam sancte polliceretur. Ita urbs certis pacis conditionibus in gratiam recepta est. Consequutus est priuilegia & nouorum Comitatuum Dasselensis & Canini tergi inuestituram ab Imperatore Henrico septimo Lucelburgio. Heymbocensem arcem expugnat, uastat ac solo æquat, ex qua sæpe plurimum incommodi illatũ fuisset Hildesiano Episcopatui. Contendit de Iuribus quibusdam cũ Vasallo suo Othone

duce

duce Brunſuicenſi ac Lunenburgenſi: idq; diſsidium eò deuenit, ut leuibus aliquot prælijs decertaretur, tandem authoritate aliorum Episcoporum ac principum conciliatum. Emit Bockheymium oppidum cum adiacente territorio. Fuit uir iuſtus, æqui obſeruantiſsimus, erga ſuos benignus ac placidiſsimus, hoſtibus uero hoſtis etiam & iniuriarum ultor magnanimus. Conſeruandæ perpetuæ caſtitatis ſtudioſiſsimus. In uſurarios animaduerſor acerrimus. Tandem à quibuſdam inuidis neſcio quibus calumnijs apud Rom. Pont. traductus, nullius ſibi mali conſcius Auinionem (ubi tum Pontificum ſedes erat) petit, ut ſe apud Pontificem purget: ſed aderat fatalis dies, aderat hora ultima uitæ: correptus itaq; acuta febri, poſt pauculos dies, quibus ibi decubuit, ex mortali uita emigrauit: 11. Iunij anno 1318. ſepelitur in eiuſdẽ urbis monialiũ cœnobio ad S. Clarã.

35. OTHO ſecundus huius nominis, comes à Woldenburg, præpoſitus ad S. Mauricium, eligitur in antiſtitem Episcopalis ſedis Hildeſianæ unanimibus totius Capituli ſententijs ac ſuffragijs, anno Domini 1318. Præfuit annis ſedecim optime ac utiliſsime. Vicit ingenti prælio primis ſtatim ſuæ gubernationis menſibus ſeditioſos quoſdam Centauros, arma contra dominum ſuum & contra Eccleſiam ſumentes: quorum multi in eo conflictu cæſi ac interempti ſunt, reliqui omnes capti, multo auro redimere ſeſe coacti ſunt. Hoc aurũ omne contulit Episcopus ad illuſtrationẽ caſtrorũ, tem-

plorum ac oppidorum Episcopatus : Hoc ipso multa ab anteceſſoribus oppignorata redemit, multa noua prædia & oppida & caſtra emit. Fecit fœdus cum ciuibus Lumenburgenſibus ac Brunſuicenſibus, ac quieta poſt primos graſſatores debellatos gubernatione uſus ac potitus eſt deinde ſemper. Deceßit ex hac miſera & lugubri uita, anno 1334. Sepelitur in ſumma Baſilica. Crantzius ultimum ſuæ gentis fuiſſe dicit & totum ſuũ comitatum Eccleſiæ Hildesheymenſi obtuliſſe cum ſcribit.

36. HENRICVS tertius huius nominis, dux Brunſuicenſis: frater Halberſtatenſis Epiſcopi, eligitur unanimi conſenſu totius fere ſummi cleri in Epiſcopum ac gubernatorem Hildesheymenſem, anno 1334. Contra hunc excommunicationis fulmine tactum intrudit Eccleſiæ Rom. Pont. Ericum comitem de Schawenburg, qui à ciuibus ac nobilitate in urbem receptus plena ibi gubernatione potitus eſt. Henricus caſtra tantum quædam habuit. Hoc grauißimum Schiſma & impacabile diſſidium durauit per annos 14, quibus neuter cedere uoluit, ſed alius alium nuſquam non qua potuit ſumma ui perſequutus eſt. His annis non habuit alios funeſtiores Eccleſia Hildesheymenſis, ſingulis enim diebus ferè certatum eſt, prædia & oppida expugnata, ciues trucidati: neq; fuit quiſquam qui hanc controuerſiam dirimere poſſet, niſi omnia uidens omnia gubernans & omnem impietatem ac uiolentiam uindi-

cans

cans ipse Deus: is Ericum anno Dominicæ Incarnationis 1348 læthali morbo correptum, mox è medio sustulit: Henricus urbem suplicem sibi factam insigni equitatu ingressurus: prope arcem Steurewald, in Erici aduersarij sui complices ac satellites, ad sua se iam recipere uolentes incidit, ubi cum ipsis acerrime ac fœlicissime conflixit, multos trucidans, plures capiens, quibus in urbem reductis grauissimas multas irrogauit. Vrbem in gratiam recepit, sed ea lege & conditione, ut tam diu donec arcem Mariæburgensem nuper adeo inchoatam absolueret, semper senatus Vrbanus artifices & opifices omnes in ea laborantes exolueret. Postea ab Anathemate liberatus & Pontificia authoritate confirmatus, quieta gubernatione potitus, sapienter ac utilissime & summa cũ laude præfuit ad annum Christi usq; 1362, quo ex hac mortali uita plenus dierum euocatus est, cum iam à prima electione anni uiginti nouem effluxissent. Sepelitur in Ecclesia Cathedrali ante aram S. Catharinæ, cum tali etsi admodum rudi ac barbaro Epitaphio: cum petijsset tamen adhuc superstes ut Brunsuigæ in Collegio Sancti Blasij apud Parentes suos conderetur.

Post M. post tria C post sexaginta duo q̃;,
Hunc Sol sexta necat februi, qui pace quiescat:
Creuerat Ecclesia per eum præstante Maria
Præsul pacificus, Henricus honoris amicus,
Hîc est prostratus, Brunsuig de principe natus.

Reliquit Episcopatui decem fortißimas ac omni ornamentorum genere instructißimas, nulloq; prorsus alieno ære grauatas arces, uidelicet: Mariæburgum, & wintzenburgum, Lowenburgum, Steurwaldum, Reutum, Paynum, Schlatheymium, & widelogium, Lauteranum & & woldensteinum.

37. IOANNES Schadlandius Dominicaster è Colonia natus, doctor sacræ paginæ à Pont. Max. Gregorio undecimo, sine consensu summi senatus Canonicorum, Ecclesiæ Hildesheymensi obtruditur anno Domini 1362. Præfuit duobus annis, non tamen integris. Cum ueniens Hildesiam, quæsisset statim, ubi Bybliotheca? ubi libri essent, quibus usi essent antecessores Episcopi (erat enim ipse homo studijs Philosophiæ & sacrarum scripturarum totus deditus, monasterio & quieti assuetus) Aulici uero in armamẽtarium eum introducentes, & ostendentes ei omnis generis arma & instrumenta bellica dicerent, cum talibus libris fuisse hactenus negotium Episcopis, eiusmodi codices nunc etiã esse euoluendos, acriterq; pugnandũ contra uicinos, iã hoc nunc aliud ab Ecclesia rapere uolentes: aduentus eum sui illico pœnituit. Videns uero tandem uera sibi dicta esse ab Aulicis, cum iam undiquaq; tumultus renouarent cum oppidani tum alij uicini: de inquiete ista deserenda cogitauit. Pontifici itaq; scriptis literis, de loco suis studijs nequaquam idoneo conquestus, impetrauit quietiorem locum, Episcopatum uidelicet

licet Augustanum: ubi qua fortuna usus sit, aut quæ eum postea sors Wormaciæ etiam exceperit, ex Augustanorum ac Wormaciensium Catalogis petet studiosus lector. Vide de hoc & alijs Episcopis Hildesianis Metropolin Alberti Crantzij & docti & diligentis Historici ac rerum Saxonicarũ annotatoris, etsi etiam ille breuissima tantum de Episcopis annotarit. Obijt iste Crantzius anno Domini 1517, cum sequente anno ego Bruschius nascerer, qui mihi iccirco, ad hoc natus uideor, ut non Crantzij solum Historiam & Annales Ecclesiasticas absoluam, sed & alios totius Germaniæ Episcopatus, à nemine hactenus descriptos, æterno calamo posteritati commendem: de quare cum ad Sanctam Ecclesiam lusissem nuper breue Epigramma, candido lectori (nigros enim & Momos omnia reprehendentes omnino non curo) candido id animo communicare uolui.

Quo fuit Albertus translatus Crantzius anno,
In superos uita ex inferiore polos:
Hoc ipso latui materna Gaspar in aluo
Bruschius, Aonij pars aliquanta chori.
Mox decimo octauo currente emissus in istam
Mortalem uitam, patre iubente Deo.
Forsitan Annales ab eodem Ecclesia cæptos
Me uoluit Deus hos continuare tuos.
Quos etsi fortasse pari non condimus arte,
Atq; stylo: attamen haud inferiore fide.

38. GERHARDVS, Baro de Monte, non procul à Mindensi urbe natus. Primum Cantor, postea Decanus summi collegij Hildesheymensis, Rodolpho tandem Episcopo Verdensis Ecclesiæ substituitur: ubi cum sapientissime & summo cum Ecclesiæ commodo laudabiliter etiam præfuisset, post discessum Episcopi Ioannis Dominicastri, à Pontifice Gregorio undecimo Hildesiano Episcopatui præficitur: Resignata itaq; Ecclesia Verdensi, Hildesiam uenit anno Domini 1364. Fudit & cæpit primo statim gubernationis suæ anno prope Elzium sexaginta equites Westphalicos, ad unum omnes, qui latronum more undiquaq; in prouincijs ac territorijs ad Episcopatum pertinentibus grassati erant. Postea cum tumultuantibus etiam Brunsuicensibus ducibus Magno ac alijs (qui Archiepiscopum Magdenburgensem & Episcopum Halberstatensem auxiliares habebant) congressus fœliciter etiam dimicauit, cæsis à Brunsuicensium parte mille & quingentis: cum Gerhardi totus exercitus uix esset quingentorum, captis item plurimis nobilibus ac ducibus, inter quos erat & Albertus Halberstatensis Episcopus. Vouerat autem congressurus hosti D. Virginis Basilicæ aureum tectum, si præsentia diuini numinis iuuaretur & uictor euaderet: quæ sine dubio (si uictoria ad duces deuolueretur) uix esset habitura stramineum: eligeret ergo D. Virgo, utro mallet, stramineo ne an aureo tecto exornari. Cum itaq; uictor in urbem rediisset: om-

nem

nem multam (quã ex captis ducib. emunxerat) conuer tit in ornandã Ecclesiam. Turricolã uero summæ Basi licæ Marianæ choro superimpositã, totam optimo au ro Hungarico superinduci ac elegantissime illustrari fe cit, ne posset D. Virgo de ipsius ingratitudine conque ri. Fundauit idem Episcopus Chartusiam, quæ est ante muros Hildesheymenses magnifica. Habebatur tunc temporis Albertus Episcopus Halberstatensis pro in signi Logico, acutissimo uidelicet & opt. disputatore: Gebhardus uero pro insigni Rhætore. Cũ ergo captus esset Albertus, natũ est inde Prouerbiũ quod totã Sa xoniam peruasit, in quo dicebatur Logica uicta & superata esse à Rhætorica. Reb. iam aliquandiu paca tis quieta gubernatiõe usus est: donec tandem Othone et Alberto Brunsuicẽsibus iterũ tumultuãtibus priora omnia renouata sunt: quos tamẽ Dei præsidio iterũ fœ liciter ultus est. Assumpsit tandẽ in coadiutorẽ, Ioannẽ comitem ab Hoya, antistitem Paderbornensem fratrem Episcopi Monasterienſis: querens sibi quietẽ. Deceß. t postea ex hac mortali uita, anno 1398, cũ præfuisset an nis 34 summa cũ laude. Sepelitur in Carthusia à se con structa ac ampliſsime dotata. Reliquit Episcopatui mo riens duodecim arces cum suis territorijs saluas ac nul lo prorsus alieno ære grauatas. Duas enim arces ad Lyenam amnem exiruxit de nouo Steinbruggensem uidelicet & Koldingensem.

39. IOANNES comes ab Hoya, ex Paderbornensi

Episcopo primum Gerardi coadiutor assumptus, postea excmpto rebus mortalibus Gerardo, unanimibus totius cleri uotis eligitur in Episcopum Hildesheymensem, accedente etiam Bonifacij noni Pont. Max. consensu, cum antea Paderbornæ quinq; annis laudabiliter præfuisset. Sedit ad clauum Hildesianæ Ecclesiæ annis 26 negligẽtissime et cũ Ecclesiæ rerũ incomparabili irreeuperabiliq; iactura. Victus est bis ingenti prælio, primum ad Osterwicum, deinde ad Grandenium. Accepit coadiutorem Magnum Saxoniæ ducem. Obijt anno Domini 1424 in die S. Pangratij. Sepelitur sub Cathedralis Ecclesiæ pendente corona. Sub eo cœpit Carthusia in Arnsbock, & altera in Rostock.

40. MAGNVS dux Saxoniæ inferioris, ex Episcopo Caminensi primum Ioannis ignaui Episcopi factus coadiutor, eo defuncto postea unanimi consensu Capitularium in Hildesheymensem eligitur præsulem, anno Domini 1474. Fuit pacis ac belli artibus egregie instructus, ac princeps optimus. Præfuit quiete, pacifice, ac ut prudentissime, sic etiam utilissime annis uiginti octo. Confœderauit se Othoni duci Brunsuicensi ac Ioanni Episcopo Halberstatensi. Obijt anno Domini 1452. Cum prius totius Capituli consensu in partem gubernationis accepisset Bernhardum ducem.

41. BERNHARDVS dux Brunsuicensis ac Luneburgius, Friderici ducis filius, eius uidelicet, qui Franciscanorum Cellencium fundator, resignata filijs

guber-

gubernatione reliquum uitæ in eo exegit relligiosissime. Is Bernhardus coadiutor primum, postea administrator Ecclesiæ Hildesheymensi præficitur, anno domini 1451. Præfuit annis septem, non admodum utiliter, quia sua potius quàm Episcopatus commoda quærebat, neq; unquam animum ad Ecclesiasticam uitam uel disciplinam adiecit. Resignata itaq; anno domini 1459 Episcopatus gubernatione, uxorem duxit, Dominam Mechtildin comitissam de Schowenburg puellam incomparabili forma ac specie præditam, qua tamen non diu frui potuit, mox rebus mortalibus exemptus. Ipsa postea Wilhelmo Lunenburgensium ac Brunsuicensium Principi seniori nupsit, cum qua propter Salinas Lunenburgenses, contendens prius Bernhardus, eum aliquoties profligarat.

42. ERNESTVS comes à Schawenburg frater Mechtildis, permutatione ferè facta cum Bernhardo, Hildesheymensem Episcopatum consequitur: despondens Bernhardo sororem, & pro ea accipiens & ipse sponsam, Ecclesiam Hildesheymensem. Cœpit præesse anno domini 1459: sedit ad gubernaculum Ecclesiæ annis 11, Venator potius quàm Episcopus. Infœliciter pugnauit contra duces Brunsuicenses, iccirco mœrore animi consumptus, ex hac uita concessit anno domini 1471. Sepelitur in Cathedrali Basilica prope aram Sancti Petri.

43. HENNINGVS nobilis Regulus de Domo,

ſucceßit Erneſto adminiſtratori, hoc modo: Mortuo Erneſto cœpit de ſucceßione haberi controuerſia: Maior eligentium pars ſuffragabatur Hermanno Heſſorum Lantgraphio tum Canonico, poſtea uero Archiepiſcopo Colonienſi. Minor pars elegit Henningum de Domo, hactenus Decanum ſummi Collegij Hildeſiani. Ex hac ſuffragiorum diuiſione accepit iterum grauiſſimum uulnus Eccleſia Hildesheymenſis. Henningus nõ impiger, ſtatim Romam uolat pro confirmatione, quam homo doctrina & eloquentia inſtructus, corporis etiam heroica & auguſta ſtatura præditus, apud P. Max. facile obtinuit. Reuerſus è Roma, excipitur cum ſummo gaudio ab uniuerſo cum clero tum S. P. Q. Hildeſiano, omnia ſubſidia & omnem defenſionem ſua ſponte Epiſcopo offerente. Hermannus uidens ab Epiſcopi miniſterialibus & parte cleri iam cœptum eſſe bellum, excitatis contra Henningum ducibus etiam Brunſuicenſibus, noluit ille ſe iſtis turbis immiſcere, ſed pacato animo cedens, & reſignata gubernatione Coloniam redijt. At aduerſa Henningo cleri pars nondum quieuit, nec quieuerũt equeſtris ordinis uiri, Epiſcopatus Vaſalli: ſed Balthaſarem, ducem Megalopyrgenſem principẽ iuuenẽ, ac per ætatem tali gubernationi ac dignitati nondũ idoneum eligunt. Is collecto quingentorũ equitũ exercitu Hildeſiã contendit, ſed ab Hildesheymenſibus ciuibus obſidentibus tum caſtrum Steurwaldenſe (in quo Vaſalli in

Hen-

Hennigum seditiosi se congregarant) ita tormentis ac machinis bellicis exceptus est, ut deinceps non amplius Hildesheymium redire conaretur. Ciues Hildesiani integro anno obsidionem arcis Steurwold continuantes, fame tandem eos (qui arcem tenebant) ad deditionem perpulerunt. Sic disceptatum ac pugnatum est uaria fortuna per triennium, à prima electione: Hennigus uero obtinens gubernaculum Ecclesiæ sibi commendatæ, septem postea annis quiete adhuc præfuit, ad annum Christi usq; 1481, quo Episcopatum cum consensu cleri resignauit Bertholdo Episcopo Verdensi cognato suo, à quo prius in difficillimis suis temporibus plurimũ adiutus erat: Ipse uero retenta sibi condigna pẽsione annua, quieti se dedit, munificentißimus interim in pauperes. Mortuus postea sepelitur honorifice ante summæ Basilicæ Hildesheymẽsis sacrarium.

44. BERTHOLDVS Baro à Landsberg ex Verdensi Episcopo ubi decem iam annis præfuerat Hildesheymensis etiam præsul factus est anno domini 1481, per resignationem Hennigi. Confirmatur à Pontifice Maximo Sixto quarto, ut utriq; Ecclesiæ & Verdensi & Hildesianæ præesset. Erat uir eximia prudentia præditus, nec uulgariter doctus, Eloquẽtiæ uero maximæ, ac pronunciationis suauißimæ. Sedit ad clauum utriusq; Episcopatus annis uiginti duobus: Natũ est illi post pauculos annos atrox ac funestum & biennale bellum cum ciuitate Hildesheymensi, quod

quod totam ferè Saxoniam in arma excitauit: de qua re uide Crantzium. Confecto hoc bello quiete postea uixit: collapsa monasteria summo studio reficiens, uidelicet Ringelnheimium, Georgiburgũ ad muros Goslariensis situm, & Franciscanorum Lunenburgensiũ cœnobium. Constructit denuo ac magnifice communiuit Rodenburgum castrum in Verdensi Episcopatu situm, in quo plerunq; habitare solebat. Obijt in eadẽ arce, anno domini 1503 in uigilia Ascensionis Dominicæ. Sepelitur in Ecclesia Verdensi, cum honestißimo Elogio, quod Albertus Crantzius erexit, ac suæ Metropoli inseruit.

45. ERICVS Inferioris Saxoniæ, Angeriæ uidelicet ac Westphaliæ dux, Canonicus Colonienſis, eligitur in festo Penthecostes, anni à nato Christo 1503 ab unanimiter consentiente clero Hildesiano in Episcopum ac successorem mortui Bertholdi. Ingreditur urbem paucis diebus ante Natalem domini: excipitur ampliſsimis muneribus. Præsidet per unius anni spacium, & resignans Episcopatum cum Capitularium omnium ac ipsius etiam pontificis consensu, fratri suo Ioanni, Coloniam redijt. Vnde postea ad Monasterienſis Episcopatus gubernationem euocatus, ibi diutißime præfuit summa cũ laude, quàm diu uiueret.

46. IOANNES Saxoniæ inferioris Dux patre Ioanne, matre uero Dorothea Brandenburgensi Marchioniſsa natus: per liberam renunciationem fratris

sui

ſui Erici, conſentiente Capitulo ac Pontifice Max. conſequitur Epiſcopatum Hildesheymenſem, anno domini 1504. Ingreditur urbem quingentis equis. Tertio gubernationis ſuæ anno adijt ipſe Romam pro impetranda confirmatione, quam cum eſſet conſecutus, rediens in cœnobio Mariærodenſi conſecratur. Incidit in turbulentiſſima tempora, quorũ res geſtas hîc conſulto prætereo. Præfuit ad annum Chriſti uſq; 1527, quo reſignauit gubernationem Balthaſſari Vicecancellario imperatorio. Ipſe ad fratrem Magnum, ducem Lowenburgenſem concedens, uixit adhuc Razemburgi, anno domini 1546.

47. BALTHASar Merckhelius (de quo plura inueniet lector in Catalogo Epiſcoporum Conſtantienſium) uicecancellarius Caroli V Imperatoris per reſignationem Ioannis Epiſcopi conſequitur Epiſcopatum Hildesheymenſem cum conſenſu ſenatus Canonicorum. Is anno domini 1528 ab Imperatore Orator in Germaniam ex Hiſpanijs miſſus, uenit in Hildeſianæ urbi uicinum caſtrum Steurwald, ubi humaniſſime & cum ſummo gaudio & ampliſſimis muneribus exceptus, omnia optima cum clero tum urbi pollicitus: Paucis diebus elapſis iterum diſcedens, ad Imperatorem ſeſe in Hiſpanias recepit. Cũ quo poſtea ex Hiſpanijs in Italiam profectus, Bononiã uenit, ubi pontificiam cõfirmationẽ conſecutus, anno ſequenti in Auguſtanis Comitijs etiam Regalium inueſtituram à Diuo Carolo

rolo V Imperatore accepit. Electus est eodem anno in Episcopum etiam Constantiensem, sed cum sequente anno in Imperatorijs negotijs ad inferiores Germanos descenderet, in eo itinere Treueri graui morbo correptus, naturæ debitum absoluit. Cætera lege in Constantiensibus Episcopis.

48. OTHO tertius huius nominis, Comes de Schauwenberg, assumitur anno ætatis suæ 17 ad preces Diui Caroli V Imp. Aug. & Gulielmi comitis Anaxouiani in Episcopum Hildesheymensem, unanimi cõsensu totius Canonicorum senatus, anno domini 1531 in die S. Panthaleonis. Præfuit is annis sex, neq; consecratus neq; confirmatus. Exauthoratur à Paulo tertio Pontifice maximo, propter transgressum petendæ confirmationis terminum, anno 1537: qui præscripto nouo termino serio mandabat, ut alius in eius locum à Canonicorum collegio eligeretur: nisi à Pontifice Rom. Episcopatum occupari uellent.

49. VALENTINVS nobilis heros à Theutleben, sacræ paginæ ac legum eximius Doctor, uir sapientißimus: eligitur ex Præposito Francofurtensis collegij ad D. Bartholomæum, ex Canonico item Moguntino, Magdeburgensi ac Hildesiano, unanimi consensu totius summi Collegij Hildesheymensis in Episcopum, proxima die Dominica post S. Michaelis Archangeli festum, anno domini 1537. Confirmatur & consecratur Romæ à P. Max. Paulo tertio.

Vnde

Vnde in Germaniam reuersus, Hildesheymium ingreditur, ubi summo gaudio cum cleri tum totius Reipublicæ exceptus, aliquandiu sedit. Postea Moguntiam reuersus, fortaßis ob mutatum in Saxonibus genus doctrinæ, & uarias ibi consurgentes tumultus: in Archiepiscopali illa ac lõge amœnißima urbe, hoc adhuc anno Christi 1549 currente, dignitatibus cum Episcopatus Hildesheymensis tum alijs conspicuus fulget.

Interfuit anno domini 1547. magnis Comitijs Augustanis à Diuo Carolo V. Imp. Aug. post bellum Germanicum habitis.

Incolumem conseruet eum, fortunet & ipsi
Donet ab excelso tempora læta polo.
Qui mare, qui terras, qui totum temperat orbem.
In manibusq; suis omnia solus habet.

AD INCLYTAS SAXONIAE VRbes Paderbornensem, Halberstatensem ac Verdensem, Schediasma Gasparis Bruschij Poetæ Laureati.

Vos etiam, uestrosq; patres & relligiosos
Pontifices omnes iam suus ordo uocat.
Sed quia tempora parua mihiq; ipsiq; supersunt
Calcographo, nostrum hoc qui breue cudit opus.
Præ foribus dum sunt & in ipso limine Soles
Francfurti qui nos ad fora nota uocant.

Vestrorum

Vestrorum iam Pontificum modo nomina, rebus
Omissis placet huic inseruisse libro.
At mox tempora cum nobis magis apta redibunt
Atq; recudetur pulchrius iste liber.
Tum uestras pleno laudes ornabimus ore
Et uestra eximij mænia quicquid habent.
Interea breuitatem istam (qua cogimur uti
Tempore in angusto) consulitote boni.
Sic superi uobis nusquam non arbiter orbis
Donet ab æthereis optima quæq; locis.

DVODECIMVM CAput, de omnibus Paderbornensibus Episcopis.

PADERBORNENSIS urbis in inferiori Saxonia sitæ, & ab incomparabili fonte (qui est sub Cathedralis Basilicæ ara maxima) cognominatæ, EPISCOPATVS: fundatus & inchoatus est deuictis Saxonibus à Carolo Magno Galliarum uictoriosissimo Rege, annum Christi circiter 794. Erat tum Paderborna amplissimus pagus, nullis adhuc fossis, nullis mœnibus, aut munitionibus inclusus: igitur sedem Episcopalē cōstituit Imperator in Heeristellio muntissima arce ad Visurgin amnē quinq; miliaribus à Paderbornensi pago sita & à se exædificata, cū ibi aliquandiu

cum

cum toto exercitu (à quo contigit nomen id isti loco) hybernasset. Huius laudabilis Episcopatus Doctores Pastores, Episcopi ac Gubernatores numerantur à prima Carolina fundatione ad hanc nostram usq; ætatem tali ordine ac serie.

1. S. HADVMARIVS alijs Harimarus, è primaria apud Saxones nobilitate natus, unus ex duodecim obsidibus regi Carolo Magno datis: à Burcardo primo Episcopo Herbipolensi educatus & liberaliter cum in literis tum pietate institutus, Ecclesiæ item Herbipolensi insertus Canonicus uir grauis & eximia uitæ sanctimonia præditus: constituitur à Carolo Magno primo fundatore, & S. Burcardo Episcopo, in primum nouellæ plantationis Heristellensis uel Paderbornensis hortulanum inspectorem, ac gubernatorem anno 795. Præfuit doctrina & exemplo annis nouem. Reædificauit templum Paderbornense, cum primum illud à Carolo Magno inchoatũ ab iterũ seditiosis Saxonibus dirutũ fuisset. Id à P. M. Leone tertio (qui Roma eiectus Paderbornæ apud Carolum Magnum fuit) consecratum ac dedicatum est sexta Decembrium anno Domini 799 in honore S. Stephani Prothomartyris. Donauit hunc Episcopum Carolus Magnus, præsente Leone tertio, arce Tryburgensi cum adiacente territorio omni. Obijt Hadumarus Antistes Anno Christianæ salutis octingentesimo & quarto. Sepelitur in Ecclesia Paderbornensi.

2. BADVRADVS Canonicus Herbipolensis unus etiam ex Saxonum obsidibus, eligitur anno Domini 804. Præfuit fidelissime ac prudentissime annis quadraginta octo. Constituxit Bodickheymense magnificum Virginum in Saxonia inferiori Monasterium, quibus ibi caste sub Abbatissa educatis integrum est prodire ac nubere. Valedixit huic mortali uitæ anno Domini 851, Sepelitur Paderbornæ in Basilica Cathedrali recens à se condita & illustrata.

3. LVITHARIVS alijs Luthardus, præficitur Ecclesiæ Paderbornensi in qua nobilibus genere & uirtute parentibus natus erat, anno Domini 851: præfuit laudatissime annis uiginti quinq;. Trucidatur cũ alijs sex Episcopis, ducibus tribus, comitibus tredecim, & magno Christianorum numero à Nordmannis ac Vandalis anno Domini 877. Fuit Episcopus innocentissimæ ac optimæ uitæ. Eius soror D. Walburgis perpetua uirgo fundauit cœnobium uirginum Herfewerse.

4. BISO succeßit Luithario: Præfuit annis uiginti quinq;, optime ac utilissime. Constituxit Herwerdense monialium nobilium (quibus liberaliter ibi educatis prodire ac nubere liberum est) cœnobium magnificum & ab apparentijs quibusdam Visionum collegium appellatum. Valedixit mortali huic uitæ anno Christianæ redemptionis Noningentesimo & secundo. Sub Arnolpho Imperatore.

5. THEODORICVS subrogatur Bisoni: gubernauit

nauit Ecclesiam Paderbornensem summa cum laude annis nouẽ. Obijt anno 911. Imperante Cõrado primo.

6. VNIVVANVS eligitur in Episcopum Paderbornensem anno Domini 911. Præfuit annis nouendecim, obijt anno 930. Imperante Henrico Aucupe.

7. DVDO succeßit Vniwano, præfuit annis uiginti quinq; pie ac prudenter, deceßit ex mortali hac uita anno Christi 955. Sub Othone Magno.

8. VOLCMARVS uir Deo & pontificio honore dignißimus subrogatur Dudoni, anno Domini 956, sedit ad clauum Ecclesiæ Paderbornensis annis 26. Deceßit anno domini 981: imperante Othone tertio, cuius pater Otho secundus dedit Ecclesiæ Paderbornensi crucem auream ualoris sexaginta millium aureorum ante chorum summi templi Paderbornensis pendẽtem. Ea ex collectis Longobardorum triennalibus tributis confecta & conflata est, ex opt. auro Hungarico.

9. RETHARIVS Volcmarium in gubernatione Episcopatus sequutus anno Domini 981, præfuit optime ac sapientißime annis uiginti octo. Conflagrauit sub eius gubernatione anno Domini milleßimo, calamitoßißimo incendio, maior pars urbis Paderbornensis cum magnifica Cathedrali Basilica à Carolo Magno olim inchoata, & à Budurado Episcopo absoluta, cum libris item & Priuilegiorũ diplomatibus ac alijs ornamentis omnibus. Priuilegia à Pont. Max. Syluestro & Othone tertio Imperatore renouata sunt.

Templum à Rethario reædificatum est Othonis ac S. Henrici Imperatorum subsidijs ac ampliſsimis donationibus. Obijt antistes Retharius anno Domini 1009. Sepelitur in recens instaurata summa Basilica.

10. MEYNVVERCVS, comes Gelrius à Desterbant, constituitur Paderbornensis Ecclesiæ Episcopus Goslariæ per Chyrotecarum porrectionem à S. Henrico Imperatore, cui summa sanguinis propinquitate deuinctus erat, & à quo quicquid uoluit priuilegiorum citra omnem laborem ac difficultatem est consequutus. Præfuit, à willigiso Moguntino consecratus, annis uiginti septem summa cum laude & Ecclesiæ commodo. Deiectis omnibus ab anteceſſore inceptis ædificijs templi summi, de nouo id ex imis fundamentis magnifice incœpit, ac post septennium fœliciſsime absolutum præsentibus Archiepiscopis Moguntino ac Colonienſi & Episcopo Herbipolenſi, cum magna pompa dedicauit. Totam urbem Paderbornensem mœnibus incluſit. Obijt in Vigilia Penthecoſtes anni à nata salute humani generis 1036.

11. ROTHO uel Rothardus Baro à Beuren, Gelrius: ex Abbate Hirsfeldenſis in Archiepiscopatu Moguntino ſiti cœnobij Episcopus Paderbornensis designatur à Conrado Saliquo Imperatore Romano. Præfuit annis sedecim laudabiliter. Obijt anno Incarnati filij Dei Milleſimo quinquageſimo ſecundo.

12. IMADVS eligitur in antiſtitem Eccleſiæ Paderbor-

derbornensis, anno salutis M. LII. Præfuit uti pium Episcopum decet optime ac summa cum laude annis uiginti quinq;. Decessit ex hac momentanea ad meliorem uitam anno Domini M.LXXVII. Sub eius gubernatione concremata est magna pars urbis cum cœnobio Abdinkouensi ac summa etiam Ecclesia: quæ ab eo eleganter iterum est instaurata.

13. POPPO nobilis ab Holdt, ex præposito Bambergensi designatur Episcopus Paderbornensis, anno gratiæ Millesimo septuagesimo septimo. Præfuit annis septem. Instauravit iterum fœliciterq; absoluit & ab Altmanno Patauiensi Episcopo dedicari fecit, in cineres superioribus annis collapsum monasterium Abdinkouense. Emigrauit ex hoc sæculo, anno Dominicæ Incarnationis Millesimo octuagesimo quarto.

14. HENRICVS comes de &werle, alijs comes à &waldeck, & Henricus comes de Aslow mortuo Poppone per controuersiam eliguntur anno Christianæ salutis Millesimo octuagesimo quarto. Aslouianus ab Hermanno Luzelburgio, quem regem sibi constituerant Saxones, totoq; Paderbornensium Canonicorum senatu: &werlouianus uero per Henricum IIII Imperatorem. Inter hos diu cum summa internitione Episcopatus certatum ac disceptatum est: donec tandem Aslouianus Archiepiscopatum Magdenburgensem consequeretur. Henricus &warlouianus fœliciter postea ac utilissime præfuit ad annum usq; Christi M.C.XXVI.

cum quadraginta duo anni à prima illa discordi electione præterijssent. Obijt plenißimus dierum anno, quem dixi: Sub Imperatore Henrico quinto.

15. BERNHARDVS nobilis à Dysede successit Henrico Swerlouiano, præfuit fidelitur ac satis utiliter pro ratione temporum & fortunæ annis triginta tribus. Fuit Romæ cum Lothario Imperatore, & ibi à Rom. Pont. consequutus est pro se & successoribus suis priuilegia ad usum Rationalis, quæ dignitas alioqui solis Archiepiscopis concessa est. Domum iterum ex Italia reuersus, uidit magno animi dolore iterum deflagrare magnam urbis partem, unà cum Cathedrali Ecclesia: quam in decennij spacio pulchre iterum erexit, magnificentius quàm unquam fuisset antea. Eam ipse consecrasse legitur anno Domini 1143. Constructit & fundauit cœnobium Heerdhausense: ordinis S. Bernhardi: & Virginum monasterium Gerdense. Vicit ingenti prælio multoties sibi iniurium Henri cum comitem Arnspergensem. Obijt anno gratiæ 1159. Sepelitur in Monasterio suo Herdhausensi.

16. EVERGISVS eligitur ex Canonico in Episcopum anno Domini 1159. Præfuit laudabiliter annis 17. Quibus iterum perijt incendio admodum graui magna urbis pars, cum cœnobio Abdingkouensi: quod ab eodem Episcopo renouatum est. Obijt anno 1176.

17. SIGEFRIDVS constituitur Episcopus ex summi collegij præposito anno Domini 1177. Præfuit fide-

fideliter ac prudenter nouem annis & sex mensibus. Euocatur ex hac lachrymarum ualle, anno 1186.

18. BERNHARDVS eius nominis secundus, nobilis ab Oysede uel Dysede: Canonice electus Sigefrido successit. Præfuit fideliter & fœliciter annis 16. Commutauit uitam, mortalem cũ immortali, caducam cum perpetua, anno gratiæ 1202.

19. BERNHARDVS tertius huius nominis, eligitur anno Domini 1202, præfuit annis 19 & aliquot mensibus. Consequutus est priuilegia ab Honorio III, Pont. Max. Obijt anno gratiæ 1221.

20. OLIVARVS successit Bernhardo tertio, præfuit duobus saltem annis. Collegit & in literas referri curauit statuta & ritus Ecclesiæ Paderbornensis. Fuit uir eximie doctus, prædicator insignis, maiori loco dignissimus: itaq; anno 1223 Romã postulatus est: ubi Cardinalis Sabinẽsis designatus in summo pretio fuit.

21. VVILLEBRANDVS comes Oldenburgius, eligitur ex Canonico (qui nuper ex Hierosolymitana peregrinatione redierat) in Episcopum Paderbornensem anno salutis 1223 unanimi consensu totius Capituli. Præfuit utiliter ac prudenter annis ferè duobus. Episcopus factus iterum ad terram sanctam peregrinatus, fœliciter redijt. Postea anno 1225 ad Vltraiectinæ Cathedræ gubernationẽ uocatus, Paderbornensem Episcopatũ resignauit. Præfuit Traiecti annis octo, quibus magnificũ S. Seruatij monasteriũ condidit, Obijt anno 1233.

21. BERNHARDVS *quartus huius nominis eligitur anno Dominicæ Incarnationis* 1225. *Præfuit summa cum laude annis uiginti octo. Passus est ut Canonici Paderbornenses obseruantiam Regularem (quæ hactenus ibi uiguerat) mutarent liberioris uiuendi rationis cupiditate in sæcularium Canonicorum statum. Decessit ex hoc calamitoso sæculo, anno* 1254.

23. SIMON *comes à Schwalenberg: etsi sint qui Lippensem comitem fuisse uolunt: successit Bernhardo quarto. Præfuisse legitur annis nouendecim, decessisse uero ex hac uita anno Domini* 1274.

24. OTHO *comes de Retbergk Simoni Episcopo suffectus, præfuit annis triginta. Habuit maximas controuersias cum ciuitate Paderbornensi, contra quam aliquoties fœliciter pugnauit. Obijt anno Domini* 1304 *Post eius fata uacauit sedes duobus annis.*

25. GVNTHERVS *comes à Schwalenberg, qui dudum ad Magdenburgensem Ecclesiam maximis bellis implicatam accitus, Archiepiscopalem dignitatem contẽpserat, iam ad Paderbornensis Ecclesiæ clauum postulatur per controuersiam, aliqua Canonicorum parte Theodorico Baroni Yterano suffragante. Disceptatur per quadriennũ ferè. Videns autem Guntherus pacis quàm contentionum amantior, disceptationum nullum esse finem, pacato animo Theodorici furori, impetrata tamen prius honesta pensione cessit, anno* 1308, *qui iam per biennium honestissime præfuerat.*

26. Theodo-

26. THEODORICVS *contra Guntherũ Schwa enbergensem antea electus, plenam gubernaculi Paderbornensis potestatem consequutus est, anno domini 1308. Præfuit annis duodecim utilissime. Desijt inter mortales esse anno gratiæ 1320.*

27. BERNHARDVS *eius nominis quintus comes à Lippia, eligitur in Episcopum Baderbornensem, anno 1320. Præfuit prudentissime annis uiginti, fuit magnanimus ac uictoriosus Princeps. Absoluit naturæ debitum anno domini 1340. Seditiosæ aduersus se ciuitati Paderbornensi obsessæ, & ad deditionem perpulsæ grandem multam irrogauit. Paucis mensibus antequàm ex hac uita emigraret, iterũ magna pars urbis deflagrauit: quæ res tantum mœrorem incussit Episcopo, ut cum omnium suorum, cum cleri tum populi luctu, grauius mortem Episcopi quàm incendium & bonorum amissionem plangentium, moreretur.*

28. BALDVVINVS *comes à Steinford, eligitur unanimi consensu totius summi Canonicorum Collegij in Episcopum anno 1340. Præfuit annis etiam uiginti laudatissime: obijt anno 1360.*

29. HENRICVS *Spiegel à Desenberg ex Abbate Corbeiæ Saxonicæ Episcopus constituitur à Rom. Pontifice Innocentio sexto, anno domini 1360. Primus qui à Pontifice eligitur, alijs Episcopis antecessoribus semper antea per manus et suffragia Imperatorũ Ecclesiæ datis. Primus item qui suffraganeum sibi substi-*

tueret. Præfuit annis 18 prudenter & summa cum laude. Valedixit mortali huic uitæ, anno redempti orbis 1378. Sepelitur in Cathedrali Basilica.

30. SIMON secundus huius nominis, comes à Sternberg: ex Decano summi Collegij designatur Episcopus, anno 1378 ab Vrbano V. P. M. Ingreditur insigni pompa equestri Baderbornã, anno domini 1381. Præfuit annis undecim. Anno 1389 obsidione cingens castrum Brobegcense sagitta ex arce missa uerberatus ad inguina, ex eo uulnere post uicesimũ diem moritur.

31. RVPERTVS, Gulielmi ducis Montensis maior natu filius, successit Simoni secundo canonice ac legitime postulatus, ac unanimi Canonicorum uoce ex Patauiensi in Paderbornensem Episcopum electus. Præfuit annis quinq;. Decessit optimus Princeps peste, anno Virginei partus 1394 cum obsidione cingeret Patbergensem arcem. Sepelitur Paderbornæ in summo templo, cum omnium luctu. Plurimum laudatur ab Alberto Crantzio Saxonum Historico.

31. IOANNES comes ab HOIA, germanus frater Episcopi Monasterienſis, eligitur in Paderbornensis Ecclesiæ antistitem, anno domini 1394 à toto clero: confirmatur à Bonifacio nono. Præfuit fideliter ac laudabiliter annis quinq;. Cœpit armata manu hostes suos & Ecclesiæ suæ, nobiles Patbergenses, iamdiu seditiosos, & qui tantum sanguine ac tumultibus delectarentur. Postulatus ad coadministrationem Hildes-

hey-

heymensis Ecclesiæ à cognato suo Gerhardo Barone Montensi, eius loci Episcopo: resignauit Episcopatũ Paderbornensem Canonicis suis libere & cum summa gratiarum actione, anno dominicæ Incarnationis 1399. De hoc Episcopo plura leges in Hildesianis.

33. GVLIELMVS frater Ruperti Episcopi, dux Montensis: eligitur in Episcopũ anno ætatis suæ decimo octauo, egregia uirtute præditus iuuenis. Collocatur in arcem Nouã syluæ Oesingensi adiacentẽ. Constituerat uero iam et confirmarat Romæ P. M. Episcopũ Paderbornensem Bertrandum quendã de Aruassennis Canonicũ Ecclesiæ Rauennatensis, Ferrariensem, decretorũ Doctorem ac Pontifitij Palatij auditorem. Is 28 Octobriũ, anni 1399 Paderbornã ueniens literas Pontificias, Canonicorũ collegio & urbi offert. Disceptatur diu: tandem anno domini 1401 duobus equis ac uiginti aureis donatus Romã remittitur, nã Saxonici Idiomatis plane ignarus omnino non erat idoneus. Præterea Gulielmus iam erat unanimi consensu acceptus, qui cũ præfuisset annis 14, quibus & monasteria quædam reformarat & contra hostes fœliciter pugnarat, Resignata anno 1415 Ecclesia Paderbornensi Archiepiscopo Colonienſi Theodorico: ipse eiusdem Theodorici, comitis à Morsen Archiepiscopi è sorore neptem egregiam puellã, comitissam Teckhelnburgensem duxit uxorem: Nuptijs in arce Arnspergensi præsente Archiepiscopo summa celebritate ac lætitia peractis.

34. THEO

34. THODORICVS secundus huius nominis, comes à Morsen Colonienſis Archiepiſcopus, deſignatur per Gulielmi reſignationem, Epiſcopus etiam & Adminiſtrator Paderbornenſis anno domini 1415. Ingreditur Paderbornam non citius quàm anno 1414. & tum ſub ingenti tempeſtate, in qua ſummum Paderbornenſe de cœlo tactum legitur. Præfuit Paderbornenſi Eccleſiæ annis triginta octo. Colonienſi uero annis quadraginta octo, Halberſtatenſi totidem. Obijt in die S. Valentini, anno gratiæ per Chriſtum reparatæ 1463. Sicuti uero ingreſſum eius in urbem excepit maxima cœli tempeſtas, ita longe maior eius ex hac uita egreſſum anteceßit, quæ uidebatur totam non urbem ſolum Paderbornenſem ſed uniuerſam circumiacentem prouinciam euerſura.

35. SIMON tertius huius nominis, comes de Lippia: eligitur unanimi conſenſu totius Capitularium Paderbornenſium ſenatus in Epiſcopum anno domini 1463. Præfuit ſumma prudentia ac laude annis 25, temporibus longe turbulentißimis. Tandem anno domini 1489 Paralyſi tactus cum conſenſu Capituli, Magiſtratu ſe abdicans, gubernationem Epiſcopatus Hermanno Colonienſi Archiepiſcopo commendauit: ipſe in Tringenbergenſem arcem ſecedens, ibi reliquum uitæ, annua pẽſione ſibi reſeruata abſoluit, obijt uero in die S. Perpetuæ & Fœlicitatis, anno Chriſti 1498. Sepelitur Baderbornæ.

HER-

36. HERMANNVS cognomento Pacificus Lantgraphius Heßiæ, Archiepiscopus Colonienſis, & Rom. Imp. Elector, per reſignationem Simonis Epiſcopi, Paderbornenſis Eccleſiæ Adminiſtrator fa-ctus eſt anno domini 1489. Præfuit pacifice ac quiete ad annum Chriſti uſq; 1508, cuius anni uiceſima ſepti-ma Nouembriũ huic mortali uitæ exemptus eſt. Sepe-litur Coloniæ cum omnium ſuorum ſubditorum in-comparabili luctu.

37. ERICVS dux Brunſuicenſis & Grubenhagius: Princeps pacis ac iuſticiæ ſtudio nemini ſecundus, Canonicus Paderbornenſis primum ad Oſnabruggen ſis Epiſcopatus gubernationem poſtulatur, poſtea Hermanno Colonienſi mortuo, Paderbornenſi etiam Eccleſiæ unanimibus totius ſummi collegij ſuffragijs præficitur, anno domini 1508. Præfuit utriq; Epiſco-patui Oſnabruggenſi uidelicet & Paderbornenſi fide liter ac utiliſſime annis uiginti quatuor, toti Veſtpha-liæ chariſſimus. Poſtulatur ad adminiſtrationem etiam Monaſterienſis Epiſcopatus: ſed morte præuentus eius Eccleſiæ gubernaculũ Pontificia cõfirmatione nõ obtinuit. Obijt autem 14 Maij, Anno domini 1532 Furſtenouij, inde Oſnabruggum auectus honorifice & cum totius Weſtphaliæ & inferioris Saxoniæ la-chrymis deponitur, & terræ parenti redditur.

38. HERMANNVS ſecundus huius nominis, Archiepiſcopus Colonienſis, & ſacri Rom. imperij Elector

Elector, inclytus comes à Swida: postulatur & eligitur unanimi consensu tocius Capituli, in Administratorem Paderbornensem decima tertia Iunij, Anno 1531. Præfuit ad annum Christi usq; 1549 laudabiliter & summa cum uirtute. Exauthoratur propter susceptam sine summorum orbis principum consensu Ecclesiarum Reformationem: Viuit adhuc hoc anno Christi 1549, in arce Biscouiensi tribus lapidibus à Colonia. Succeßit in Colonienſi Archiepiscopatu & Electoratu, sed nescio an etiam in Paderbornensi administratione: illustris ac generosus, animi corporis ac fortunæ bonis clariſsimus comes, Dominus

39. ADOLPHVS à Schauwenberg Saxo, uere heroica corporis proceritate præditus.

Quem superi pietate grauem, uirtute coruscum
Incolumem superesse sinant in Nestoris annos.
Ipsius & flectant mentem q; animum q; beatæ
Ad pacis studium ad ueræ pietatis amorem.
Sic sub principe tali illa aurea secla redibunt
Germanis, quæ præteritis uiguere sub annis.
Viue diu uera uirtute illustris ADOLPHE
Et tua siue habeat te pulchra Colonia, siue
Paderborna potens: habeas pia numina cœli
Semper amica tuis semper q; fauentia cœptis.

BRVSCHIVS.

DECI-

DECIMVM TERTIVM Caput de omnibus Halberstatensis Ecclesiæ Præsulibus ac Episcopis.

HALBERSTATENSIS Episcopatus in Saxonibus, à Diuo Carolo magno nunquam satis laudato Galliarũ Rege ac Imperatore Romano fundatus inchoatus ac liberalissime donatus est, anno Christianæ salutis 780. Cæpit autem non Halberstadi, sed apud Selingenstadum siue Osterwicum, ubi Carolus Magnus magnificum templum construi fecit. Inde Episcopatus iste Salingenstadianus etiam & Osterwicensis Episcopatus dici olim solitus est. Translatus uero est in confluentiam Albis ac Oræ fluuiorum, ut in commodiorem ac utiliorem locum ab eodem Carolo Magno & primo antistite S. Hildegrino, qui huic nouæ urbi & Ecclesiæ iam inchoatæ à confluxu amnium, nouum etiam nomen indiderunt: appellantes ALBORAESTADVM, quasi urbem ad Albim & Oram amnes sitam. Habentur & extant adhuc in Halberstadiana Ecclesia Caroli magni diplomata, anno domini 804 data, quibus terminos huius Episcopatus circũscribens egregie inseruit omnes. Huius Ecclesiæ gubernatores ad hæc nostra usq; tẽpora fuerunt hi sequentes, propter angustiã temporis et urgentẽ Typographi festinationẽ titulotenus saltem adscripti de quibus tamen qui plura legere uolet, Crantzij Metropolin inspiciat ac legat.

S. HIL-

1. S. HILDEGRINVS Catalonienſis, patre Dietgerino, matre uero Lieburga natus: ex Catalonienſi Epiſcopo, primus eccleſiæ Salingẽsladianæ antiſtes ac præſul deſignatus eſt à Carolo Magno Galliarum Rege, anno domini 780. Præfuit ſumma cum pietate, docendo & concionando & gubernando commiſſam ſibi prouinciam, ſumma item integritate uitæ annis 47. Sub eius gubernatione translata eſt Epiſcopalis ſedes ex Oſterwico uel Selgenſtadio ad Cõfluentes Elboræſtadienſes: in quibus cœpta eſt ab Hildegrino Epiſcopo & Carolo Magno urbs Elboræſtadum, quam nunc paululum immutatis literis Halberſtadum appellamus. Obijt anno domini 817 decima nona Iunij. Sepelitur in monaſterio Werdenſi ad Ruram fluuium à ſe fundato. Habuit germanum fratrem Luderum uel Ludigerum primum Eccleſiæ Mimigardeuordenſis, hodie Monaſterienſis Epiſcopum.

2. THIAGRINVS uel Dietgrinus Epiſcopi Hildegrini ex fratre nepos, cõſtituitur ex Corbeiẽſi Abbate Epiſcopus ſecundus Elboræſtadianus ab Imperatore Ludouico Pio, anno domini 817. Præfuit 14 annis, obijt anno domini 841. Sepelitur in Werdenſi cœnobio.

3. HEYMO ex monacho Hirſfeldenſi tertius deſignatur Epiſcopus Elboræſtadenſis anno 841. Præfuit annis 17. Fuit Epiſcopus doctus, cuius extant commentarij in omnia ſcripta Prophetica & Apoſtolica. Obijt anno domini 853. Sepelitur in ſummo templo Halberſtatenſi.

4. HILDE-

4. HILDEGRINVS *secundus, primi ex sorore nepos, eligitur anno gratiæ* 853. *Præfuit prudentissime ac optime annis triginta quatuor, obijt anno salutis* 887. *Sepelitur in cœnobio* Swerdensi *apud antecessores consanguineos suos.*

5. EVILPVS *alijs* Ewilpus *successit Hildegrino secundo anno Domini* 887, *præfuit annis nouem, obijt anno gratiæ* 896, *sepelitur in Cathedrali Ecclesia Halberstadiana.*

6. SIGISMVNDVS *ex Hirsaugiensi cœnobita, Episcopus constituitur Halberstadianorum ab Imperatore Arnolpho anno* 896. *Præfuit summa uirtute annis triginta, obijt anno gratiæ* 916 *decima quarta Ianuarij.*

7. BERNHARDVS Burggrauius *Magdenburgensis, electus in Episcopũ anno Domini* 916. *Præfuit annis quadraginta octo. Decessit ex hac mortali uita anno salutis* 974, *sepelitur in S. Stephani Basilica à se instaurata iterum. Fundauit de proprijs monialium cœnobium* Hadmersheymense, *in quo primã Abbatissam constituit sororem suam.*

8. HILDEVVARDVS *comes* Swarlouianus, *eligitur ex præposito in Episcopum anno* 974. *Præfuit annis uiginti duobus, obijt anno Christianæ salutis noningentesimo nonagesimo sexto. Sepelitur in Cathedrali Ecclesia Halberstadiana.*

9. ARNOLDVS *successit Hildewardo, præfuit*

annis 27. Valedixit hominum in terris uiuentium consuetudini anno gratiæ 1023.

10. BRANTHO uel Brandago eligitur Bambergæ anno 1023 à S. Henrico Imperatore ex Abbate Fuldensi in Episcopum Halberstatensem: Præfuit Episcopatui annis tredecim, euocatur ex hac uita anno salutis 1036. Sepelitur Elboræstadi apud antecessores suos.

11. BVRCARDVS comes à Voburg, Bauarus: eligitur anno Domini Millesimo tricesimo sexto. Præfuit 13 annis: Obijt anno Dominicæ incarnationis Millesimo quinquagesimo nono.

12. BERNHARDVS Bucko ex Goslariensi præposito Episcopus constituitur anno Domini 1059. Præfuit summa prudentia annis uiginti octo, etsi in maximis temporum suorum difficultatibus. Obijt undecima Aprilis, anno Christianorum 1088 sagittæ iactu uerberatus, coorta seditione inter ciues Halberstatenses. Euehitur Ilsenburgum, & ibi in cœnobio Benedictino à se constructo honorifice sepelitur.

13. DIETMARVS eligitur per discordiam, anno Domini 1088. Præfuit diebus sedecim tantum, & subito moritur, non sine magna porrecti ueneni suspitione: uir pius ac iustus maioriq; loco dignissimus.

14. HARRANDVS alijs Stephanus successit Diethmaro: præfuit annis tredecim. Obijt uicesima tertia Octobrium, anni à nato Christo Millesimi centesimi primi. Sepelitur in cœnobio Reinhardisbornensi apud

si apud Thuringos, cuius olim fuerat conuentualis. Vacauit sedes Episcopalis defuncto Harrando sex annis cum propter Saxonicas turbas, tum propter disceptationes Canonicorum Halberstatensium.

15. REINHARDVS, eligitur anno 1107. Præfuit quindecim annis. Pugnauit anno Domini 1115. contra Henricũ V. Imperatorẽ ad Welponis syluam: ubi Cæsareum exercitum fudit ac profligauit. Obijt anno Domini Millesimo centesimo uigesimo secundo. Sepelitur Halberstadi in summo urbis templo.

16. OTHO eligitur anno Domini 1123. Præfuit sex annis, & accusatus apud Pontificem Maximum Honorium secundum, quod largitionibus & Simoniacis artibus peruenisset ad Ecclesiæ gubernaculum exauthoratus est ab eo, anno Domini 1129. Sequente anno mortuo Pontifice Honorio, ab Innocentio secundo restituitur. Præfuit prudenter ac fideliter ad annum Christi usq; 1133, & ab eodem Innocentio iterum exauthoratur in Synodo Pisana. Quo uero postea peruenerit, aut qua fortuna uixerit, ignoratur.

17. RODOLPHVS, eligitur anno Domini 1133. Præfuit sedecim annis. Condidit templum D. Virginis è regione Basilicæ S. Stephani. Obijt sexta Octobriũ, anni à nato Christo Millesimi centesimi quadragesimi noni. Sepelitur apud D. Virginem.

18. VDALRICVS ex præposito Ecclesiæ

ad D. Virginem, Episcopus creatur anno Domini 1149. Præfuit turbulentissimis temporibus annis triginta tribus, obijt animi mœrore in cœnobio Hugshofensi tricesima Iulij, anno Domini 1181: ubi terræ etiam mandatus est. Gessit bellum calamitosissimum cũ duce Brunsuicensi Henrico Leone, à quo ipse victus & captus: urbs uero Halberstatensis incensa tota deflagrauit, cuius cum totus clerus et populus in summum templum fugisset, sperans id futurum tutum refugium: etiam idipsum ignibus correptum, cum omnibus ciuibus ac sacerdotibus incomparabili clade & calamitate conflagrauit & in cineres redactum est. Hæc immensa calamitas uersu Adonico descripta est, quam tantopere festinante Typographo huic libello inserere non potui. Vide de hoc Episcopo plura in Saxonia Alberti Crantzij.

19. THEODORICVS eligitur à quibusdam superstitibus adhuc Canonicis ex præposito D. Virginis in Episcopum anno Domini 1181. Præfuit tredecim annis, templum incendio uastatum mediocriter restituens. Obijt anno Christi 1195. Sepelitur in summo Halberstatensi templo, ante aram S. Crucis.

20. BARTHOLDVS alijs Gardolphus, eligitur ex Decano in Episcopum anno salutis 1195. Præfuit septem annis. Obijt in Kaldenbornensi cœnobio uicesima prima Augusti, anno gratiæ 1202. Reuectus Halbestadum, honorifice ibidem humatur.

21. Con-

21. CONRADVS constituitur Episcopus Halberstadianus anno Domini 1102. Præfuit septem annis, & resignat Episcopatum anno 1109 concedens in Monasterium Sittichenbacense, ubi reliquum uitæ exegit.

22. FRIDERICVS Burggrauius Kirchbergensis ex Thuringis natus, eligitur anno domini 1109 ab unanimiter consentiente Canonicorum collegio. Præfuit utiliter annis uno & uiginti. Obijt anno 1131. Sepelitur cum omnium suorum lachrymis in Cathedrali templo Halberstatensi.

23. LVDOLPHVS comes à Schladem, eligitur in Episcopum anno 1132, præfuit annis tredecim, obijt anno Domini 1145. Sepelitur in summo templo.

24. MEINHARDVS alijs Maynerus Kransfeldius, eligitur anno 1145, præfuit annis quatuordecim cum plurima laude, obijt anno 1159. Sepelitur extra urbis muros apud S. Burcardum.

25. LVDOLPHVS comes à Schladem, præfuit duobus annis & resignat.

26. VOLRADVS Kransfelderus, eligitur anno Domini 1161, præfuit annis nouem, ualedixit unà cum Episcopatu uitæ etiam mortali, anno Domini 1170.

27. HERMANNVS comes de Blanckenberg successit Volrado: præfuit annis undecim. Decessit ex hac mortali uita, anno Dominicæ incarnationis Millesimo ducentesimo octogesimo primo.

28. ALBERTVS uir insignis ex Comitibus

Anhaldinis natus, eligitur in Episcopum Halberstatensem anno Domini 1231. Præfuit annis 44. Decessit ex hac mortali uita ad immortalem anno 1276.

29. ALBERTVS dux Brunsuicensis eligitur anno Christianorum 1277, præfuit laboriosissime in summis difficultatibus annis triginta & aliquot mensibus. Obiit anno Domini Millesimo trecentesimo quinquagesimo octauo: Sepelitur in Basilica Brunsuicensi.

30. LVDOVICVS Landgrauius Thuringiæ & Marchio Misniæ constituitur Episcopus Halberstatensis anno Domini 1358, præfuit octo annis, & postulatur ad gubernationem Episcopatus Bambergensis anno 1366. De quo plura habes in Moguntinis & Bambergensibus.

31. ALBERTVS ex pago Rickmerstorffensi natus, patre Agricola, eximius & eloquentissimus doctor Parisiensis, acutissimus Philosophus, cuius extant scripta Sophismata: eligitur in Halberstatensem Episcopum anno Domini 1366, præfuit uiginti quatuor annis. Pugnat infœliciter aduersus Hildesheymensem Episcopum, & uincitur Logica à Rhætorica: ut supra in Hildesheymensibus dictum est. Decessit ex hac mortali uita anno Domini 1390.

32. ERNESTVS comes ab Honstein eligitur anno 1390, præfuit annis fere decem, exauthoratur anno Domini 1399. Sequente anno mortuus, septem annis mansit inhumatus, sepelitur tandem Halberstadi ad S. Stephanum.

phanum. Gessit perpetuum bellum contra Fridericum ducem Brunsuicensem, homo supra mediocritatem contentiosus.

33. RVDOLPHVS comes Anhaldinus successit exauthorato Episcopo Ernesto, anno domini 1399. Præfuit annis septem, extinguitur mœrore animi anno Dominicæ Incarnationis 1406. Sepelitur Halberstadi in Cathedrali Ecclesia.

34. HENRICVS Baro uel Comes de Swerberge, eligitur anno Dominicæ incarnationis 1409, præfuit annis quatuor & aliquot mensibus, obijt anno Domini 1411. Sepelitur in Halberstadiana Cathedrali Basilica.

35. ALBERTVS comes de Swerningenrode successit Episcopo Henrico anno salutis 1411, præfuit fideliter annis septem, obijt anno Domini 1418.

36. IOHANNES nobilis heros ab Hoym, præfuit post Alberti mortem, Canonice subrogatus, annis septendecim, obijt anno Christi 1435.

37. BVRCARDVS Baro uel comes de Swerberge successit in gubernatione Episcopatus Ioanni Hoymensi anno 1435, præfuit uaria fortuna annis 23, obijt anno Domini 1458.

38. GEBEHARDVS nobilis Regulus de Hoym, eligitur anno gratiæ 1458, præfuit summa cum laude annis uno & uiginti. Resignauit anno 1479.

39. ERNESTVS Saxoniæ dux, Archiepiscopus Magdenburgensis & Germaniæ Primas,

postulatur & assumitur in administratorem Halberberstatẽsem unanimi cõsensu totius cleri anno Domini 1479. Administrauit Episcopatum Halberstatensem annis triginta quatuor. Valedixit huic mortali uitæ anno Domini 1513.

40. ALBERTVS Marchio Brandenburgensis, Archiepiscopus Magdenburgensis & Moguntinus Cardinalis, de quo legisti plura in Episcopis Moguntinis: assumitur in administratorem etiam Ecclesiæ Halberstatensis anno Domini 1513. Præfuit annis triginta duobus. Obijt anno Domini 1545. Sepelitur Moguntiæ apud S. Martinum. Vacauit post huius mortem Halberstatensis Ecclesia annis tribus.

41. IOANNES Albertus Marchio Brandenburgensis Archiepiscopus Magdenburgensis & Germaniæ Primas: antea uiuente adhuc Cardinale Alberto, coadiutor: constituitur & eligitur in Episcopum Halberstatensem anno Domini Millesimo quingentesimo quadragesimo octauo. Præest adhuc hoc anno Millesimo quingentesimo quadragesimo nono.

DECIMVMQVARtum Caput de omnibus Ecclesiæ Verdensis Episcopis.

VERDENSIS Episcopatus in Orientali Saxonia, ultra Visurgin amnẽ, inchoatus est deuictis

Saxo-

Saxonibus & liberalißime dotatus à Carolo Magno Galliarum Rege potentißimo, ac Romanorum Imperatore laudatißimo, annum Christi circiter 776. Cœpit autem primum hæc Ecclesia in honorem beatæ Virginis Mariæ in loco Konende, aut ut alij uolunt in ciuitate Bardeuicensi: mox uero maioris commoditatis ergò ad Verdense clarius tum & nobilius, q̃ est hodie oppidum translata. Eius Episcopalis Ecclesiæ, unius ex decem Episcopatibus à Carolo Magno in Saxonia à se deuicta fundatis, doctores præsules ac gubernatores à prima origine ad hanc nostram usq; ætatem numerantur infrascripti.

1. SVIBERTVS abbas Anglicus, Benedictinæ professionis, uir mira uitæ sanctimonia præditus: audiens Saxoniam ad Christum esse conuersam & ibi desiderari pastores qui populum in Christianismo instruerent: amore propagandæ doctrinæ, de Christo humani generis liberatore, uenit per mare in Saxoniam: ubi à Carolo Magno clementer exceptus, statim nouo huic Episcopatui præfectus est, anno domini 776. Præfuit teneræ adhuc & pubescenti Ecclesiæ summo studio, cum doctrina tum exemplis per annos unum & uiginti. Condidit auxilijs Caroli magni cœnobium Cathedrali Ecclesiæ Carolinæ contiguum pro Canonicis sub Benedictina regula uicturis: Expellitur tandem ab infidelibus quibusdam à gubernatione Ecclesiæ diuinitus & per Carolum Magnum sibi commendatæ,

anno domini 797. Dedit uero ei domina Bertrada Pipini regis coniunx, & Caroli Magni mater pagum Kheiserswerd insulam Rheni, non procul à Colonia sitũ, in ea domunculã sibi construens, & Deo summo zelo seruiens, reliquum uitæ ibi exegit. Obijt autem anno domini 807 ultima Aprilis. Sepelitur in templo quod ipse in eo pago prope oratorium suum sibi & suis statuit & erexit.

2. S. PATTO Scotus & monachus Benedictinus, & Abbas Amarbaracensis succeßit Suiberto.

3. TANCO tertius Episcopus succeßit S. Pattoni, & ipse Scotus.

4. NORTYLA.

5. CEVILO alibi LEVILO: legitur præsedisse Verdensi Ecclesiæ solo nomine, propter malitiam temporum & infidelium furores.

6. CORTYLA Scotus.

7. ISINGERVS.

8. HARRVCHVS Scotus & Abbas Amarbaracensis. Sub hoc Episcopo Canonizati & in Diuorum numerum à Pontifice Maximo relati sunt S. Patto & S. Tanco Episcopi Verdenses miraculis clari. Aliud de Episcopis his omnibus nihil inuenitur in fastos relatum.

9. HELIGANDVS uixit & præfuit Ecclesiæ Verdensi anno domini 833 cum S. Ansgario Hamburgensis commendaretur Ecclesia ab Imperatore Ludouico Pio.

10. ER-

10. ERLVLPHVS *succeßit Heligand. Trucidatur & martyrio coronatur cum multis alijs Christianis in loco* Eppekſtorp *(in quo poſtea monialium cœnobium eſt conſtitutum) à Nordmannis ac Danis Saxoniam miſere uaſtantibus, circa annũ Chriſti 870.*

11. VVALTHERVS *Saxo: cum omnes reliqui fuiſſent uel Scoti uel Angli, ſucceßit p.o Martyri Erulpho, conſtitutus à rege Ludouico ſecundo.*

12. VVIGBERTVS *ex genere Magni Saxonum ducis &widekindi natus dignitate cum generis tum religionis fulgens: Generis coram hoc ſæculo, relligionis coram Chriſto: ſubrogatur &walthero Epiſcopo. Donatur munificentißime à Ludouico ſecundo. Dedit & ipſe omne patrimonium ſuum Eccleſiæ Verdenſi, pagos nempe &weſtphalicos &wineswalt, Ballam, Muturiam, Ghenetum, Herbrunnum conſenciente Arnulpho Rege: Actum id eſt in oppido Forchenheym, Anno Chriſti 899.*

13. BERNHARIVS *uir plenus uirtutum, qui utiliſſime præfuit Epiſcopatui Verdenſi, ſub tribus Imperatoribus Ludouico tertio, Conrado primo, Henrico Aucupe, quibus omnibus eximie charus fuit.*

14. S. ADELVVARDVS *illuſtri genere ortus: Conſtituitur ab Henrico Aucupe.*

15. AMELVNGVS *filius Hermanni &wilungi ducis, cõſtituitur ab Othone primo Imperatore in ſucceſſorem S. Adelwardi. Huius Amelungi germanus frater*

fuit

fuit Hermannus infimæ nobilitatis homo, sed strenuus bellator ac fidelis Othonis Magni locumtenens in Saxoniæ prouincijs omnibus dum ille bellum gerit in Italia contra Berengarium. Iccirco eum Otho fœliciter ex Italia reuersus ducem Saxonicarũ aliquot prouinciarum creauit. Is Hermannus primus condidit arcem in monte Lunenburgensi & Monasterium eiusdem loci S. Michaeli dicatum.

16. BRVNO Saxoniæ & Sueuiæ dux, filius Othonis, nepotis Othonis magni ex Leutholpho filio: successit Amelungo: is hæreditatem suam paternam Deo & Ecclesiæ dedit, monasteriumq; Vlsinense pro pijs & Deo fideliter seruientibus puellis condidit, in honorem beatæ Virginis Mariæ & S. Ioannis Baptistæ. Designatur Romanus Pontifex ab Othone tertio anno domini 994: cognominatur Gregorius V. Præfuit sedi Apostolicæ uiginti mẽsibus. Coronauit Othonem tertium: cum quo ille idem Bruno Pontifex Max. author est Septemuirorum summi in Rom. imperio senatus, qui solus ius habet & potestatem eligendi imperatoris. Obijt Romæ non sine ueneni suspitione 17 Maij, Anno incarnati uerbi 996. Sepelitur apud D. Petrum in summa Basilica urbis Romanæ.

17. HERPO successit Brunoni ad summum pontificatum euecto, anno salutis 994. Fuit uir acutissimi ingenij & eruditionis ac doctrinæ maximæ. Consequutus est ab Othone tertio potestatem cudendæ monetæ.

18. BERN-

18. BERNHARIVS alijs Bernanus succeßit Herponi. Consequutus est priuilegia ab Imperatore S. Henrico secundo: Deceßit ex hac uita uicesima quinta Augusti, anno domini 1013.

19. WIGGERVS subrogatur Bernhario, præfuit annis quindecim. Ampliauit summam Basilicam Verdensem. Obijt septima septembrium, anni 1038.

20. DIETHMARVS eligitur post mortem Wiggarij in antistitẽ Verdensem, præfuit nõ diu et uiam omnis carnis ambulauit ex hac misera lachrimarũ ualle.

21. BRVNO secundus, suffectus est Diethmaro. Sub huius gubernatione Vandalorum irruptio in Saxoniam Orientalem plurimũ obfuit Ecclesiæ Verdensi.

22. SIGEBERTVS eligitur in successorem Brunonis, fuit charus Henrico quarto & eius matri Agneti imperatrici, à quibus syluas seu Forestam Magdheydensem & arcem Hermenburgensem consequutus est. Obijt 13 Octobrium anno domini 1060.

23. RICHEBERTVS, ducali stemmate natus & cleri sui sub Regula Benedictina adhuc uiuentis amantißimus. Præfuit imperatoris Henrici quinti temporibus.

24. HARDEVIGVS succeßit Richeberto, obijt imperante Lothario secundo.

25. MASO alijs Mazo, ex Canonico Goslariensi Episcopus Verdensis designatur post mortem Hardouigi, obijt imperante eodem Lothario.

26. THIET-

16. THIETMARVS *secundus, succeßit Maſſoni Epiſcopo, anno domini* 1128, *præfuit annis* 40. *Deceßit ex hac uita nona Calendarum Octobris, anno incarnati uerbi* 1168 *Imperante Conrado tertio. Interfuiſſe legitur expeditioni Hieroſolomitanæ.*

17. HERMANNVS *ſubrogatur Thietmaro, fuit Imperatori Friderico chariſſimus, à quo liberaliter donatus eſt. Conſequutus eſt priuilegia ab Eugenio tertio Pontifice Maximo: aliud enim de eo quẽadmodum etiam ferè de alijs nihil inuenio, adeo ignaui fuerunt ueteres Germani in annotandis rebus ſuis ac ſuorum.*

18. HVGO *eligitur Hermanno ex hac uita euocato in Epiſcopum Verdenſem, obijt in Calendis Martijs, anni à nato Chriſto* 1189, *quo Pardewickhum urbs Saxoniæ uetuſtiſſima expugnata, direpta, incenſa & euerſa eſt: ex cuius ruinis nata eſt urbs Luneburgenſis. De huius potentiſſimæ olim urbis Fato, origine & internitione etiam, extat adhuc tale & ſi omnino barbarum Epigramma Pardewicenſis cuiuſdam templi portæ ſaxeæ inciſum, quod mihi aliquando communicauit eiuis Lunenburgius* BENNO Heerdelius, *mihi meiſq; parentibus præcipuus amicus, quod in gratiam antiquitatis ſtudioſorum, cum breui explicatiuncula huic loco inſerere uolui.*

ABRAM

ABRAM dum natus, mox treueris incipit ortus
Hinc annis mille Bardwigk sex & quoq; quinq;.
Idest, quinquaginta sex & mille
annis post initium Treuerensis
Vrbis cœpit Bardowicum.

Post Bardwigk Roma duo C cum quinq; triginta
M. C. post nat. iunctis octoginta nouemq;
Hoc est, anno domini Millesimo
Centesimo octuagesimo nono.

Dum Brunsuicensis dux Henricus Leo dictus,
Simonis in festo Bardwigk subuertit ab alto.

19. TAMMO uel Tanno ex Camerario summi Collegij Verdensium Canonicorum, designatur Episcopus anno domini Millesimo Centesimo octuagesimo nono. Acquisiuit arcem Vallent Louensem cum adiacente territorio. Dedit Ecclesiæ imaginem D. Virginis è solido auro concinnatam. Decessit ex hac uita Idibus Decembris, anni Christianorum Millesimi Centesimi nonagesimi septimi.

30. RODOLPHVS eligitur in Episcopum Verdensem, anno Incarnationis dominicæ, 1197. Præfuit annis undecim. Obijt anno domini 1208. Constructit arcem Rodenburgensem.

31. ISO Comes de Welpa, eligitur anno Christianorum 1208. Præfuit annis uiginti sex. Decessit ex hac uita, Anno gratiæ per Christum restitutæ, 1234.

Quinta

Quinta Augusti. Construxit Collegiatum templum S. Andreæ, in quo & terræ mandatus est.

31. LVDERVS succeſſit Epiſcopo Iſoni anno domini 1234. Præfuit annis 19, obijt anno ſalutis Chriſtianæ 1254. Fundauit Schernbecenſe monaſterium. Sub huius gubernatione capta eſt ciuitas Verdenſis à comite de Wclpa.

33. GERARDVS comes de Hoia, conſtituitur Epiſcopus Verdenſis, anno gratiæ 1254. Præfuit annis ſedecim, obijt anno domini 1270. Sub hoc uaſtata eſt incendio Eccleſia Cathedralis tota, cum Canonicorum habitationibus quæ fuit occaſio mutatæ uitæ Regularis in clero Verdenſi.

34. CONradus dux Brunſuicenſis, germanus frater Othonis antiſtitis Hildeſiani: deſignatur Verdenſis Epiſcopus anno domini 1270, præfuit laudabiliter prudenter & utiliter annis triginta tribus. Valedixit mortali uitæ anno redempti orbis 1303. Octobriũ 15.

35. FRIDericus nobilis Regulus ab Honſtetten, aſſumitur concordibus Capitularium ſuffragijs in Epiſcopum Verdenſem anno domini 1303. Præfuit decem annis, quatuor menſibus. Ambulat uiam uniuerſæ carnis anno domini 1314. Vir elegantis & maximæ proceræ ſupra communem hominum rationem ſtaturæ.

36. NICOLAVS, uir ſumma prudentia præditus eligitur in ſummũ paſtorem Verdenſium, anno domini 1314. Præfuit annis uiginti, obijt anno Virginei partus,

1334.

1334. Muniuit Rotenburgum castrum ac fortilitium Episcopatus Verdensis tutissimum.

37. IOANNES insignis Curiæ Romanæ Medicus à Pontifice Max. Benedicto duodecimo Ecclesiæ Verdensi commendatur & offertur in Episcopum anno Domini 1334. Non diu præfuit, quia nec regio nec Ecclesia ei placebat. Romam igitur reuersus, pro splendidiore dignitate & loco laborans, Frysingẽsem Episcopatũ anno Domini 1338 consequitur: mortuus tamẽ Romæ, in Ecclesiam Frysingensem nunquam uenit, ad quam se mortuum auehi mandabat, cum uiuus Pontificijs negocijs implicitus peruenire non potuisset: præfuit tamen Frysingi annis duodecim. Obijt anno Domini 1350.

38. DANIEL Carmelita, Theologiæ Magister, uir eximia doctrina & prudentia præditus: ex Pontificia prouisione consequitur Episcopatum Verdensem anno Domini 1337. Præfuit annis nouendecim, primum quiete & placide, humanus erga suos omnes: sed tandem clero admodum iniurius, à quo cum anno Dominicæ incarnationis 1336 ad suplicium quæreretur, Coloniam aufugit, ubi in excommunicatione mortuus est. Sepelitur Aldenburgi. Extat de eo tale Epigramma.

Daniel antistes, non curat clerus, ubi stes?
Optans ut ualeas, dum modo non redeas.

39. VOOLEHVS ex Caroli quarti Impe. Can

cellario, Episcopus Verdensis designatus est, uir sa-
pientissimus, & omnibus Imperij proceribus summe
charus: non diu præfuit. Moriens dedit Ecclesiæ suæ
trecentos Rhenenses.

40. GERHARDVS Baro Montensis, successit Episcopo Rodolpho, sed nec ille diu præfuit, Vocatus enim ad Hildesianum Episcopatum gubernandum mortuo Ioanne Schadlandio Verdensem resignauit anno domini 1364. De hoc antistite multa habes in Hildesheimensibus. Præfuit enim ibi triginta tribus annis.

41. HENRICVS à langen, Lunenburgensis ex preposito monialium Lunensium creatur Episcopus Verdensis anno domini 1364: uir pius, mitis & placidus. Præfuit annis octo. Obijt decima tertia Ianuarij anno domini 1380. Sepelitur in Cathedrali Basilica Verdensi.

42 IOANNES de Sesterfliet Decanus Bremensis successit Henrico, præfuit laudabiliter annis octo, frequens fuit in cœnobio Schermbecensi liberaliter à se dotato, in quo decessit ex hac mortali uita, & honorifice tumulatur, decima Decembrium anni à nato Christo Millesimi trecentesimi octogesimi octaui.

43. OTHO Brunsuicensium & Lunenburgensium dux, Magni principis filius, eligitur anno Domini Millesimo trecentesimo octuagesimo octauo. Sub eo absoluta est Verdensis Ecclesia Cathedralis, quam dedicauit ille anno Dominicæ Incarnationis Millesimo

trecen

trecentesimo & nonagesimo. Mox postea ad Bremensis Archiepiscopatus gubernationem accitus, Verdensem pulchre tamen prius nudatam (ut inquit Crantzius) resignauit.

44. THEODORICVS de Niem, sacrarum scripturarum & legum insignis Magister, substituitur resignanti Othoni à Pōtifice Maximo Bonifacio nono, contendit seuerissime cum Othone Bremensi Archiepiscopo propter detentam arcem Rodenburgensem, sed frustra. Rediit post pauculos annos Romā, ubi resignata Pontifici Verdensi Ecclesia ab eodem ad Cameracensis Episcopatus in Brabantiæ finibus siti, gubernationem est euectus.

45. CONRADVS nobilis heros de Vechta, eximius Iurium doctor, præficitur Ecclesiæ Verdensi à Bonifacio nono Pont. Max. Sed uidens plurimum ibi esse contentionum, emolumenti autem non perinde multum, mox resignata Pontifici Verdensi Ecclesia, ab eo ipso statim Archiepiscopatum Pragensem consequutus est.

46. CONRAdus à Sultow Lunenburgius sacræ paginæ Doctor, tertius qui à Bonifacio 9 P. Max. ad Verdensem Ecclesiā gubernandā destinatur. Is utilissime præfuit: recuperauit arcem Rodenburgensem anno Dominicæ incarnationis Millesimo trecentesimo nonagesimo quinto. Scripsit librum de Sancta Trinitate: accusatus hereseos, Romam profectus, coram

Pontifice ac toto Cardinalium conſeſſu, longa oratione habita ſeſe purgauit: obijt poſtea anno Domini 1407. Sepelitur Lunenburgi apud S. Michaelem. Non admodum laudatur à Crantzio Saxone: qui gulæ & uentri deditum fuiſſe ſcribit.

47. HENRICVS comes de Hoya ex Decano Epiſcopus Verdenſis factus eſt anno Domini 1407, Canonice electus à ſenatu Canonicorum: contra illum miſit Gregorius XII Pont. Max. Vdalricum Albaeenſem Canonici Iuris doctorem Ruperto Rom. Regi charũ. His duobus de Epiſcopatus poſſeßione digladiantibus per integrum annum, ſententiam tandem tulit Alexander V. Pont. Max. iubens Vlricum cedere, Henricum uero Apoſtolica authoritate confirmans. Is Henricus præfuit poſt adeptam confirmationem annis octodecim, ſed non admodum multa cum laude: de quo qui plura ſcire cupit, Crantzium uideat. Renunciauit tandem Epiſcopatum anno 1416.

48. IOANNES de Aſel Hildeſianus, decretorum Doctor: conſtituitur Verdenſis Eccleſiæ antiſtes à Martino V. Pont. Max. anno Domini 1417. Præfuit prudentißime ac utilißime annis quadraginta tribus. Muniuit & illuſtrauit arcem Rodenburgenſem: fuit pacis maxime ſtudioſus, ſed cui pace tamen admodum diuturna frui nõ licuit, cætera lege in Metropoli. Reſignauit Epiſcopatum, Metallicarum rerum ſtudijs præcipue delectatus anno 1470 ætatis ſuæ nonageſimo.

49. Ber-

49. BERTHOLDVS *insignis Baro de Landsberg, uir mitis, placidus & humanus erga quosuis, ex Decano summi collegij Canonicorum Verdensium in Episcopum eorundem eligitur anno Domini* 1470. *Illustrauit nouis ædificijs ijsdemq; splendidissimis summam & Cathedralem Ecclesiam Verdensem, per annos septendecim integros, huic uni rei operam summam impendens: eam dedicauit anno Domini* 1490. *Erat Licentiatus Decretorum authoritate antecessoris sui designatus. Collegit insignem Bibliothecam in templo Mauriciano. Erat omnium doctorum hominum amicus ac fautor summus. Pacis studiosissimus. Muniuit Rotenbergense oppidum, fossis profundioribus & mœnibus firmioribus, includens etiam suburbium. Designatur anno Domini* 1481 *Episcopus etiam Hildesianus. Præfuit utriq; Ecclesiæ annis uiginti duobus, obijt in Arce Rotenburgensi in Vigilia Ascensionis anno Domini* 1503. *Sepelitur in summa Verdensis urbis Basilica, cũ Epitaphio, cuius author fuit Albertus Crantzius.*

50. CHRISTOPHORVS *dux Brunsuicensis Henrici iunioris, ducis Brunsuicensis Germanus frater, Bremensis Archiepiscopalis Ecclesiæ coadiutor: assumitur anno ætatis suæ decimo septimo in administratorem Verdensis Episcopatus unanimi consensu totius summi Canonicorum senatus, anno Domini* 1593. *Præest adhuc & Bremensi Archiepiscopatui & Verdensi*

Episcopatui hoc currente anno Domini 1549. Eximie procera corporis statura præditus: De quo Deo dante in Bremensis Archiepiscopatus descriptione habebis lector studiose plurima.

AD VRBEM BAMBERGENSEM in Francia Orientali amœnissimam Schediasma Gasparis Bruschij Poetæ Laureati.

Si uis urbs Bamberga omnes quasi cernere in uno
Pastores speculo pontificesq; tuos:
Si templorum optas exordia prima tuorum
Scire, & quid quondam gesseris eximij?
Quid Pomeranorum præclarus Apostulus OTTO,
Quem tu non secus ac nobile numen amas.
Quid rex fecerit Henricus tuus inclytus ille
Fundator, summo ductus amore tui?
Quidue tibi dederit Conigundis Regia nupta
Illa Palatinæ gloria summa domus?
Huc aduerte oculos, liber hoc te ille omne docebit,
Qui uenit in muros urbs peramœna tuos.
Hunc ut suscipias clementi pectore, non est
Vt moneam longo carmine forsan opus.
Si bene te noui & sum non improuidus Augur
Officium facies ipsa parata tuum.
Sic sint omnia fausta iterum tibi, summaq; sedis
Numina Olympiacæ te reuerenter ament.
Sic tuus ille etiam radix cum fœnore multo
Proueniat dulcis, Babenoberga tibi.

Caput

CAPVT DECIMVM quintum de Episcopatu Babenbergensi nobilissimo ac omnibus eius gubernatoribus ac præsulibus,

BABENBERGENSIS Episcopatus longe amœnissimus ac nobilißimus, ad Pegnesum & Mœnum, non incelebres amnes, in Francia orientali situs: fundatus & institutus est anno incarnati uerbi 1007 ab Imperatore Henrico II. Bauarorum & Saxoniæ duce, quem propter summam uitæ integritatem Sancti cognomento Ecclesia honorauit: ab eius item honestißima coniuge, Diua Chunigunde Rheni Palatinissa Sigefridi filia laudatißima Imperatrice: quæ æternam cum marito pudicitiam & castitatem legitur conseruasse. Ab his ipsis Diuis, fundatore Henrico & fundatrice Chunigunde, inchoatum est etiam ac liberalißime donatum Magnificum Montis monachorum cœnobium ordinis ac professionis Diui Benedicti in uicino ac longe amœnißimo colle situm: Sancti item Stephani Canonicorum amplißimum collegium. Subdidit huic Episcopatui Diuus Henricus Imperator multa preclara & amplißima monasteria: multos item amplißimos comitatus, quorum gubernatores

feuda sua à Babẽbergẽsi Episcopo petere tenentur. Fecit item immunem ab omni iugo Archiepiscopali: ita ut in omnibus cauſsis ac proceſsibus non aliter quàm Archiepiscopus aliquis in sua Dioceſi procedere soleat antistes Babenbergius. Donauit eandem suam Ecclesiam plurimis sanctorum relliquijs: & mortuorum diuorum integris corporibus, imprimis uero uexillo fortiſsimi equitis S. Georgij, quod semper summa ueneratione in maximis Imperij bellis ab Imperatoribus, Regibus ac principibus Germaniæ cultum, & in summo precio est habitum. Conſtituit amplius D. Henricus Imperator, ut sæculares quatuor sacri Romani Imperij Electores, feuda Electoratus ab huius Ecclesiæ Pontifice, ut Vasalli à suo Directo Domino petere & accipere neceſsse habeant. Quod inſigne & longe ampliſsimum priuilegium uulgo Sericatum Diuæ Chunigundis filium appellant, quo laudatiſsima Imperatrix, uera Ecclesiæ nutrix, Babenbergenſem suam Dioceſin & Ecclesiam uoluit esse, quaſi fortiſsimo muro, & inexpugnabili propugnaculo cõmunitam. Super hæc omnia beneficia etiam hoc adiecerunt: Dederunt Ecclesiæ Babenbergenſi inſignem prouinciam ac ditionem in Charinthia sitam, arces uidelicet, oppida & pagos. Eius prouinciæ feudis & regalibus à Romano Imp. inueſtiri solet. Huius ampliſsimi Episcopatus gubernatores, Præsules ac summi antistites fuerunt ad hoc noſtrum usq; sæculũ: quos hîc breuiter subiunximus.

Eber-

1. EBERhardus pius & relligiosus uir, eligitur primus Episcopus Babenbergensis Ecclesiæ anno Domini 1007 à S. Henrico II. Imp. Aug. eius q; coniuge Diua Kunigunde. Præfuit is fideliter ac laudatißime annis triginta quinq;. Deceßit ex hac lachrymarũ ualle, anno Christi 1042, decima tertia Augusti. Sub huius gubernatione construitur & fundatur anno domini 1009 ab ijsdem Sanctis fundatoribus Ecclesiæ Bambergensis Benedictinum monasteriũ Montis monachorum, cui Imperator præfecit primum Abbatem Rapathonem, anno domini 1015. Sub eiusdem gubernatione, habita sunt anno domini 1020 amplißima comitia Babenbergæ ab Imperatore Henrico secundo: in quibus consecrari fecit Imperator constructam & suis sumptibus exædificatam magnificentißimam summam urbis Basilicam à Pontifice Maximo Benedicto octauo: quod factum est præsentibus omnibus totius imperij statibus. In ea Basilica Cathedrali, postea magnifico Mausolæo depositus est post fata, Imperator Henricus cum S. Khunigunde thori consorte. Id sepulchrũ Augustißimũ & ferreis cancellis pulcherrime cõmunitum in media ferè Ecclesia, hodie adhuc summa omniũ hominum reuerentia inuisitur.

2. SVIDEGERVS alijs Suiggerus, & iterum alijs Sindegerus, Saxo S. Henrici Imperatoris Cancellarius, uir eximia doctrina, sapientia & uirtute præditus: constituitur secundus Episcopus Eccleſiæ

Babenbergensis, anno domini 1041. Præfuit summa cũ laude annis quatuor. Et cum eodem tempore grauissimum esset Schisma in Ecclesia Romana, cui simul præerant tres pontifices capitalibus odijs inter sese dissidentes & concertantes: exauthoratis istis tribus, & è Roma electis omnibus, Hic Suidegerus Episcopus Babenbergensis, ab Imperatore Henrico Nigro, summo pontificatui et Ecclesiæ Romanæ præficitur, anno incarnati uerbi 1047. Sedit is Romæ mensibus nouem tantum, non iam amplius Suidegerus, sed Clemens secundus appellatus, obijt anno 1048 non sine suspitione porrecti ueneni. Reuehitur honorifica pompa funebri Babenbergam, & ibi in summæ Basilicæ principali choro, honorificentissime sepelitur. Dedit Ecclesiæ suæ Babenbergensi magnificum Priuilegium, quod magno operi nostro inseretur.

3. HARDOVIDVS alibi Hezelinus & Hazechinus dictus: ex Imperatoris Henrici tertij Cancellario, tertius antistes Ecclesiæ Bambergensi præficitur à domino suo Imperatore, anno domini 1047, præfuit annis septẽ, obijt anno 1054. Annaliũ scriptores uulgo infamem eũ uocant, causam tamen ubiq; prætereunt.

4. ADALBERO comes Pogensis, Bauarus, Conradi secundi Imperatoris è sorore nepos. Eligitur in Episcopum Babenbergensem Oetingi in Bauaris, in ipso Natali domini: anno 1054. Præfuit prudenter & fideliter sex annis et aliquot mensibus, obijt anno 1060.

Sce

Sepeliuntur omnes Babenbergæ in summâ Basilica.

5. GVNTHERVS uir eloquentißimus ac multarum linguarum cognitione illustris: eligitur anno gratiæ 1060. Præfuit sex annis utilißime. Profectus est anno domini 1064 cum Sigefrido Archiepiscopo Moguntino & multis alijs Germaniæ Ecclesiasticis & secularibus principibus ad terram sanctam, ubi contra grassatores quosdam fortiter ac magnanimiter dimicauit. Inde domũ rediturus cũ in Charinthiã ueniſſet, ibi morbo correptus aliquãdiu decubuit, & tandẽ etiam occubuit anno 1066. Reuehitur Babenbergã & honorifice ibi depositus terræ parenti redditur.

6. HERMANNVS alijs Ricimannus, Sigefridi Archiepiscopi Moguntini prius Vicetenens, consequitur Episcopatum Bambergensem anno domini 1066 præfuit annis ferè decem. Exauthoratur anno domini 1075, et excõmunicatur à Gregorio septimo, propterea quòd nõ intrasset in ouile hoc Dominicum per ostium legitimæ uocationis, sed per clandestinos cuniculos Simoniacæ prauitatis. Erexit is ac liberaliſime donauit S. Iacobi Ecclesiam collegiatam in suburbio sitam. Ingressus est monasteriũ Schwartzachianũ Franciæ orientalis, in quo cũ naturæ tandem debitũ exoluisset, honorifice sepultus, ac terræ parenti redditus est, in sacello D. Benedicti.

7. RVPERTVS uel Robertus, præpositus Goslariensis in Saxonibus, et Henrici Regis intimus cõsiliarius, designatur Episcopus anno 1076. Præfuit fideliter

& optime annis uiginti sex. Obijt undecima Iulij, Anno Christi 1102. Sub huius gubernatione conflagrauit prima Cathedralis Basilica Babenbergensis in ipsa Vigilia dominicæ resurrectionis, anno à nato Christo, Millesimo octuagesimo secundo: quæ à sequentibus Episcopis magnificentius est & pulchrius erecta quàm unquam fuisset antea.

8. S. OTHO Bauarus, Bertholdi comitis Andecensis, ac dominæ Sophiæ ducissæ in Amberana ualle filius, natus anno domini 1069. Henrici quarti Cancellarius, Henrici V sacellanus: eligitur & confirmatur in octauum antistitem Babenbergensem, anno gratiæ 1102 anno ætatis suæ tricesimo tertio. Consecratur à Paschali secundo P. M. Anagniæ in festo Penthecostes, ad quẽ legatus cum alijs Germaniæ Archiepiscopis & Episcopis missus erat ab Imperatore Henrico quarto, pro impetranda Henrici V coronatione. Præfuit pie, prudenter & utilissime annis triginta septem: appellabatur propter singularem modestiæ ac humanitatis laudem cognomento humilis. Conuertit ut uerus Episcopus fideliter concionando & docendo ad Christi noticiam ac professionem Pomeranos anno domini 1124. Inde hodie adhuc Pomeranorum Apostolus dici solet. Rediit ex Pomerania Babenbergam, anno domini 1125 in Vigilia Resurrectionis Dominicæ. Fundator ac instaurator multorum cœnobiorum, Prisenningensis supra

pra

pra Ratisbonam ad Nabi ac Danubij cõfluentes siti, quod condidit anno domini 1109. MICHELFELdensis quod construxit anno domini 1119 prope Auerbacense oppidum, sex ab urbe miliaribus. FONTIVM item salutarium cœnobij amplissimi anno domini 1132. BANTENSIS ad Mœnum inter oppida Lichtenfelsum & Staphelsteinium siti, quod collapsum anno domini 1127 denuo instaurauit. MONTIS item monachorum quod in honorem S. Michaelis olim ab Imperatore S. Henrico inchoatum & liberalissime donatum, iam uero monachorum negligentia & incuria ruinosum non solum reædificauit, firmauit, ac magnificentissime illustrauit, anno domini 1117: sed & in eo habitauit. Obijt anno ætatis suæ septingentesimo: anno uero à Natali domini 1139. Sepelitur in monte monachorum ante aram maximã chori honorifice. Intestina in sacello D. Virginis, sub ara S. Catharinæ terræ sunt reddita. Leuatus est de tumba & in honorificũ Mausolæum depositus, in Diuorumq; numerum relatus, cum Clementis Pont. Max. consensu, anno 1139.

9. EGILBERTVS succeßit Episcopo Othoni anno 1140. Præfuit sex annis, Sub eo Canonizatus est S. Henricus, fundator Babenbergensis, anno domini 1145. Deceßit Episcopus anno sequente.

10. EBERHARDVS dux Bauariæ eligitur anno 1145. Sedit ad Episcopatus clauum annis 26, obijt decima septima Iulij anno 1171.

HER-

11. HERMANNVS Marchio Misnensis, Conradi filius. eligitur anno 1171. Præfuit quinq; annis, obijt 11. Iunij, anno domini 1177. Sepelitur in monialium cœnobio ad S. Theodoram à domina Gertrude Palatinissa huius Episcopi sorore fundato, ac liberalissime dotato. Hunc Episcopum alij Marquardum uocant, & Abbatem Fuldensem prius fuisse scribunt.

12. POTHO alijs POPPO, cognomento largus dux Meroniæ & comes de Andechs, eligitur anno 1177. Præfuit annis 15, obijt anno domini 1192 secunda Maij. Sub eius gubernatione Otho Episcopus octauus Canonisatus, & in Sanctorum numerum relatus est, anno domini 1179.

13. THIMO successit Popponi anno gratiæ 1192, præfuit decem annis, obijt Decima sexta Octobrium anni à nato Christo 1202, cum præcedente anno Canonisata esset S. Chunigundis à Papa Innocentio.

14. CONRADVS eligitur in Episcopum, anno domini 1202, obijt statim sequenti die, post electionem.

15. ECKENBERTVS alijs Erymbertus, Stephani Hungarorum regis frater: filius Bertholdi Meroniæ ducis, & dominæ Agnetis, quæ filia fuit Dedonis comitis in Rochlitz, & Marchionis Misniæ: eligitur in antistitem Bambergensem anno salutis 1203. Præfuit laudabiliter annis triginta duobus. Gessit bellum anno domini 1232, contra Bernhardum Charintiæ ducem: cuius cum ditionem ferro & igne hostiliter & miserrime

rime deuastaret, captus à ducis ministerialibus per totum tempus quadragesimale detentus, & postea certis pacis conditionibus, iterum dimissus est. Obijt anno domini 1235, quinta Iunij. Sub huius Episcopi gubernatione, trucidatus est Aldenburgi in Episcopali casiro Babenbergensi ab Othone de &wittelsbach nouo Bauarorum duce, optimus Imperator Philippus Friderici Barbarossæ filius, anno domini 1208: De qua crudelitate extat tale Distychon.

Anni milleni, bis quatuor atq; duceni
Extant, quando pius Rex occidit ense Philippus.

Rationem huius cedis allegant hanc, Dedisse Philippum fidem filiæ Othonis &wittelsbacensis, sed eam postea fregisse, alia matrimonij legibus sibi coniuncta.

16. POPPO Meroniæ dux eligitur anno gratiæ 1235, præfuit annis septem. Exauthoratur anno 1242 ab Imp. Friderico II Siciliæ & Hierosolymarum Rege.

17. HENRICVS de Catalonia Imperatorius Notarius, constituitur à Rom. Pont. Bambergensis Ecclesiæ antistes anno Domini 1242. Præfuit quindecim annis Obijt decima septima Decembrium anni à nato Christo 1257 in Charintia, sepelitur ibi in &wolffsbergo Franciscanorum celebri cœnobio.

18. LEOPOLDVS comes à Leyningen eligitur anno Domini 1257. Sedit 18 annis. Obijt decima septima Maij, anno Christi 1285.

19. Arnol-

19. ARNOLDVS comes à Solms, eligitur anno Christi 1285, præsidet annis decem, Obijt decima nona Iulij, anni à nato Christo 1295.

20. LEOPOLDVS comes à Grundlach, eligitur an anno 1295: præfuit nouem annis. Desijt esse inter mortales uicesima secunda Augusti, anno domini 1304.

21. VVVLFINGVS constituitur in Episcopum anno domini 1305: nobilis Baro à Stubenberg, monachus Dominicaster. Præfuit quatuordecim annis. Sub eius gubernatione cœpit monialium cœnobium Babenbergense ad Dominicum sepulchrũ ordinis D. Dominici. Valedixit huic mortali uitæ & hominum in terris ambulantium consuetudini, anno 1319. Martij 14.

22. IOANNES eligitur Canonice in successorem Wulfingi, præsidet duobus saltem annis, euocatur ex hac ad aliam meliorem uitam, anno domini 1321.

23. HENRICVS eligitur anno 1322 ex Dominicastro monacho & decretorum eximio doctore in Episcopum Bambergensem. Præfuit octo annis, obijt anno 1329, decima quarta Aprilis.

24. VVERNTHO pincerna à Richenegk, eligitur anno domini 1329. Præsidet annis quatuor, obijt in ipsis Calendis Aprilibus, anni à nato Christo 1333.

25. LEOPOLDVS nobilis heros ab Egloffstein, designatur Episcopus Babenbergensis, anno domini 1333. Præfuit annis septem, obijt 10 Iulij, anno 1341. Sub hoc antistite inchoatum & fundatum est, Bambergæ

anno

anno domini 1348. Cœnobium monialiũ ad S. Claram ab honestißima innocentßimæq; uitæ puella Catharina à Zollern: eius gentis quam à Ticione uulgo uocant. Hec prima eius loci Abbatissa, sancta habetur.

26. FRIDERICVS comes de Alta flamma, uulgo Hohenlohe eligitur anno domini 1341, præfuit 8 annis & aliquot mensibus. Obijt uicesima prima Decembrium, anno à nato Saluatore 1351. Habuit germanum fratrem Albertum eodem tempore Episcopum Herbipolensem.

27. LVDOVICVS nobilis Regulus à Bebenburg doctor pontificiarum legum, eligitur in Episcopum Babenbergensem, anno domini 1352. Præfuit 10 annis, obijt anno 1363.

28 FRIDERICVS Baro à Truchedingen, eligitur anno 1363, præfuit tribus tantum annis. Decessit 19 Maij, anno redempti orbis 1366.

29. LVDOVICVS Marchio Misnensis & Landgrauius Thuringiæ, Friderici Seueri Landgrauij filius ex Domina Mechtilde Imperatoris Ludouici Bauari filia natus: Canonice & legitime eligitur unanimi totius summi Canonicorum senatus consensu, anno Domini 1366. Præfuit fideliter & laudabiliter annis septem Constituitur anno Christi 1374 à Pontifice Maximo Gregorio undecimo, nõ solum sine consensu, sed etiam contra uoluntatem & suffragia summi Canonicorum senatus Moguntini, Archiepiscopus Moguntinus

aduersus Canonice electum, Adolphum Anaxouiã-
num. Sed non consequutus est gubernaculũ, & possĕs-
sionem tantæ dignitatis ac prouinciæ, etsi auxilijs Im-
peratoris Caroli quarti nihil non tentarit. Interim ad
Archiepiscopatus Magdenburgensis, & Ecclesiæ Hal
berstatensis gubernationem postulatus, à Rom. Pont.
confirmatur. Præfuit utriq; Ecclesiæ per annum sal-
tem unum. Obijt anno Domini 1370 in Kalbensi oppi-
do Archiepiscopatus Magdenburgensis ad confluen-
tes Salæ & Albis maximorum omnium sito. Varia ue
ro narrantur de ipsius obitu: quidam nuptijs interfuis-
se dicunt, & in Curia saltantem decidisse cum puella
de loco sublimi per gradus, & eo casu post pauculos
dies è uita emigrasse. Alij incendio perijsse affirmant.
Sepelitur in Archiepiscopalis Palatij sacello, quod
S. Gangolpho dedicatum, Intestinorum sacellum uul-
go uocant, eò quod ibi plerumq; Archiepiscoporum
intestina sepeliri & condi soleant.

30. LAMBERTVS nobilis à Borne, Alsata: & wil-
helmi equitis aurati filius, eximie doctus. Factus est
ex Monacho Neowileriano Abbas Gengenbacensis,
ex Abbate Cancellarius aulæ Imperialis Carolinæ: cõ-
sequutus est auxilijs Caroli IIII, cui longe erat chariſsi
mus, quicquid uoluit. Primum impetrauit Episcopa-
tum Brixiensem, cui cum paucis annis præfuisset, &
Ecclesiæ Spirensis Episcopus Gerardus anno 1363 hu-
manis rebus exemptus esset. impetrauit ei Carolus IIII

Imp.

Imp. à P.M. Vrbano V. Spirensis etiam Episcopatus gubernaculum, contra Spirensis cleri suffragia. Præfuit Spiræ 9 annis laudabiliter, cuius Ecclesiæ omnium priuilegiorum confirmationem obtinuit apud Imp. Carolum IIII. Accidit postea ut anno 1371 uacaret Argentinensis Episcopatus resignante eam gubernationem Episcopo Ioanne comite Lutzelburgio: ibi & hunc Episcopatum consequutus est per Carolum IIII. Renuncians itaq; Spirensem gubernationem, Argentinã concessit anno 1372. Sed nec ibi diu mansit, cum eius loci clero se nõ adeo gratũ esse intelligeret: nam animaduertens anno 1374 euacuatam esse Babenbergensis etiã Cathedræ sedem per resignationem Episcopi Ludouici eam quoq; ambiuit, & cum Caroli IIII tum pontificis patrocinio adiutus facilime obtinuit, Valedicens igitur et Argentinensi Ecclesiæ, Bambergam se contulit, ubi cum laudabiliter & summa fide & uirtute præfuisset annis 23, resignata Bambergensi etiam sede, anno Domini 1398 in Gegenbacense cœnobium Alsatiæ remigrauit: ubi reliquum uitæ absoluit, & naturæ debitum persoluens honorifica sepultura donatus est. Iuuit Gerhardum Herbipolensem antistitẽ, & comitem Schwartzenburgensem &winsheymium obsidione cingentem.

31. ALBERTVS comes à &wertheym, Ostrofrancus: eligitur anno Domini 1399, præfuit uiginti duobus annis. Obijt in Charintia anno Domini 1421.

32. FRIDERICVS nobilis heros ab Auffseß,

Ostrofrancus: eligitur in Episcopum Bambergensem, anno Domini 1411, præfuit prudenter ac utilissime annis nouendecim. Decessit ex hac lachrymarum ualle in Charintia, decima quinta Februarij, anno Christi 1440. Habuit sororem Gertrudin de Auffsess eodem tempore Abbatissam monasterij ad S. Theodoram: quæ obijt anno Domini 1459.

33. ANTONIVS nobilis de Rotenhan, successit Friderico legitime electus anno 1440. Præfuit annis nouendecim. Emigrauit ex hac mortali uita anno Dominicæ Incarnationis 1459.

34. GEORGIVS comes à Schaumburg, designatur Episcopus à toto senatu Capitularium unanimiter consentiente anno Domini 1459. Præfuit annis sedecim. Obijt quarta Februarij, anno Dominicæ Incarnationis 1475.

35. PHILIPPVS illustris ac generosus comes ab Hennenberg, eligitur in Episcopum Babenbergensem anno Christianæ salutis 1475. Præfuit summa cum laude & uirtute annis duodecim, obijt uicesima sexta Februarij, anno Domini 1487, sepelitur in Cathedrali Basilica Bambergensi cum tali Epitaphio: quod mihi Sebastianus Glaserus Poëta insignis Hennenbergensium Principum Secretarius communicauit.

Præsulis eximij lapis hic tegit ossa Philippi,
Quem Bamberga suo luxit ut orba patre:

Pru-

Prudens & iustus : constans fuit atq; seuerus
Hennbergæ ex comitum stirpe creatus erat.
Conspicuas struxit radiantes montibus arces
Iudæos turpes expulit urbe procul.
Qui coluit uiuus semper te uirgo Maria
Hunc tua suscipiant numina sancta precor.

36. HENRICVS Gros à Drogkaw, nobilis Regulus in Ostrofrancis, eligitur in Episcopum Babenbergensem anno domini 1487. Præfuit quatuordecim annis, obijt uicesima septima Martij, Anno Incarnationis dominicæ 1501.

37. VITVS Dapifer à Pommersfelden, designatur Episcopus & gubernator Ecclesiæ Bambergensis anno domini 1501, præfuit duobus annis. Valedixit huic uitæ septima Septembrium, anni 1503.

38. GEORGIVS Marsallus ab Ebmut, eligitur anno domini 1503. Sedit ad clauum Episcopatus duobus saltem annis, obijt anno domini 1505, ultima Ianuarij.

39. GEORGIVS pincerna à Lymburg semper liber: successit Georgio Marsallo legitime electus anno domini Millesimo quingentesimo quinto. Præfuit annis septendecim. Interfuit Anno Incarnati filij Dei, 1518 Comitijs Augustanis à Diuo Maximiliano habitis: obijt ultima Maij, anni à nato Christo Dei filio 1512.

40. VVIGANDVS nobilis heros à Redowitz,

in Ostro francis, qui in ipso iuuenilium suorum annorum flore Religionis ergò, ad terram sanctam peregrinatus:

Multorum mores, multorum uidit & urbes:

Eligitur unanimi consensu tocius summi Canonicorum senatus, in antistitem ac gubernatorem Bambergensem, anno domini 1522. Obsidetur anno domini 1525 in incomparabili illa Rusticorum Germaniæ seditione à suis: Sed Dei opt. max. beneficio ac Sueuici fœderis robore ac fortitudine magnanimiter defenditur ac liberatur. Est princeps mitis, clemens, benignus, ac pacis studiosissimus: suis omnibus charus. Interfuit omnibus ferè Comitijs, à Diuo Carolo V. Imperatore ac Ferdinando Rege, hinc inde per Germanias celebratis. Congregauit Diocœsianam synodum anno 1548. reformandi sui cleri ergò. Præest adhuc fideliter ac fœliciter hoc anno domini 1549.

Det tibi perpetuos cœlestis Iupiter annos
Præsul olympiaco digne sodalitio.
O patrij & vigande soli clarissima fama
Nobilis ô gentis gloria lausq; tuæ
Te nusquam non Angelici pia concio cœtus
Protegat, illustret, contucatur, amet.

BRVSCHIVS

FINIS.

Noribergæ apud Io. Montan. & Vlricũ Neuberum.


APPARVIT BENIGNITAS
DATA EST MISERICORDIA



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN